




# Summa theologiae mysticae Philippi a SS. Trinitate ...

<https://hdl.handle.net/1874/316970>

**328**

**Vak 50**





R

# SUMMA THEOLOGIE MYSTICA

R. P. PHILIPPI A SS. TRINITATE *a. laetm*

Carmelitarum Discalceatorum Provincie S<sup>t</sup>e Theresie in Gallia Provincialis,  
in qua demonstratur

VIA MONTIS PERFECTIONIS,

ET IN TRES PARTES APTE DIVISA  
SECURE ET FELICITER DECURRITUR, MANIFESTATIS OPPORTUNE,  
QUE PASSIM OCCURRERE SOLENT, PERICULIS,

NUNC DENUO IN LUCEM PROBIT

CURA

R. P. BERTHOLDI-IGNATII A SANCTA-ANNA *o. Carvmy*  
ejusdem ordinis.

TOMUS PRIMUS




Bibliotheek  
**MINDERBROEDERS**  
**WEERT.**



SILVAE-DUCIS  
APUD W. VAN GULICK

BIBLIOPOLAM

MDCCCLXXIV



## LICENTIA

---

†  
J. M.

F. DIONYSIUS A SANCTA-THERESIA, CARMELITARUM DISCALCEATORUM IN DITIONE BELGICA PROVINCIALIS.

Facultate nobis delegata a Rev. admodum Patre Nostro LUCA A S. JOANNE A CRUCE, Præposito-Generali, licentiam facimus R. P. Bertholdo-Ignatio a S<sup>ta</sup> Anna, Definitori-Provinciali, typis denuo edendi R. P. Philippi a SS<sup>ma</sup> Trinitate SUMMAM THEOLOGIÆ MYSTICÆ, quam jussu Definitorii Provincialis recognovit.


Datum Bruxellis, in festo SS. Ap. Petri et Pauli, anno 1874.

L. S

F. DIONYSIUS A S. THERESIA C. D.

*Provincialis.*

---



IN HANC ALTERAM EDITIONEM

## PRÆFATIO

.Equum est de vita et scriptis R. P. Philippi hic paucia dicere. Anno 1603 in dioecesi Vasionensi in Gallia natus, cum aetatem 17 annorum attigisset, Ordinem Carmelitarum Discalceatorum ingressus est, studiorumque cursibus multa cum laude emensis, Missionarius in Persidem et in Indias transivit; unde, post decennium magnosque exantlatos labores, in Europam rediit, magnisque successive Ordinis praelaturis, officio etiam Præpositi-Generalis, funetus est; tantisque detentus curis, nihilominus plures annos scientias sacras docuit. E vivis decessit Neapoli, die 23 Februarii 1671, magna sanctitatis fama, cœlestibus miraculis illustrata. Inter multos quos, sœc. 17, Religio Carmelitana Reformata scriptores genuit, eminent Philippus a SS. Trinitate; de quo haec doctissimus Gonetus: « *Plura edidit opera, cedro digna, in quibus eruditio et pietas decertant, continuus licet itineribus ac prælaturarum occupationibus detentus, quæ ipsum in omni disciplinarum genere instructissimum fuisse probant.* » Quæ scripsit Philippus a SS. Trinitate, et de universali, et de ecclesiastica, et de sanctorum historia, præteribimus. Non cessit Philosophus et Theologus celeberrimis Doctoribus Complutensibus et Salmanti-

censibus. Suam *Summam Philosophiae*, ab eo Goë elaboratam, eadem prorsus methodo qua usus est S. Thomas in sua *Summa Theologica*, Lugduni anno 1643 in folio edidit; eaque tanti fit, ut illam Congregatio generalis Oratorii, in cœtu anno 1675 Lutetiae habito, suos professores docere decreverit. Ab anno autem 1653, *Summa* ejus *Theologiae Thomisticæ*, in omnes partes Summæ D. Thomæ lumen doctrinæ diffundens, tomis 5 in folio, Lugduni etiam, prodiit. Opus tamen Auctoris nostri excellentissimum est *Summa Theologiae Mysticae*, de quo ipse dicit: « *Quod cæteris omnibus aliis præfero; præcipuum meorum operum.* » Hoc jam Opus, secundum primam editionem Lugduni anno 1656 in folio factam, de novo edimus, hanc curam nobis demandantibus Superioribus nostris, et annuente Illo ac R<sup>mo</sup> D<sup>no</sup> Archiepiscopo Mechlinensi, qui ea de re hic subjectas litteras dedit.

*Mechliniæ, die 26 juli 1873.*

*Reverende Pater,*

*Theologia dogmatica est scientia credendorum, scientia symboli; Theologia moralis, scientia agendorum, scientia legis aut præceptorum; Theologia vero ascetica sive mystica, scientia progressus in via mandatorum, id est, in via charitatis, quæ purificat, sanctificat, cum Deo unit. Theologia igitur mystica dogmaticæ et morali coronidem imponit et est veræ vitæ vera scientia.*

*Non nos fugit hominibus hujus sæculi Theologiae mysticæ nomen esse invisum; sed hujus sæculi homines sunt ignari, rerum saltem quæ Dei sunt. Discipulorum, et maxime Ministrorum Christi est animas veram docere vitam easque per vias ducere, ubi hæc vita crescit usque ad perfectum diem. Nec sunt animæ quas Deus ad se speciali modo trahit, adeo rarae; easque etiam ruri in humillimis tuguriis invenire est, dicit vir apostolicus, doctissimus Scaramelli. Est igitur scientia ascetica et mystica duxoribus animarum apprime necessaria; et non minus sibi, quam animabus ea indigent, quos vocatio sancta præ cæteris*

*perfectos esse jubet. Hinc est quod S. Alphonsus de Lig. brevem tractatum viarum perfectionis Theologie sue morali voluit additum. Et quamvis scripta, diffusa magis, Schram et Scaramelli omnes de clero manu versent, de clero tamen, Reverende Pater, optime fueris meritus in novam lucem edendo Theologiam mysticam P. Philippi a SS. Trinitate, opus inter prima facile annumerandum, et quod laudare supervacaneum foret.*

*Grato et tibi in X<sup>to</sup> animo devotissimo,*

*+ V. A. Arch. Mechlin.*

*Primas Belgii.*

Quod Illustrissimus ac Reverendissimus D. Archiepiscopus Mechliniensis tam expressis verbis exoptat, hoc *Summa Theologiae Mysticæ* Philippi a SS. Trinitate exequitur. Etenim Religiosum et Sacerdotem certo gressu ad summam christianæ et sacerdotalis vitae perfectionem perducit; Theologo vero, Concionatori, Confessario et Directori intimam cordis humani scientiam tradit, ac docet eos quam mira varietate Spiritus Sanctus in animabus spiret, et quomodo ipsi efficaci salutarique concursu cooperari valeant operationi divinæ, quæ movet et convertit, tentat et purificat, illuminat et sanctificat, transformat et deificat. Multa igitur cum fiducia tibi, Lector, commode compactum pium hunc offerimus librum. De thesauro isto ditissimo, nec unquam exhauriendo, omnis scriba doctus in regno cœlorum nova semper et vetera proferet.

---

Contra subjungimus Approbationem et Facultatem pro editione  
Lugdunensi datas.

## APPROBATIO.

Ex commissione Reverendi admodum Patris nostri Joachimi a Jesu-Maria, Fratrum Discalceatorum Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, Congregationis S. Eliæ, Præpositi-Generalis, librum, qui **SUMMA THEOLOGIE MYSTICÆ** inscribitur, a R. P. Philippo a Sanctissima Trinitate, ejusdem Congregationis in Provincia sanctæ Theresiae Provinciali conscriptum, attente perlegimus, nihilque in eo reperimus fidei catholicæ aut bonis moribus repugnans; imo credimus librum hunc, doctis, ac divinæ contemplationi deditis fore gratum atque perutilem, ac proinde typis mandandum. In quorum fidem subscrivimus in Conventu nostro Lugdunensi, die vigesima quarta decembris, anno 1655.

*F. Theodosius a Spiritu Sancto Provincia Aquitanica Definitor et hujus Provinciae sanctæ Theresiae Visitator Generalis, ac Theologiae Professor.*

*Fr. Honoratus a S. Martino sacrae Theologiae Praelector et Prior Conventus Lugduncensis.*

---

## FACULTAS

### REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

Nos Frater JOACHIMUS a JESU-MARIA, Præpositor-Geralis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congregationis sancti Eliæ Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo ac ejusdem sancti Montis Prior, tenore præsentium, facultatem impertimus R. P. F. Philippo a SS. Trinitate Provinciae nostræ sanctæ Theresiae in Gallia Provinciali, typis mandandi opus ab ipso compositum, quod inscribitur **SUMMA THEOLOGIE MYSTICÆ**, dummodo prius illud a duobus Theologis nostri Ordinis recognitum fuerit, et in lucem edi posse probaverint. In quorum fidem, præsentes dedimus sigillo nostro munitas ac propria manu scriptas. Romæ, in Conventu nostro sanctæ Mariæ de Scala, die vigesima octava junii 1655.

*F. JOACHIMUS a JESU-MARIA  
Præpositor-Geralis.*

DEIPARÆ  
VIRGINI MARIÆ  
MATRI ET REGINÆ CARMELI  
EJUSQUE FILIIS CARMELITIS DISCALCEATIS

---

*Etsi me totum et omnia mea, Virgo Beatissima, jam dudum tibi consecraverim, speciali tamen directione ac singulari voto meum hoc opus Theologiae Mysticæ, quod cæteris omnibus aliis præfero, tibimet consecrandum iudicavi : tot enim titulis me tuae pietati devinctum agnosco, quod me nimis crederem ingratum, nisi hoc exteriori signo tuorum in me beneficiorum commemorationem celebrarem, offerens tibi quod de jure tibi debetur.*

*Primus igitur hujus debiti titulus est grati in te animi : nam, præter generalem illam obligationem qua tibi fideles cuncti jugiter adstringuntur, quia solum tuis intercessionebus divina recipiunt beneficia, ut credendum pietas suadel, et S. Bernardus, in sermone de tua Nativitate confirmat, dicens : « Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur ; quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam » ; particularem ac multiplicem agnosco obligacionem, ab ipsa conceptione et nativitate mea cœplam, ac semper deinceps continuatam. Me inter tuos fratres et filios Carmelitas ab ipsis designasti principiis, dum meam nativitatem die decima nona julii, secunda post meridiem hora*

*in primis S. Eliæ Carmelitarum Patriarchæ vesperis, sabbato tibi sacro futuram ordinasti. Vix natum et ad extremam mortis agoniam redactum certo miraculo (ut a meis parentibus didici), propter votum eorum deducendi me ad sacram ædem tuam Lauretanam, si sanus evaderem, vitæ asseruisti. Tandem me a multis eruptum periculis ad secum tuæ religionis Carmelitanæ portum miris modis adduxisti, ubi me per triginta sex annos plurimis cumulasti beneficiis, quæ singula referre non licet.*

*Secundus titulus est pietatis ac reverentiae, tum generalis, tum specialis. Generalis quidem, quia te Matrem Dei considero : cui propterea debet omnis creatura famulari, et omnibus modis pietatem ac reverentiam tibi præ cæteris exhibere ; quod et ipse nunc efficio, cum præcipuum meorum operum tuo nomini devoveo, cum alia Philosophiæ ac Theologiæ, cæteraque hujusmodi scripta mortalibus tantum quamvis Ecclesiæ Prælatis, ut Episcopis, Archiepiscopis, et Cardinalibus, ac Principibus etiam sacerdotalibus dedicaverim. Specialis autem, quia te Reginam Carmeli, ac Carmelitarum matrem agnosco : unde tibi quasi cliens humiliatus ac filius deditissimus, licet inter alios minimus, hoc qualemcumque munusculum, in perpetui monumentum obsequii, tuæ protectioni supplex ascribo.*

*Tertius titulus est debiti connaturalis. Cum enim libri congruis debeant protectoribus dedicari, hic tibi maxime congruit, quæ singulorum ac omnium quæ in eo pertractantur singularem præ aliis puris creaturis experientiam habuisti, ita ut merito te ducem in hac tripartita perfectionis via qui properant in ea considerare possint ; teque solam ut talem proponere poteram, si te credidisset fore imitabilem aliis, qui tuam in perfectione eminentiam potius admirandam quam imitandam prædicant et venerantur.*

*Viam purgationis tam activæ quam passivæ, Virgo Beataissima percurristi, non ut propriis defectibus mundareris, cum nullum unquam vel minimum contraxeris aut commiseris, sed ut Christo unigenito tuo similis in passionibus effecta suavissimum divinæ majestati holocaustum evaderes. Sic autem te purgatio intrinsecus pervasit, ut tuam*

*ipsius animam gladius pertransiret, quem maxime in turbatione sacratissimi sponsi Joseph de te gravida, in amissione dilectissimi Filii adhuc tenelli, ac toto Passionis ejus tempore sustinuisti.*

*Viam illuminationis totius vitæ spatio incessisti, cum tibi divina contemplati mysteria, veritas eorum non tam tibi revelata, quam clare manifestata fuerit : æquum enim fuit ut tibi (quæ Mater Dei, ac proinde Regina cœli et totius mundi Imperatriæ electa fueras) cuncta nostræ fidei detergentur arcana, non solum ambitioso angelorum famulatu, sed etiam ipso Deo revelata facie tecum sèpius colloquente : sanctissimam adhuc mortalis Trinitatem videbas, quæ Patris æterni Filia, Filii Dei Mater, et Spiritus Sancti Sponsa existebas.*

*Viam unionis continuo tenuisti, non solum per affectum ante Filii tui cœlestis incarnationem, Deum ferventer amando, sed etiam per effectum, cum ipsum jam incarnatum sacris visceribus tuis inclusum novem mensibus tenuisti ; cum recenter natum sic venerata salutasti : bene veneris, Deus meus, Dominus meus, et filius meus ; cum brachiis amplexando, sacroque pectori suaviter inclinando recreasti ; cum ipsum obsequio tot annorum humillimo fovisti, ita ut merito diceres : osculetur me osculo oris sui, tenui eum nec dimittam, læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me ; cum denique ad intimam ejus fruitionem per claram visionem adhuc in hac mortali degens vita non raro pervenisti.*

*Hoc igitur opus tot tibi, Virgo Beatissima, titulis debitum tibimet supplex offero tuisque filiis et meis fratribus Carmelitis discalceatis, quorum vita jugis est contemplatio, quorum exercitium continua mortificatio, quorum studium est montem perfectionis magna sollicitudine semper inquirere et magno labore crucem ferendo ascendere. Unde non peregrinam aut extraneam eis doctrinam propono ; sed assuetam et domesticam debito traditam ordine recolo, quam ab antiquis Patribus nostris, et exercitio, et traditione, et scriptis, in hac pietatis schola didici : horum sanctitas, et Theologia mystica libris cœlestibus expressa, præsertim*

*sanctæ Matris nostræ Theresiæ, ac Beati Patris nostri  
Joannis a cruce, ubique reluent. Hanc perfectionis doctri-  
nam venerabilibus nostris Patribus ut debitum eis reve-  
rentiæ signum, junioribus meis Fratribus, ut pietatis ru-  
dimentum, utinam alicui profuturum, exhibeo.*

## PROLOGUS

### AD LECTOREM

---

ABSOLUTIS, Lector benevole, quæ ad scholasticam spe-  
tant Theologiam, præcipuis tractatibus, non tam propria  
inclinatione, quam aliorum precibus excitatus, ad compo-  
nendos Theologiæ Mysticæ tractatus me converto. Crucis  
igitur et montis perfectionis viam aperire et manifestare  
præsenti opere conabor : ut ii qui, salutis animæ solliciti,  
et singularis cupidi virtutis, eam ingredi voluerint, auxiliis  
diviniæ gratiæ prævenientis et adjuvantis roborati, facile  
ac secure valeant inchoare, suaviter currere, et fauste fe-  
liciterque terminare. Illam triplici statione percurremus,  
sive in triplicem subdividemus viam : prima est aspera et  
horribilis via purgationis; secunda est læta et suavis via  
illuminationis; tertia est beata et gloria via unionis,  
quæ ad tranquillam Dei fruitionem, in hac mortali vita  
cœptam, et in æterna consummandam, perducit.

Animæ Deo consecratæ, quæ mundi tenebris et tumul-  
tibus relictis, ad currendam perfectionis viam se accingunt,  
filii Israël de Aegypto ad terram promissionis proficisen-  
tibus ad vivum exprimuntur : hi namque, Aegyptiacis re-  
lictis tenebris, inter marinos vortices, per horrida et sicca  
deserta, exantlatis laboribus innumeris, ad locum tandem  
promissionis victores accedunt. Tres in eorum transitu  
generales quasi stationes advertere licet. Prima fuit in loco  
horroris et vastæ solitudinis, ubi prius hostium Aegyptio-  
rum insidias et furores, horridas penetrati maris abyssos,

belluarum sævitiam, ignitos serpentes, servidos solis æstus, immensas et invias camporum planities, spinis et vepribus consitas, acutisque plenas scopolis, magno labore superarunt, et aquarum salsuginem, amaritudinem, imo frequenter inopiam, omniumque rerum egestatem tolerarunt ; quod si sacer mons Sinai proficiscentibus occurrit, qui salubrioris auræ, et deliciosi conspectus copiam facere poterat, ad illum tamen accedere prohibentur, et inde duriora legis præcepta, tonitrua, terrificum tubæ clangorem et fulgura tantum percipiunt : nunquid hæc horrida statio est animæ contemplativæ tempore purgationis expressa imago ? Quæ tunc mentis tenebras, scrupulorum horrores, siccæ devotionis ariditates, tentationum molestias, extremam spiritus egestatem, ac internam Dei derelictionem et absentiā experitur : non tamen omnino derelinquit Dominus ; nam sicut illis, sic isti mannae cœlestis copiam suo tempore subministrat, et continuæ protectionis gratiam exhibit. Secunda filiorum Israel statio fuit in amoenissimis Jordanis fluvii ripis, ubi jam terræ promissionis aspectu fruebantur, cujus etiam fructus suavissimos percipientes proximæ possessionis spe gaudebant : facilis ad montem Nebo eis patet accessus, unde totius terræ sibi promissæ latitudinem, amoenitatem, ac fertilitatem contemplari licebat ; dicitur enim, capite ultimo Deuteronomii, quod Dominus Moysi montem concesso ostendit terram Galaad usque Dan, et universum Nephalim, terramque Ephraim et Manasse, et omnem terram Juda usque ad mare novissimum, et australē partem, et latitudinem campi Jericho civitatis palmarum usque Segor. Hæc amoena filiorum Israel statio animam contemplativam tempore illuminationis ipsius representat, quæ sacrum contemplationis montem suaviter concendens divinis illustrationibus et revelationibus irradiat ; inde ex subjectarum sibi creaturarum aspectu ad creatoris pulchritudinem speculandam assidue consurgit. Tertia tandem filiorum Israel statio fuit in pacifica et gloriosa terræ promissionis possessione; terram enim fluentem lac et mel ingressi bonorum omnium abundantiam percepe-

runt, unde eis dicit Dominus Jeremiæ II : « Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus et optima illius » ; sanctus quippe noster Carmelus est decor et deliciae illius terræ. Hæc pacifica et gloria filiorum Israel statio securam et tranquillam animæ contemplativæ in mystico et spirituali Carmelo mansionem præfigurabat, ubi Domino jugiter adhærens omnium bonorum spirituum abundantia impinguatur ; in hoc enim unionis statu inebriatur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ejus potatur.

Hoc opus aggredior ex desiderio potius intimæ contemplationis, et addisciturus ex lectione ac compositione hujus materiae, quam ex parte ejus notitia et abundantia cordis alios edocturus : unde non tam loquar experientia aliquali, triginta quinque annorum spatio comparata, quam ex sacrae scripturæ et sanctorum patrum auctoritate, maxime eorum qui, divinitus tum speculative, tum practice edocti, expressos Theologiae 'Mysticæ tractatus ediderunt, quos passim in hoc opere ad exigentiam materiae citabo. Primus est divinus ille Dionysius Areopagita Gallorum Apostolus, quem in mysticis, velut magistrum sententiarum in scholasticis, venerabor. Alii præcipui ex extraneis sunt D. Thomas, S. Bonaventura, Hugo et Richardus a S. Victore, S. Bernardus, Dionysius Carthusianus, Taulerus, Gersonius ; ex domesticis vero sunt seraphica nostra Mater Theresia, Venerabilis P. N. Joannes a Cruce, item V. P. N. Joannes a Jesu-Maria, Thomas a Jesu, etc. Quos tanquam Angelicos Doctores in hac materia, et velut Dionysii exposidores adducam ; quorum authoritates aliquando satis longas afferam (in hoc alias doctores mysticos imitatus), ut ex eorum ore, tanquam ex cœlesti oraculo, tam mira suscipiantur arcana, et formalibus eorum verbis potius quam mihi credatur.

Hanc Theologiae mysticæ summam in tres dividam partes. In prima agetur de peccatorum et imperfectionum evanescione, de vitiorum extirpatione, de passionum mortificatione, quæ in indebita cognitione, et in deordinato re-

rum mundanarum affectu versantur : unde dicitur **VIA PURGATIVA**. In secunda agetur de cœlestium rerum notitia, et de virtutum adeptione, quibus anima decoratur et illustratur: unde dicitur **VIA ILLUMINATIVA**. In tertia tandem agetur de continuata supernaturali divinorum contemplatione, ac intima cum Deo per fruitivam charitatem unionem : unde dicitur **VIA UNITIVA**. Quamvis autem ob materiæ connexionem hæc viæ simul concurrant (cum enim purgatio spiritualis sit dispositio ad illuminationem divinam et hæc sit medium ad unionem, se simul concomitantur, et quodammodo permiscentur, ita ut ad inchoatam purgationem sequatur inchoata illuminatio, et ad inchoatam illuminacionem inchoata unio, et similiter ad perfectam purgationem perfecta illuminatio, et ad perfectam illuminationem perfecta unio), de his tamen viis sigillatim et suo seorsim ordine disseretur, et præmittentur in unaquaque via quæ sunt operationes naturales operationibus supernaturalibus. Et licet in quolibet statu imperfectiones eadem purgentur, et virtutes eadem acquirantur, in primo tamen incipientium et tyronum statu virtutes adhuc debiles habent præcipue passionibus et temptationibus resistere ; in secundo statu proficientium jam plurimum roboratae debellatis et mortificatis passionibus ac diuturno earum exercitio, magis in anima radicantur, unde magis ad hunc statum pertinent ; in tertio, perfectorum, maxima tranquillitate, et actuum suavitate circa summum bonum conquiescent. Unde charitas primo reprimit passiones, et evacuat imperfectiones; deinde voluntatem in bono firmat, et animam virtutibus ornat; denique Deo conjuncta et inhærens intime, summo bono pacifice ac quiete fruitur, quantum in hac mortali vita per fidem ambulantibus frui conceditur.

Principium igitur Theologiae Mysticæ est in via purgativa, qua vetus Adam exuitur ; progressus est in via illuminativa, qua cœlestium rerum notitia, et virtutum adeptione novus homo induitur, ac divinitus illustratur ; perfectio autem est in via unitiva, quæ in intima divinorum contemplatione, et amore fruitivo consistit ; et propterea in

hoc specialiter tanquam in termino solet Theologia Mystica collocari. Hoc principium, hunc progressum et hanc perfectionem Theologiæ Mysticæ in persona divini Moysis sic declarat Dionysius, I, capite suæ theologiæ mysticæ dicens : « Non enim frustra divinus Moyses mundari expiarique primum ipse jubetur ; rursusque ab iis, qui non sunt ejusmodi secerni ; ac post omnem expiationem audit tubas, quæ multos sonos edebant ; cernitque multa lumina puros ac diffusos radios jacentia ; deinde a multis secernitur, et cum selectis sacerdotibus ad divinorum graduum cacumen pervenit. »

Quamvis ergo specialiter et principaliter sola via unitiva Theologiæ Mysticæ nomen, quasi proprium obtineat, toti tamen huic operi præfigitur, tum quia reliquæ viæ ad hanc præcipuam ordinantur, tum quia saepissime Theologiæ Mysticæ suavitas aliis viis, etsi non perenniter, transeunter tamen admiscetur ; solet enim Deus optimus maximus incipientes aliquando tyrones, nec adhuc purgatos cœlestium rerum contemplatione ac dulcediœ abundantius perfundere, ut sic ad arduam crucis viam celerius percurrendam animentur. Dicitur autem SUMMA, quia licet opus sit sat diffusum, exiguum tamen est materiæ comparatum, quæ multis voluminibus, ut par est, comprehendi non potest.

Licet autem via perfectionis, in tres tantum partes assignatas communiter dividatur (propter quod opus hoc tripartim), quinque tamen assignari solent stationes eorum qui peregrinantur in ea per fidem a Domino : prima est statim post vocationem in deliciis gratiæ sensibilis ; secunda in purgatione partis sensitivæ ; tertia in intellectivæ partis illuminatione ; quarta in ejusdem intellectivæ partis purgatione ; et tandem quinta in perfecta cum Deo unione ; de quibus sigillatim in hoc opere disseretur, non eodem quo sibi succedunt ordine, sed secundum exigentiam materiæ in divisione triplicis viæ. Stilus est inæqualis et varius ex varietate tum autoritatum quibus opus texitur, tum materiarum; nam in rebus doctis ad claritatem planior requiritur. Ad hoc opus complendum cogor alta docere,

sed doctis et indoctis scribo : capient aliquid singuli, maxime experti, quibus principaliter offero. Quod si passim nostrorum exemplis in hoc opere mystico traditam doctrinam confirmo, ex eo procedit, quod hujusmodi domesticorum exempla, utpote magis quam exterorum nota, mihi facilius occurrunt, et materiæ præsenti sunt aptissima ; cum præcipuus ac primarius nostræ Religionis spiritus circa contemplationem ac Theologiam Mysticam versetur ; nec alia prætermittam exempla, cum mihi inter scriendum occurrerint. Vale et fruere meo labore,

---

DISCURSUS  
P R O C E M I A L I S  
THEOLOGIÆ MYSTICÆ

---

Solet scientia quælibet aliqua præmittere proœmialia, plurimum necessaria in plenam omnium , quæ in ipsa pertractantur , evidentiam ; qualia sunt definitio ipsius scientiæ, determinatio objecti, et plura similia his annexa. Si necessarium hoc videtur in aliis scientiis, quanto magis necessarium erit in hac sublimi scientia divini amoris, quæ sic est eminens supra naturam, sic secreta, ut ratione primi dicatur Theologia, ratione vero secundi dicatur Mystica. Inquiremus igitur statim a principio, quid sit Theologia Mystica , quodnam ejus objectum, utrum in actione vel passione consistat, explicabimus speciales ejus modos loquendi, et similia præstabimus.

---

ARTICULUS I.

QUID SIT THEOLOGIA MYSTICA.

Etsi quæstio, an sit aliquid, præcedere debeat quæstionem, quid illud sit, ordinarie loquendo, quia frustra quæreretur quid res sit, si non constaret eam esse evidenti ratione, aliquando tamen supponitur res esse, et quæritur quid sit, quando communiter esse conceditur, et sciri non potest eam esse nisi sciatur quid sit ; ma-

xime quando demonstratur esse, demonstrando quid sit : quod in praesenti contingit ; unde statim inquirimus, quid sit Theologia Mystica.

Multæ solent afferri Theologiae Mysticæ definitiones. Sanctus Dionysius, cap. 7 de Divinis Nominibus, sub nomine sapientiae sic eam definit : « Sapientia est dignissima Dei cognitio per ignorantiam cognita secundum unionem , quæ est supra mentem , quæ est veræ cognitionis effectiva. » Gerson, Alphab. 65, sic definit : « Est experimentalis cognitio habita de Deo per amoris unitivi complexum ; vel etiam, sapida notitia de Deo, dum ei supremus apex affectivæ potentiae realiter per amorem unitur. » Et Alphab. 86, sic ait : « Theologia Mystica est conjunctio sive unio experimentalis et gratuita mentis cum Deo. » Tandem Dionysius Carthusianus, in commentariis D. Dionysii de mystica Theologia quæst. 3, postquam aliorum definitionem attulit, propriam tradit, et optime naturam illius explicat. Unde ait : « Multi itaque eam definiunt, dicentes : mystica Theologia est secretissima cum Deo locutio ; alii, quod sit ardentissima divinae caliginis intuitio. Quæ descriptio aptior videtur, quam prima : non enim in mystica Theologia dirigitur jugiter sermo mentis ad Deum, sed ipsa mentis in Deum defixio, admiratio majestatis, suspensio animi in lumen immensum ac æternale, fruentissima ac quietissima, et transformativa seu absorptiva inspectio Deitatis est mystica ista Theologia, præsertim si accipiatur pro actu ; si autem sumatur pro habitu, realiter idem est quod præstantissimum donum Spiritus Sancti, quod sapientia nuncupatur; sumendo sapientiam non ut est donum gratiæ gratis dateæ, de qua ait Apostolus : « Alii per spiritum datur sermo scientiæ » ; sed ut est donum gratiæ gratum facientis, supernaturale, infusum, charitati inseparabiliter junctum , de quo loquitur Isaías : « Requiescat super eum spiritus sapientiæ et intellectus. » Quemadmodum triplex est gradus charitatis, ita et sapientiæ hujus, quæ secundum gradum suum tertium ac supremum est ipsa mystica Theologia, quæ non est proprie scientia, prout scientia est habitus acquisitus, aut etiam infusus informis, qui in speculativum practicumque dividitur ; imo sapientia ista nunquam informis est, sicut nec charitas. Hinc sicut donum sapientiæ realiter ac subjective est in intellectu, quamvis, quantum ad suum extrinsecum complementum , quod est ferventissimus amor , in vo-

luntate ponatur; ita et mystica Theologia. Quod etiam constat ex hoc, quod vocatur visio, contemplatio, intuitio, interiorque locutio, quæ omnia spectant ad intellectum, et in ipso realiter esse censentur. »

Ut prædictæ definitiones Theologiae mysticæ facilius capiantur, et ejus natura melius explicetur, supponimus quod sunt tres hujus theologiae gradus, quos inferius in contemplatione Dei, in qua consistit essentialiter, fusius explicabimus. Primus est, quando mens purgatione passiva perfecte purificata divinitus supra seipsam elevatur, ut Deum in seipso perfectissimum et incomprehensibilem pacifice contempletur, ac in ipso per amorem et contemplationis delectationem suaviter conquiescat: in hoc primo et infimo gradu mens dicitur aliqualiter intrare caliginem divinam, sive se extendere ad radium divinarum tenebrarum, id est ad manifestissimam in se, sed ignotam nobis et excedentem Dei claritatem; et ibi cognoscit tanquam in lucis, veritatis, ac sapientiae Dei regione Deum esse humanis viribus invisibilem, ac prorsus incomprehensibilem: quod est ipsum Deum videre, ut ait Dionysius, per invisibilitatem et incomprehensibilitatem.

Secundus gradus Theologiae mysticæ est, quando jam prædicta contemplatione et amore concomitante mens bene disposita, sive prius de divinis illuminata et suaviter ardens altius supra seipsam per excessum a Deo sublevatur, ita ut non solum ingredi, sed etiam habitare caliginem dicatur, ut ibi Deum inhabitantem contempletur. Dens namque caliginem, sive lucem inhabitat inaccessiblem; lux enim ejus summa est creatæ menti caligo propter immensum ejus excessum, ut explicat S. Dionysius Epist. 5 ad Doroth. dicens: « Divina caligo est inaccessible lumen, in quo habitare Deus dicitur; quæ quidem caligo aliud prorsus non est, quam incircunscripta ac penitus interminata, et superfluentissima plenitudo, splendidissima pulchritudo, serenitas, et dulcedo lucis æternæ. » Hie gradus secundus eminet supra primum, quod non solum plura in divina caligine videntur mysteria, sed etiam quia perfectius et perfectiori modo videntur: nam in primo gradu non ita clare ac distinete, et tantum transitorie videntur; sed in hoc secundo clarius ac distinctius, et pene habitualiter inspiciuntur, et mens per affectum Deo firmiter ac suavissime adhæret: unde si in primo gradu, Theologia mystica est Dei in divina caligine existentis suavis et transi-

toria contemplatio, in hoc secundo gradu est suavissima hujus divinæ caliginis intuitio, ac mentis in Deum inhabitantem ibi fere habitualis defixio, majestatis ejus admiratio, seu animi suspensio in immensum lumen, et quietissima, ac quodammodo fruitiva et transformativa Deitatis inspectio, cum ferventissimo Dei amore.

Tertius et supremus gradus Theologiae mysticæ est, quando mens totaliter transformata prædictis illustrationibus divinis, et amore ferventissimo liquefacta, non tantum per unionem affectivam, ut prius solebat, sed etiam per unionem affectivam, experimentalem, fruitivam et realem, quantum præsens status viæ patitur, Deo copulatur; ita ut, ex parte Dei, prærequiratur illapsus ejus in animam, qui dicitur deosculatio seu amplexus unitivus; ex parte vero animæ, supponatur unio suavissima et perceptio fruitiva ipsius Dei intime illapsi: ad hæc igitur præsupposita resultat in anima perfectissima et altissima Dei præsentis contemplatio quantum ad intellectum, et suavissimus ac fruitivus amor quantum ad voluntatem. In tali contemplatione consistit essentialiter supremus hic gradus Theologiae mysticæ, completere vero in tali amore. Unde Theologia mystica, in hoc gradu sumpta et adæquate considerata, est Dei intime possessi perfectissima et altissima contemplatio, ac suavissimus et fruitivus amor, qualis potest haberi in hoc statu præsentis vitæ, seclusa visione ac dilectione beatifica.

Ex his manifestæ sunt omnes adductæ definitiones Theologiae mysticæ, et si quæ aliæ similes adducantur: puta, quod Theologia mystica cœlestis est quedam Dei notitia, per unionem voluntatis Deo adhaerentis elicita, vel lumine cœlitus immisso producta. Hujusmodi namque definitiones aliquem ex enumeratis Theologiae mysticæ gradum exprimunt.

Theologia mystica merito vocatur sapientia, et hoc sublime nomen multis meretur titulis. Primo, quia gaudet etymologia sapientiae; nam sapientia dicitur quasi sapida scientia, et Theologia mystica definitur a Gersone, quod est sapida notitia de Deo. Secundo, quia ut plurimum donum sapientiae est principium elicitive actus contemplationis, in quo constituitur essentialiter Theologia mystica; propter quod aliqui dicunt, quod Theologia mystica, habitualiter seu pro principio elicitive sumpta, nihil est aliud quam donum sapientiae (quod tamen esse non potest, nam, ut suo loco dicetur, perfectissi-

mus actus contemplationis, qui est supremus Theologiae mysticæ gradus, elicitur ab altiori principio quam sit donum sapientiæ). Tertio, quia nomen sapientiæ convenit notitiae primam et altissimam causam attingentis: si causa sit tantum prima et altissima in aliquo genere, ac proinde secundum quid, talis notitia dicitur sapientia secundam quid; sin autem fuerit causa simpliciter prima et altissima, tunc notitia dicitur sapientia simpliciter. Theologia vero mystica contemplatur Deum, primam simpliciter et altissimam causam. Propterea communiter vocatur sapientia a sanctis Patribus, et a doctoribus mysticis; imo a S. Dionysio, primo hujus Theologiae magistro et principe, definitur sub nomine sapientiæ divinissimæ.

Contemplatio Theologiae mysticæ in tertio et supremo gradu plurimum ad visionem beatificam accedit: nam, sicut ad visionem beatificam prærequiritur, ut Deus illabatur in intellectum lumine gloriæ dispositum ac elevatum, ut sic ipsum intueatur immediate præsentem, et voluntas ei per amorem fruitivum suaviter adhæreat; sic ad contemplationem Theologiae mysticæ prærequiritur, ut Deus intime in animam illabatur, et uniatur intellectui vel media specie, vel immediate seipso sicut in visione beata (sicut asserunt aliqui), ut sic intellectus ipsum intueatur immediate præsentem in caligine, et voluntas ei per amorem inchoative fruitivum aliqualiter adhæreat. De hoc supremo gradu sic ait S. Bonaventura, Itinera. 3, distinct. 4, art. 4.: « Verus contemplator est, si seorsum tractus est super omnia intelligibilia in caliginem ignorantiae. Et hic gradus contemplationis est, de quo loquitur Dionysius cap. 8 mysticæ Theologiae dicens: adhuc restat principalior Dei cognitio, quæ figuratur in eo quod Moyses separatur ab his qui locum Dei secum viderant, et subtrahitur illis visis, et intrat in caliginem ignorantiae, et unitur incomprehensibilitati divinæ, quam non penetrat intelligentia, quæ vere est omnium clarissima, et in se claudit et secretissime celat omnes cognitiones comprehensivas, tanquam in causa prima omnium; et per eam omnis unitus Deo, qui est supra omnia, constituitur in excellentia, quam neque ratio investigat, nec intellectus speculatur, et ab omnibus quasi a seipso segregatur; et per unionem dilectionis, quæ effectiva est veræ cognitionis, unitur Deo intellectualiter ignoto, cognitione multo meliori quam sit cognitio intellectualis, in eo

quod intellectualem cognitionem dereliquit, et super intellectum et mentem Deum cognoscit. »

## ARTICULUS II.

### QUODNAM SIT OBJECTUM THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

Ad hujus difficultatis evidentiam, nunc breviter ex Philosophia supponimus duplex esse objectum, sive duas esse partes integri objecti, partem scilicet materialem, et partem formalem : formalis est illa, quæ per se sive ratione sui attingitur a potentia vel scientia; pars vero materialis seu objectum materiale est illud, quod per se non attingitur, sed ratione et sub ratione objecti formalis. Rursus in parte formali objecti duo reperiuntur : primum est ratio formalis Quæ, et est res ipsa quæ per se consideratur a scientia; dicitur etiam ratio formalis in esse rei, seu objectum formale Quod. Secundum est ratio formalis sub Qua, seu in esse scibilis, vel objectum formale Quo; et est id sub quo potentia vel habitus attingit suum objectum formale Quod ; sub ratione formalis sub Qua comprehenduntur multa, scilicet lumen sub quo tendit potentia, media quibus tendit, etc. Tandem dividitur objectum in adæquatum et in inadæquatum, inadæquatum in principale et minus principale : objectum adæquatum est illud quod nec excedit scientiam, nec ab ea exceditur ; et dicitur objectum attributionis, cui tres sequentes conditiones assignantur : prima, ut ad ipsum reducantur omnia quæ tractantur in scientia, vel tanquam principia, vel tanquam partes, vel tanquam species, vel tanquam proprietates; secunda, ut de illo sit principalis cura in tali scientia, et præcepta quæ traduntur sint de ipso; tertia, per objectum debent scientiæ specificari, et inter se distingui, non quidem per ipsum in esse rei consideratum, sed in esse scibilis, scilicet adjuncta ratione formalis sub qua. Objectum inadæquatum principale, est illud cui principaliter ratio formalis convenit, et de quo principaliter agitur in scientia ; objectum minus principale est illud, de quo agitur per ordinem ad aliud principale, et cui ratio formalis minus principaliter convenit.

Ex hac generali doctrina communiter recepta, quæ facile posset

in multis inductione probari, præsentem determinando materiam, dicimus quod objectum formale Quod, seu ratio formalis Quæ Theologiae mysticæ, est Divinitas; ab ipsa namque denominatur Theologia, id est scientia de Deo: objectum vero formale Quo, seu ratio formalis sub Qua, est lumen supernaturale, sub quo Divinitatem contemplatur, sive sit donum sapientiæ vel aliud eminentius; et etiam medium quo procedit. Objectum materiale Theologiae mysticæ comprehendit tam Deum quam creaturas, quibus ratio formalis Divinitatis sive Deitatis convenit; Deo quidem essentialiter, creaturis autem participative. Tam Deus, quam creature sunt objectum inadæquatum hujus divinissimæ sapientiæ, si seorsim sumantur: unde objectum materiale adæquatum est omne illud, quod sub divina et secreta revelatione cadit, ac supernaturali contemplatione attingitur. Deus tamen est objectum principale ac primarium, cum ei divinitas principaliter ac per essentiam conveniat, et circa ipsum principaliter hæc divina sapientia occupetur; creature vero sunt objectum minus principale, quia divinitas minus principaliter ac tantum per participationem eis convenit, et quia hæc scientia tantum eas considerat in ordine ad Deum, vel tanquam media et gradus, quibus ad Deum ascendit, vel tanquam effectus ipsius Dei, ad quos a Deo primo eorum principio per redundantiam et extensionem descendit.

Theologia mystica igitur, quamvis aliquando circa creaturas modo prædicto versetur, proprie tamen in Dei optimi maximi contemplatione jugiter occupatur; non quæ sit notitia tantum speculativa, sed est vere notitia affectiva et experimentalis ipsius Dei, imo ab ipsa Dei præsentis experientia et degustata suavitate procedit; quia, ut ait S. Bonaventura, Itiner. 6, atern. dist. 1: « Experientia idem est quod notitia; unde experientia videtur esse objecti cuiuslibet potentiarum præsentialis actus et notitia, actus enim vitales attingunt sua objecta active, vel passive, vel utroque modo. Unde si omnes homines dicunt mihi hoc esse dulce, per hoc non habeo notitiam experimentalem de illo, etiam quantumcumque probent per rationes; sed opinionem, vel fidem, vel scientiam possem habere: sed si gustus meus attingit gustabile, vel attingitur ab illo, tunc habeo notitiam experimentalem illius. Similiter est de gustu interiori et aliis sensibus spiritualibus. Unde si ego lego, vel audio ab aliquo, quod dulcis est Dominus, propter hoc non habeo

notitiam experimentalem, nisi gustus spiritualis attingatur a dulcedine divina, ut dicat cum sponsa: « Fructus ejus est dulcis gutturi meo, » ubi loquitur de gustu spirituali; et ista notitia experimentalis perfectissimorum est. Unde Hugo dicit sic: Non facit perfectum cognitio veritatis, nisi et habitus virtutis in experientia subsequatur; magistra enim est intelligentiae experientia, et illa optime judicii veritatem cognovit, quia jam non audiendo solum, sed gustando et faciendo didicit. Quod amplius declarat D. Thomas in Psalmum 33, explicans illa verba, « Gustate et videte », ubi sic ait: Experientia de re sumitur per sensum, sed aliter de re præsenti, et aliter de re absente, quia de absente per visum, odoratum, et auditum, de præsente vero per tactum et gustum, sed per tactum de extrinseca præsente, per gustum vero de intrinseca. Deus autem non longe est a nobis, nec extra nos, sed in nobis, Jeremiæ 14: « Tu in nobis es Domine. » Et ideo experientia divinæ bonitatis dicitur gustatio, i. Petri 2: « Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus. » Proverbior. ultimo: « gustavit, et vidi quoniam bona est negotiatio ejus. » Effectus autem experientiae ponitur duplex: unus est certitudo intellectus, alias secunditas affectus. Quantum ad primum dicit, « et videte »: in corporalibus namque prius videtur, et postea gustatur; sed in rebus spiritualibus prius gustatur, postea autem videtur, quia nullus cognoscit qui non gustat; et ideo dicit prius, « gustate »; et postea, « videte. »

Gustat autem anima per voluntatem amando et fruendo, quando per exercitium Theologiæ mysticæ, Deus fit ipsi realiter præsens ac intime unitus; tunc enim anima ejus suavitate fruitur, et in ejus amore ac fruitione manna cœleste degustat, et percipit aeternæ vitæ saporem. Inde est, quod S. Gregorius homilia 27, in Evangelia dicit quod « Amor ipse notitia est. » Et Augustinus ait: « Amor vehemens non potest non videre quem amat, quia amor oculus est, et amare videre est. » Quod verum est non tantum in sensu causali, quatenus amor movet amantem, ut perfectam rei amante notitiam acquirat; sed etiam in sensu formalí, quatenus invenitur in voluntate notitia experimentalis rei amatæ, ut docet D. Thomas 2, 2, quæst. 172, artic. 4, ad 2, ubi ex prædicta autoritate Gregorii docet amorem esse notitiam, scilicet experimentalem; quia, ut vidimus ex S. Bonaventura, experientia est objecti cuiuslibet

potentiae praesentialis actus et notitia sive perceptio; quilibet namque potentia suum percipiendo objectum, dicit vere et cognoscit illud.

### ARTICULUS III.

#### UTRUM IN EXERCITIO THEOLOGIÆ MYSTICÆ ANIMA CONTEMPLATIVA TANTUMmodo PATIATUR.

Quod in exercitio Theologiae mysticæ patiatur anima contemplativa, certum est et autoritate et ratione. Authoritate quidem tum sacrae Scripturæ, tum sanctorum Patrum: S. Paulus Apostolus ait: « Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei »; et Dionysius princeps Theologiae mysticæ dicit de Hierotheo, quod « erat divina patiens.» Ratione vero, quia exercitium Theologiae mysticæ procedit a principio formalí elicitivo supernaturali, quod anima contemplativa debuit sibi divinitus infusum recepisse; et insuper ad tale exercitium a Deo applicatur: quæ duo passionem important.

Sed difficultas est inter authores, utrum anima in tali exercitio tantummodo patiatur, ita ut nihil omnino tunc operetur. Non desunt aliqui dicentes, quod tunc anima se mere passive habet recipiendo: quorum fundamentum est, quia contemplatio supernaturalis non est de genere actionis, sed de genere qualitatis, quia non distinguitur realiter a verbo producto, quod vere est qualitas; et alias nullam secum affert aliam actionem.

Sed tamen vera est theologorum tam scholasticorum, quam mysticorum doctrina, quod in exercitio Theologiae mysticæ non tantum anima contemplativa patitur, sed etiam vere per intellectum et voluntatem operatur. Quod probatur authoritate sacrae scripturæ, conciliorum, et sanctorum Patrum. In sacra Scriptura hoc exercitium dicitur in concreto, videre, intueri, conspicere, contemplari Deum, etc.; in abstracto vero dicitur visio, intuitio, contemplatio Dei, ex parte intellectus; ex parte vero voluntatis dicitur in concreto amare et frui; in abstracto autem amor et fruitio: constat autem, quod haec omnia veræ sunt operationes vitales, non solum apprehensivæ objecti, sed etiam productivæ termini. Concilium Viennense definit necessarium esse lumen gloriæ, ut intellectus creatus elevetur ad hoc ut possit Deum videre,

quem videre propria virtute non potest: constat autem, quod si anima se mere passive haberet in divina contemplatione, hoc accideret in visione beatifica, quae est eminentissima, et omnem aliam Dei contemplationem superexcedit. Idem asserunt communiter sancti Patres, ut in adducendis eorum authoritatibus apparebit.

Deinde probatur ratione: est impossibile, quod actio vitalis, ut vitalis est, producatur a principio extrinseco, et non emanet a principio intrinseco illius, quod denominatur et est agens tali actione; ista quippe convertuntur, esse vitale, et esse a principio vitali et intrinseco. Certum est autem, quod in exercitio Theologiae mysticæ duplex intervenit actio vitalis: una ex parte intellectus essentialiter requisita, et est intuitio sive contemplatio Dei; altera ex parte voluntatis, et est dilectio suavissima et fruitiva Dei: unde dimanat utraque ab anima, tanquam a principio vitali et intrinseco per dictas potentias, nec potest esse ab extrinseco, cum per utramque sit et denominetur agens anima; et consequenter anima in tali exercitio non tantum patitur, sed etiam vere per intellectum et voluntatem operatur.

Denique, in exercitio Theologiae mysticæ anima contemplativa vere intelligit et diligit, ut communiter conceditur, imo tale consistit exercitium in utroque, essentialiter quidem in intelligere, compleutive vero in diligere: constat autem quod anima dum intelligit et diligit, vere operatur, per utramque enim operationem producit terminum vitalem; per intellectionem quidem verbum mentis, quod est similitudo expressa rei intellectæ, ut communiter docent tam Philosophi quam Theologi cum D. Thoma 1, p. q. 27, art. 1, dicente: « Quicumque intelligit (et alias objectum non est seipso unitum in ratione intellecti, qualiter contingit in visione beatifica) ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectae ex vi intellectiva proveniens, et ex ejus notitia procedens, et dicitur verbum cordis significatum verbo vocis; » per dilectionem autem producit amorem, qui est quidam impulsus tam ab objecto quam ab ipsa voluntate procedens, ratione cuius objectum amatum est in voluntate hoc modo ipsi proportionato, quo impulsu complete voluntas inclinatur in bonum amatum ab ipsomet bono ut in illo quiescat, ut docet D. Thomas 1 part. quæst. 27, art. 3, dicens: « Secundum operationem voluntatis invenitur in nobis quædam alia processio, scilicet processio amoris,

secundum quam amatum est in amante, sicut per conceptionem verbi res dicta vel intellecta est in intelligente. » Et de utraque processione ait quæst. 37, art. 1 : « Sicut enim ex hoc quod aliquis rem aliquam intelligit, provenit quædam intellectualis conceptio rei intellectæ in intelligente, quæ dicitur verbum; ita ex hoc quod aliquis rem aliquam amat, provenit quædam impressio (ut ita loquar) rei amatæ in affectu amantis, secundum quam amatum dicitur esse in amante, sicut et intellectum in intelligente. » Et ex hoc principio probant Theologi, supposita revelatione, dari processiones in divinis; non potest autem intelligi vera productio termini, absque operatione proprie dicta: et consequenter in exercitio Theologiae mysticæ anima contemplativa non tantum patitur sed etiam vere per intellectum et voluntatem operatur.

Unde, quando reperitur in sanctis Patribus vel Doctoribus, quod operationes supernaturales, quale est exercitium Theologiae mysticæ, sunt ab extrinseco, non sic est intelligendum, quod tales operationes immediate sint ab extrinseco principio, sed tantum mediate, quatenus principium intrinsecum non potest illas elicere, nisi prius perficiatur et roboretur per aliquid extrinsecum, sive non elictum a principio intrinseco, sed extrinsecus adveniens ipsi principio in quo recipitur.

Dicitur autem anima contemplativa, in exercitio Theologiae mysticæ, pati diuina triplici titulo. Prinio, quia debuit prius recepisse principium talis exercitii, sive sit donum Spiritus Sancti, sive aliquid altius et sublimius, cum sit ordinis supernaturalis, ac proinde debeat infundi animæ patienti. Secundo, quia ad tale exercitium a Deo specialiter movente, et sic aliquando fortiter impellente, applicatur anima, quod eam extra se rapiat; unde tunc vere agitur Spiritu Dei. Tertio tandem, quia quamvis anima sic elevata per principium supernaturale, et a Deo fortiter ac suaviter applicata vere operetur per intellectum contemplando, et per voluntatem amando, hujusmodi tamen operationes ita sunt suaves et pacificæ, quod anima potius videatur recipere quam agere. Quod sic explicat V. P. N. Joannes a Jesu-Maria, in theologia tam mystica quam scholastica doctor sublimis, cap. 6 suæ Theologiae mysticæ: « Verum hic magnopere expendendus est ille transformationis modus, sive ille modus adeo arcanus silendi ac defungendi, quem potentis ad animæ centrum introductis evenire asseruimus;

si enim silentium illud est quoddam quasi deliquium, ita ut nec intellectus, nec voluntas operentur, sed dulcissimam tantummodo sustineant Dei operationem, quā fieri potest, ut intellectus sine actu cognoscat, et voluntas sine actu pariter amet? Erunt, qui asseverent intellectum ac voluntatem sine actibus, quos in scholis elicitos appellamus, in sublimissimo Theologiae mysticæ fastigio bene affici, sicut nonnullis visum est, sentire esse quoddam pati. Nos tamen hunc nodum veriore sententia solvemus, asserendo, non prorsus deficere potentiam actu in ea caligine divina, sed esse actus adeo tranquillos et suaves, ut eum aliis incitatis actibus, quos paulo ante eae potentiae proferebant, comparati, eamdem proportionem habere videantur, quam elatus sermo habet cum voce valde summissa; qua si quis utatur juxta cœnobiticam disciplinam, silentium dicitur observare. Quæ sane responsio captu facilis est: præsens quippe tunc Deus, et animæ amantissime blandiens, tam cœlesti suavitate eam ad intelligendum et amandum permovet, ut ipsa non se agere, sed suavissime duei, quasi erumpentes ulro a potentias actus non tam producere, quam pati videatur. Et haec fortasse est illa insignium Herorum passio, quam Hierotheus sustinebat, qui doctus fuisse asseritur non solum discens sive sciens, verum et patiens divina. Et juxta huic dicendi modum responderi debet, eas potentias divinam caliginem ingressas non ita silere, ut nihil omnino agant; sed intellectum altissima et tranquillissima contemplatione, voluntatem suavissima fruitione pasci, at haec in unione mystica tam sedate tranquilleque fieri, ut potentiae silere, hoc est, tam suavi Dei intus agentis actione cieri videantur, ac si prorsus nihil agerent, sed ab alio productos actus tantummodo recipieren. » Hactenus V. Pater. Hoc tamen debet intelligi de anima contemplativa, quandiu verum est dicere quod aliquid cognoscit, sic enim est in exercitio Theologiae mysticæ; nam potest fieri, quod potentiae ipsius non tantum externæ et corporeæ, sed etiam internæ et spirituales omnino suspendantur et absorbeantur, vel ex propria sua debilitate vel ex nimia suavitate percepta; et tunc nullum penitus habent actum, sed jam non esse dicuntur in exercitio Theologiae mysticæ.

Unde ad fundamentum adversariorum dicimus, quod contemplatio supernaturalis est de genere actionis, et non de genere qualitatis, sicut et omnis intellectio, et alia quæcumque actio imma-

nens; et quod intellectio distinguitur realiter a verbo producto. Quamvis autem ab illo non distingueretur, adhuc necessario deberet a potentia vitali procedere, sicut necessario procedit ab illa verbum; non enim potest Deus quamcumque qualitatem supernaturalem immediate per seipsum producere, qualis est illa quæ est terminus actionis vitalis, potest tamen illam producere quæ est principium actionis vitalis, qualis est habitus virtutis, cuius discriminis ratio assignatur: nam qualitas supernaturalis, quæ est habitus virtutis et principium actionis vitalis, ex qua parte est supernaturalis, non potest acquiri viribus naturæ, sed debet infundi divinitus; ex qua vero parte est principium actionis vitalis, requiritur et sufficit quod recipiatur in potentia vitali, et cum illa simul influat per modum totalis virtutis proximæ ad eam actionem supernaturalem, quæ a potentia vitali tanquam a virtute radicali suam habet vitalitatem. Sed qualitas, quæ est terminus actionis vitalis, ut talis terminus, necessario petit procedere a potentia vitali: unde verbum, quod est terminus intellectionis, necessario petit produci a dicente, quod est ipsummet intelligens dum exprimit id quod capit; et quamvis Deus possit immediate aliquid producere in intellectu creato, quod repræsentat quicquid reprezentat verbum, illud tamen sic productum non erit verbum, at solum species et similitudo formalis. Et similiter dicendum de motione seu inclinatione, quæ est terminus volitionis; nam licet Deus possit immediate motionem aliquam imprimere voluntati, non tamen ab illa movebitur voluntas ut a principio perfecte vitali (cum esset ab extrinseco) sicut vitaliter movetur ab illa, quæ est terminus vitalis et intrinsecus suæ volitionis. Ad majorem hujus discriminis evidentiam sciendum est, quod plures sunt gradus vitalitatis: primus et infimus est, et quodammodo tantum extrinsecus, quando recipitur aliquid in potentia vitali, et hoc advenit ab extrinseco potentiae, et dicitur imperfecte vitale; secundus et medius est, quando aliquid producitur a potentia vitali per modum termini intrinseci actionis ipsius, et hoc est perfecte vitale, nec potest non produci a potentia vitali, propter intrinsecam illius dependentiam ab ea; tertius et supremus est, quando aliquid est exercitium potentiae vitalis sive actus ejus secundus, qui intimius unitur potentiae, et multo magis non potest non produci seu elici a potentia vitali, cum ex isto terminus vitalis habeat

necessariam et indispensabilem dependentiam a potentia vitali in sua productione; et hoc vitale dicitur maxime ac perfectissime tale.

#### ARTICULUS IV.

IN EXERCITIO THEOLOGIE MYSTICÆ NON POTEST  
ESSE AMOR, ABSQUE PRÆVIA COGNITIONE.

Ex dictis constat, in exercitio Theologiae mysticæ reperiri tam actum cognitionis sive contemplationis, quam actum amoris, saltem ordinarie loquendo; ita quod actus cognitionis precedat actum amoris, ob naturalem dependentiam in operando voluntatis ab intellectu, fundatam in ejusdem voluntatis ad intellectum in essendo subordinatione. Sed, quia contingit aliquando tales actus separari, dum enim incipit cognitio nondum est amor, et transacta cognitione perdurat amor, dubium occurrit utrum hi duo actus sic possint separari et indifferenter se habere, ut possit a Deo voluntas excitari ad amandum absque prævia cognitione.

Non defuerunt aliqui doctores mystici, qui docuerunt voluntatem animæ contemplativæ per Spiritum Sanctum immediate tangi, absque prævia intellectus cognitione, et per actus anagogicos Deo suaviter sic solam sine commercio intellectus uniri. Quod probant tum authoritate S. Dionysii, tum ratione experimentali. Habetur authoritas in Epistola ad Timotheum, ubi sic ait: « Tu autem, Timothee amice, circa mysticas visiones forti contritione sensus derelinque, et intellectuales operationes, et omnia sensibilia et intelligibilia, et sicut est possibile, ignote consurge ad ejus unitiōnem, quæ est super omnem substantiam et cognitionem. » Ratio autem experimentalis in hoc habetur, quod anima contemplativa sapissime sentit se in voluntate per amorem ferventissimum inflammatam erga Deum, et tamen tunc nihil imaginabile vel intelligibile percipit de Deo in particulari, maxime quia videtur omnis esse cognitio suspensa et velut interdicta.

Sed tamen certissima est communis doctrina, quod est prorsus impossibile, in exercitio Theologiae mysticæ, dari actum amoris in voluntate absque prævia cognitione intellectus, quamvis non ab omnibus percipiatur qui divina patiuntur; tum quia cognitio tunc est confusa, et non particularis ac distincta, unde anima cognoscit

non cognoscendo ut Christus Dominus dicit S. M. N. Theresiae, cap. 19 Vitæ ipsius, nam cum ipsa scire vellet, quid in illa mystica unione operaretur intellectus, respondit illi : « cum non possit comprehendere quod intelligit, est non intelligere intelligendo ; » tum quia præ claritate nimia quodammodo offuscatur intellectus, unde præ altissima et supereminentissima Dei cognitione videtur anima potius Deum ignorare quam cognoscere; quod paucis dicit verbis Taulerus libro Institutionum cap. 12 : « Præ cognitione, ait, ibi sit absque cognitione, et præ amore absque amore; » et Blosius cap. 12, Spiritualis Instit. ait : « Hinc præ cognitione facta sine cognitione in solo amabili, nudo, simplici et ignoto Deo quiescit; lux quippe divina propter nimiam sui claritatem inaccessibilis est, unde et caligo appellatur; » tum quia præ vehementi amore et delectatione, qua fruitur anima contemplativa in tam intima unione cum Deo, sic absorbetur ejus intentio, quod non advertat se aliquid intelligere.

Hæc communis doctrina probatur tum authoritate Doctorum in Theologia mystica, tum ratione. Et quamvis plures adduci possent authoritates, paucas tamen adducere sufficiet. Prima sit Dionysii cap. 1, de mystica Theologia, ubi sie ait : « Tunc vero ipsa quoque visibilia atque intellectualia contemplator linquens, ingreditur ignorationis mysticam profecto caliginem; in qua omnia scientiae et cognitionis præsidia terminans, totus in eo sit, qui tactum penitus visumque refugit, transcenditque omnia, et qui nullius est, neque suimet, neque alterius, penitus autem ignoto scientiae omnis, et cognitionis vacatione præstantiore modo conjunctus; et eo quoque ipso, quod nihil cognoscit, supra sensum mentemque cognoscens. » Et cap. 7, de Divinis Nominibus, sic ait : « Est rursus divinissima Dei cognitio, quæ est per ignorantiam cognita secundum unionem super mentem, quando mens ab omnibus aliis recedens, postea et seipsam dimittens, unita est, supersplendentibus radiis inde et ibi non scrutabili profundo sapientiae illuminata. » Quibus locis sanctus Doctor Theologiae mysticæ, requirit in ejus exercitio cognitionem Dei præviam unioni, quæ cognitio sit per ablationem ac remotionem, tantumque ab ea cognitionem per positionem ac assertionem excludit, ut ipsam constat verbis illius, et expositorum ejus declaratione statim adducenda. Huic debet adjungi Augustinus dicens : « incognita nequaquam possunt amari. »

Secunda sit authoritas expositorum S. Dionysii. Ambrosius Florentinus, Generalis Camaldulensem, primum Dionysii locum sic exponit : « Tunc quando contemplator ad mysticam Dei cognitionem adspirat, creaturarum omnium tum corporearum tum incorporearum imagines relinquens, secretam quandam in nebulam abdit se, ubi mira est ignoratio. Ibi enim amittit omnia scientiae cognitionisque adminicula, hoc est simulacra, quibus hominis nititur cognitio ; jamque omni obstaculo expeditus, totus per voluntatem sive affectum fit, hoc est, transformatur in eum qui tangi viderique nequit a viatoribus, et qui cum sit Dominus universorum, nec seipso altior esse queat, nullius est, nec sui quidem ipsius. Modus autem transformationis hic est, ut Deo penitus per assertiones ignoto, scientiae omnis et cognitionis assertricis vacatio, præstantiore modo, id est, per ablationem seu negationem cognoscens, affectu intimo conjungatur. Et eo ipso quod nihil asserendo, sed omnes positiones auferendo cognoscit, altius multo Deum supra sensum mentemque, hoc est, mentis conceptum assertivum agnoscit. » Eodem sensu hunc locum interpretatur Dionysius Carthusianus. Secundum vero locum sic interpretatur D. Thomas : « Rursus autem est alia perfectissima Dei cognitione, per remotionem scilicet, quod cognoscimus Deum per ignorantiam, per quandam unionem ad divina supra naturam mentis, quando scilicet mens nostra recedens ab omnibus aliis, et postea etiam dimitiens seipsam unitur supersplendentibus radiis Deitatis, in quantum scilicet cognoscit Deum esse non solum supra omnia quae sunt infra ipsam, sed etiam supra ipsam, et supra omnia quae ab ipsa comprehendi possunt. Et sic cognoscens Deum in tali statu cognitionis, illuminatur ab ipsa profunditate divinae sapientiae, quam perscrutari non possumus : quod enim intelligamus Deum esse supra omnia non solum quae sunt, sed etiam quae apprehendere possumus, ex incomprehensibili profunditate divinae sapientiae provenit nobis. »

Tertia sit authoritas omnium pene Doctorum in Theologia mystica ; rari namque sunt, qui non expresse doceant ad actum amoris prærequiri actum cognitionis ; alii supponunt tanquam certum ; et si qui contrarium videantur dicere, solum excludunt actum cognitionis distinctæ per positiones et assertiones. Unde dimissis aliis sufficiat nunc indicare nostrum Thomam a Jesu libro 5 de contem-

platione divina cap. 13, et adducere V. P. N. Joannem a Jesu-Maria cap. 5 suæ Theologiæ mysticæ, ubi sic ait : « At hic sum-mopere annotandum est, quod a nonnullis Theologis mysticis traditur, fortasse non tam digestum ac expediret, cum aiunt his motibus anagogicis vel aspirationibus, omni cogitatione, meditatione, vel alio intellectus actu prætermisso, voluntatem quoties libet ad unionem divinam se erigere, ac mirifice præcurrere intellectum, annotandum, inquam, assertionem hanc non ita indigeste accipendam; sive enim expendatur scholasticus in amorem assurgendi modus, sive mysticus, sive hic anagogicus, quos hucusque descripsimus, omnino notum videtur, semper aliquem, saltem simplicem, intellectus conceptum præire, antequam voluntas illis motibus amoris incalescat, et sapientiae unitivæ nexus Deo advinciatur; tametsi necessarium non sit, cogitationem, meditationemve præire. Quod nulla ratione efficacius revinci posse videtur, quam historia illa de familiarissimo fratribus Aegidii ex comitibus S. Francisci raptu : mox enim ac Dei, vel cœli, nomen audiebat, citissimo quasi pennatæ voluntatis motu in Deum extra se tollebatur. Ubi manifeste cernimus, necesse fuisse, ut sub nomine Dei vel cœli quod audiebat, simplici saltem conceptu Deum cœlumve intelligeret. Erat autem simplex ejusmodi conceptus, ob ante actas Dei cœlive meditationes et contemplationes, tam fœcundus et efficax ad voluntatem impellendam, ut voluntas meditatione vel ratione ulla tunc minime indigeret, sed tempus antevertentis in satis sibi nota bona quantocius prosiliret. »

Denique probatur ratione : voluntas, ut communiter conceditur, est appetitus intellectualis et rationalis in homine, qui licet tam in ordine naturæ, quam in ordine gratiæ, præmoveatur a prima et universalı causa utriusque ordinis, Deo scilicet ipsam ad operandum applicante juxta modum ejus, ipsa tamen se sub illa præmotione movet etiam ad operandum, seu ad tendendum in bonum quod est formale objectum ejus ; ea namque est differentia inter appetitum naturalem et appetitum elicitum, quod per appetitum naturalem res solum movetur ab extrinseco, seu a generante causante talem appetitum, per appetitum autem elicitum res seipsam proxime movet ad bonum quod appetit. Est autem impossibile, quod sit appetitus aliquis boni, absque prævia cognitione moventis ad bonum, motio siquidem ad bonum præsupponit intentionem ipsius, tanquam

executio talis intentionis; unde quia quod movetur appetitu solo naturali, sic movetur quod non se moveat ad bonum, inde est quod non debet in ipso præsupponi cognitio boni, sed tantum in illo a quo movetur; quod autem movetur appetitu elicito, sic movetur quod etiam se moveat, inde est quod debet præsupponi cognitio boni, non solum in eo a quo movetur, sed etiam in ipso quod se movet: cuius ratio universalis est, quia ordo executionis in physica reali motione appetitus consistens, necessario præsupponit ordinem intentionis incipientem a cognitione boni intenti, ut constat ex communi doctrina Philosophorum moralium. Ex hac vero differentia appetitus naturalis et eliciti, docent authores quod appetitus naturalis sequitur formam naturalem, juxta cuius conditionem et exigentiam movetur a generante, a quo talis forma processit; appetitus autem elicitus sequitur formam apprehensam, sive speciem in cognitione acquisitam, qua moraliter ad bonum in ea apprehensum movetur. Docent etiam consequenter, quod in Deo universalis motore omnium debet esse cognitio universalis omnium rerum quas movet, et finium ad quos movet.

Unde facile ex dictis dissolvitur fundamentum adversariorum: nam quantum ad authoritatem S. Dionysii, jam dictum est, quod solum vult excludere ab anima, quam ad divinam dirigit unionem, sensitivam et intellectualem Dei cognitionem, quæ est per positionem et affirmationem earum perfectionum quæ reperiuntur in creaturis, ac proinde distinctam et particularem; non autem vult excludere cognitionem ipsius, quæ est per negationem ac remotionem earumdem perfectionum, ac proinde confusam et generalem. Quantum vero ad rationem dicendum, quod solum probat amorem esse posse ferventissimum erga Deum, absque aliqua cognitione particulari et distincta ipsius, de hoc enim procedit experientia; non autem probat, quod aliqua cognitio, saltem confusa, generalis et simplex non debeat præcedere actum amoris: quomodo namque diligenter anima tam ferventer quod penitus ignoraret? Unde merito Philosophi docent, quod objectum voluntatis est bonum cognitum, ita ut bonitas sit ratio formalis Quæ illius, et cognitio sit conditio sine Qua non bonitas appetitur.

## ARTICULUS V.

IN EXERCITIO THEOLOGIÆ MYSTICÆ, POTEST VOLUNTAS PLUS  
AMARE QUAM INTELLECTUS COGNOSCERE.

Simul operantur in exercitio Theologiæ mysticæ intellectus et voluntas, ita quod incipit intellectus, sequitur voluntas, et ambæ potentiae se simul concomitantur in operis decursu. Utrum autem pari cursu procedant, et æque fortiter ac intense operentur, dubitant authores : quidam asserunt, quod tanta est voluntatis ab intellectu dependentia tam in esse quam in operari, ut sicut non potest absolute voluntas aliquid velle, nisi præcesserit cognitio intellectus, sic nec potest intensius aliquid velle, quam cognoscat intellectus, quasi voluntatis operatio reguletur ab operatione intellectus, et quoad substantiam et quoad modum. Quod probari potest ex hoc communi principio Philosophiæ : sicut se habet simpliciter ad simpliciter, sic se habet magis ad magis ; unde sicut operari simpliciter voluntatis sequitur ad operari simpliciter intellectus, sic magis operari voluntatis in amando sequitur ad magis operari intellectus in cognoscendo.

Sed tamen certior est et communior contraria sententia, quod scilicet in exercitio Theologiæ mysticæ potest voluntas plus amare quam intellectus cognoscere. Hanc docent discipuli D. Thomæ cum ipso Doctore Angelico pluribus locis sue doctrinæ, sed expressius 1, 2, quæst. 27, art. 2, ad 2, ubi sic ait : « Aliquid requiritur ad perfectionem cognitionis, quod non requiritur ad perfectionem amoris. Cognitio enim ad rationem pertinet, cuius est distinguere inter ea quæ secundum rem sunt conjuncta, et componere quodam modo ea quæ sunt diversa, unum alteri comparando : et ideo ad perfectionem cognitionis requiritur, quod homo cognoscat sigillatim quidquid est in re, sicut partes, et virtutes, et proprietates. Sed amor est in vi appetitiva, quæ respicit rem secundum quod in se est : unde ad perfectionem amoris sufficit, quod res prout in se apprehenditur, ametur ; ob hoc ergo contingit, quod aliquid plus ametur, quam cognoscatur, quia potest perfecte amari, etiamsi non perfecte cognoscatur. Sicut maxime patet in scientiis, quas aliqui amant propter aliquam summariam cognitionem, quam de eis habent,

puta quod sciunt Rheticam esse scientiam, per quam homo potest persuadere, et hoc in Rheticâ amant. Et similiter est dicendum circa amorem Dei. »

Idem docet S. Bonaventura Itiner. 5, æternitatis dist. 5, citans Hugonem, Vercellensem et alios. Ait enim : « Ex his igitur patet plane, quod actus dilectionis excellit et præcedit actum cognitionis intellectualis in aliquo gradu. In quantum autem illum excellit, in tantum eum excedit, attingendo Deum in aliquo gradu dilectionis, ad quem actus intellectualis extendi non potest, quia superintellectualis est, saltem in hac vita, quia in patria videbimus Deum sicuti est, ut dicit Joannes. Nec obstat quod dicit Augustinus : incognita nequaquam possunt amari; quia est notitia aliqua non intellectualis, sed affectualis seu experimentalis. Cum prædictis concordat Hugo commentator Dionysii, dicens sic super 7 Angelicæ Hierarchiæ : « Intelligas quanta est vis veri amoris et dilectionis, si tamen intelligi potest, quoniam dilectio supereminet scientiæ, et major est intelligentia; plus enim diligitur quam intelligitur : intrat dilectio et appropinquat ubi scientia foris stat. » Et reddit rationem : « quia amor, inquit, præsumens et confidens amato, suo acumine penetrat omnia, impetum sequens ardoris desiderii sui, nec dissimulari valens donec ad amatum perveniat, et eo ipso amplius adhuc sitiens intrare ipsum, et esse cum ipso, et esse tam prope, ut si fieri possit, hoc idem ipsum sit quod ipse. » Ecce expresse dicit, quod verus amor Dei venit Deo immediatus quam intellectio, et quod intellectus non capit. Sic ergotalis notitia affectualis est superior intellectuali. Cum his concordat per omnia Vercellensis super Cantica dicens quod affectus et intellectus simul coambulant usque ad novissimum defectum intellectus, ubi habet suæ cognitionis et sui luminis consummationem. Affectus autem adhuc continet principalia in Deum suspiria, superintellectuales extensiones et immissiones, fervidos fulgores, et fulgidos fervores; ad quorum omnium sublimes excessus, et extendentes sublimitates intelligentia trahi non potest, sed solum principales affectus Deo unibiles. » Hæc S. Bonaventura.

Deinde probatur experimentalis sanctorum ratione, qui hanc doctrinam perspicue cernunt, et experiuntur in arcano Spiritus Sancti tactu et amplexu ineffabili animæ, quod omnem præviam intellectus notitiam transcendit; ex quo major dilectio seu amor summi

illius boni excitatur, quam fuerit ejus prævia cognitio, et ex hac experimentalı notitia lux cognitionis derivatur in intellectum, juxta illud : « Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus. » In illo gradu intensionis, in quo voluntas præcedit intellectum, Deo unitur, ipsumque in altiori gradu degustat, ad quem intellectus attingere non potest, sed potius ad intellectum ex prægustata unione cum Deo voluntatis perfectior ac magis sapida de Deo notitia derivatur.

Intellectus igitur in divina constitutus caligine, cœlestique perfusus lumine Deum summe bonum, infinitum, incomprehensibilem, immensem, infinitæ majestatis, pulchritudinis ac perfectionis cognoscit, divinamque quodammodo suavitatem odoratur; sed haec cognitio valde debilis est, et in caligine facta et penitus speculativa. Verum, cum Deus ipse illabitur intimius in voluntatem, et sic animam amplexatur, ac suavissime deosculatur, tunc voluntas Deo adhaerens, et tactum illum gloriae, ac gustum vite æternæ percipiens, majorem notitiam experimentalem per unitivi amoris amplexum acquirit, quam speculative noverat intellectus; imo perfectior et clarior inde resulget intellectui Dei cognitio, ac multo certior et nobilior quam per alias scientias et media posset acquiri.

Nec illud principium Philosophiae locum hic habet: non enim sic voluntas dependet ab intellectu, quod quantum ad modum intensionis in operando debeat ab eo regulari. Cujus ratio est, quia solum prærequiritur cognitio intellectus, tanquam conditio sine qua non ad ejus operationem; sed illa posita potest voluntas ex immediata Dei per intimum illapsum conjunctione ac ejus vivifico tactu notitiam experimentalem seipsa acquirere, et percipere quam suavis est Dominus, et ex illa propria sibi notitia in ferventissimum summi illius boni percepti amorem excitari, supposita tamen prius in intellectu cognitione confusa earum quæ in tali unione degustat, nam seclusa illa nihil omnino perciperet, quia ut dictum est, objectum voluntatis est bonum aliquo modo cognitum, non potest autem potentia ferri extra suum objectum, aut aliquid aliud ab illo percipere. Proposito autem voluntati bono divino prius utcumque cognito, potest Deo specialiter movente in amorem illius amplius accendi quam fuerit intellectus ejus cognitione perfusus.

## ARTICULUS VI.

THEOLOGIA MYSTICA SUOS HABET TERMINOS, ET PROPRIAS  
PHRASES, QUIBUS UTITUR.

Commune est scientiis et artibus suos habere terminos et proprias phrases, quibus res in seipsis usitatas ac veritates pertractatas declarant, ut inductione universali probari posset. Sufficiat nunc in exemplum adducere sacram Scripturam, quæ suis terminis divinas exprimit veritates et perfectiones, quibus ad illas exprimendas extra ipsam uti non licet: divinam fortitudinem vocat furorem, ejus justitiam vindicativam vocat iram, et sic de aliis. Et tamen constat hujusmodi terminos ac phrases in Scriptura sacra aptissime usurpari, cum a Spiritu Sancto sacram Scripturam inspirante, imo singula verba dictante inducantur. Propterea S. Augustinus Tractatu 2 in Joannem, exponens illa verba, « Qui non ex sanguinibus, » quæ juxta grammaticos non videntur propria, sic ait: « Dicamus ergo, non timeamus ferulas grammaticorum, dum tamen ad veritatem solidam, et certiorem sensum perveniamus; reprehendit qui intellegit, ingratus quia intellexit. »

Si scientiis et artibus aliis facultas haec concedatur, novos adveniendi terminos, et inusitatas formandi phrases, cum ad exprimendas veritates suas necessitas compulerit, multo magis concedi debet huic divinissimæ scientiæ Theologiae mysticæ, quæ cum divinas veritates intimius ac profundius scrutetur, quam a sacra Scriptura proponantur, et a Theologia scholastica discutiantur et examinentur, singularis debet esse in suis terminis ac phrasibus, ut tam secretas veritates, tam arcana mysteria, tam absconditas valeat notitias mortalibus enuntiare, qui haec non assueta capere vix possunt. De quibus sic ait S. Bonaventura, Itinerarii mentis in Deum cap. 7: « Si autem quæras, quomodo haec fiant? interroga gratiam, non doctrinam; desiderium, non intellectum; gematum orationis, non studium lectionis; sponsum, non magistrum; Deum, non leninem; caliginem, non claritatem; non lucem, sed ignem totaliter inflammantem, et in Deum excessivis unctionibus et ardentissimis affectionibus transferentem. » Aliquas indicabi-

mus tantum, et breviter in præsenti phrases Theologiæ mysticæ, quas suo loco fusius declarabimus.

Prima est, INGREDI DIVINAM CALIGINEM, vel ASCENDERE AD SUPER-ESSENTIALEM DIVINARUM TENEBRARUM RADIUM. Idem enim sunt; et utriusque frequentem facit mentionem S. Dionysius, aliique doctores mystici ejus interpres. Quæ duo nihil aliud significant, quam accedere, contemplationis causa, ad illam lucem inaccessibilem quam Deus inhabitat: quæ propter excellentiam et excessum claritatis suæ supra vires intellectus creati, causat in eo caliginem sive etiam tenebras, per quandam ejus offuscationem; quod patet ex analogia ad lucem materialem solis, quæ propter excessum offuscando debiliores oculos, caliginem et tenebras in eis producit.

Secunda est, INCURRERE VEL HABERE MACULAM. Nominе maculæ mystici doctores non solum intelligunt maculam peccati, sed quemcumque defectum vel superabundantis cogitationis, vel etiam nescientiæ. De primo sic ait Gilbertus Abbas Serm. 1, in Cantica: « Heu me, quomodo circumfulget dies ista? quomodo affectum meum arripuit ad se? Ubique erumpunt et emergunt in cogitatum cuncta, quæ spiritum vel turbent, vel deturpent; licet enim animus castigatiore repellat illa proposito, solo tamen irruentum cogitationum sordidatur attactu: non important, cum violenter importantur, culpam aliquam; tamen injuriam irrogant affectatae munditiæ. » Quod adhuc magis explicat S. Bonaventura, dum Opusc. 1. de septem Itineribus æternitatis, exponens hæc verba Canticorum, « Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos? » Sic ait: « Quomodo inquinabo eos iterum umbris et imaginibus temporaliū? Cum etiam intellectuales operationes et formæ in superintellectuali exercitio reputentur maculæ et offendicula. » Cujus dicti rationem sive radicem aperit D. Thomas quæst. 13, de veritate art. 4, dicens: « Per se impediunt se invicem intellectivæ et sensitivæ operationes; tum per hoc quod in utriusque operationibus oportet intentionem esse; tum etiam quia intellectus quodammodo sensibilibus operationibus admisceetur, cum a phantasmatibus accipiat. Et ita in sensibilibus operationibus quodammodo intellectus puritas inquinatur. » — De secundo dicit S. Dionysius, quod superiores Angeli purgant inferiores, scilicet a nescienti vel defectu cognitionis, dum eos illuminant; purgatio autem supponit maculam.

Tertia est, IN CONTEMPLATIONE SILENTIUM ET OTIUM SERVARE, quæ sæpius apud mysticos occurrit. Unde S. Bernardus Serm. 1, in Cantica sic ait : « Quid si ad intentionem dilecti et nox operatur ? cooperatur plane, et accommodate satis : sicut in lectulo sanctæ quietis accipis otium, sic oblivionem quandam intellige in nocte. Nec Salomon vult te scribere sapientiam nisi in tempore otii ; nec Paulus in anteriora extenditur, nisi prius eorum quæ retro sunt oblitus. In umbra rerum visibilium oblivionem aliquantam accipe, in nocte omnimodam. Quis mihi dabit sic advesperascere ? Dilectio ipsa hanc noctem inducit, quæ reliqua omnia nec respicit, nec notare putat, dum ad illum quem diligit intenta suspirat. » Et S. Bonaventura libro 1, de Profectu Religiosorum sic ait : « Perfectio memoriae est, ita hominem in Deum esse absorptum, ut etiam suiipsius et omnium quæ sunt obliviscatur, et in solo Deo, absque omni strepitu volubilium cogitationum atque imaginationum, suaviter quiescat. Hoc sacrum silentium et otium contemplationis non sic important suspensionem intellectus, quasi nihil omnino tunc operetur, cum contemplari sit operari; sed excludit actus incitatos intellectus, quibus circa plurima turbatur, et includit actus tantum suavissimos, quibus potius anima Deum loquentem auscultat, quam ei loquatur, et quibus potius in ipso possesto quiescit, quam ad eum inquirendum laboret. »

Quarta est, dicere quod IN STATU UNIONIS ANIMÆ CUM DEO, IPSA ANIMA ANNIHILATUR, DEFICIT IN SEIPSA, etc. Per quæ non intelligitur quod ipsa sic destruatur ut nihil ejus remaneat, quomodo philosophi annihilationem intelligunt ; sed solum intelligitur, quod tunc anima sic seipsam despicit, sic sui obliviscebitur et omnium rerum creatarum, ut nullam earum memoriam, affectum et cogitationem apud se retineat, solo contenta Deo cui se totaliter tradidit.

Quinta est, dicere quod in eodem statu unionis intimæ LIQUEFIT vel LIQUEFACTA EST ANIMA, ut asserit in Canticis sponsa de seipsa dicens : « Liquefacta est anima mea. » Quam explicans S. Bernardus Libro de diligendo Deo, sic ait : « Quomodo stilla aquæ multo infusa vino deficeret a se tota videtur, dum et saporem vini inducit et colorem ; et quomodo ferrum igneum et candens igni simillimum fit, pristina propriaque forma exutum ; et quomodo solis luce perfusus aer in eandem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus, quam lumen ipsum esse videatur : sic omnem in

sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit a semetipsa liquefcere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. Alioquin quomodo omnia in omnibus erit, si in homine quidquam supererit? > Hæc igitur animæ liquefactio fit per omnimodam ejus conformitatem ad voluntatem Dei, per hoc quod ejus voluntas penitus transfunditur in voluntatem Dei.

Sexta est, dicere quod ANIMA TRANSFORMATUR IN DEUM. Quod debet intelligi non per transmutationem propriæ naturæ in Divinam, hoc enim est impossibile; sed per remotionem propriæ naturæ in perfecta participatione divinæ naturæ per eximum donum gratiæ sanctificantis, divini intellectus per sublime lumen contemplationis, divinæ voluntatis per ferventissimum amorem, et omnium divinarum perfectionum per alia dona supernaturalia: sic enim renovata anima, videtur in Deum transformata per eminentem naturæ ac perfectionum ipsius participationem, quæ est quadam forma Deitatis superinducta formæ naturali; qui enim superinduit novam formam, vere dicitur transformatus in illam. Hanc transformatiōnem animæ describens S. Bernardus Tractatu de diligendo Deo sic ait: « Eo certe defecatior, et purior, quo in ea de proprio nihil jam admixtum relinquitur; eo suavior et dulcior, quo totum Divinum est quod sentitur: sic affici deificari est. » Sed clarius loquitur de vita solitaria ad Fratres de monte Dei, dicens: « Super hanc autem alia est adhuc similitudo Dei in tantum proprie propria, ut non jam similitudo, sed unitas spiritus nominetur, cum sit homo cum Deo unus spiritus, non tantum unitate volendi idem, sed expressiore quadam unitate virtutis aliud velle non valendi. Dicitur autem hæc unitas spiritus, non tantum quia efficit eam, vel afficit ei spiritum hominis Spiritus Sanctus, sed quia ipse est Spiritus Sanctus Deus charitas; cum per eum, qui est amor Patris et Filii, et unitas, et suavitas, et bonum, et osculum, et amplexus, et quidquid commune potest esse amborum in summa illa unitate veritatis, et veritate unitatis, hoc idem homini suo modo sit ad Deum, quod cum substantiali unitate Filio est ad Patrem, vel Patri ad Filium: cum modo ineffabili incogitabilique fieri mereretur homo Dei, non Deus; sed tamen quod Deus est ex natura, homo ex gratia. »

Septima est dicere, quod DEUS IN STATU UNIONIS INTIMÆ SPONSALITIA ET MATRIMONIUM SPIRITUALE INIT CUM ANIMA, de quibus lo-

quens S. M. N. Theresia Mansione 7, cap. 2, et afferens differentias inter sponsalitia et matrimonium spirituale dicit: « Prima differentia in hoc est, quod omnes gratiae in sponsalito spirituali a Domino factae, videntur fieri mediis sensibus et potentiis; sed ista unio matrimonii spiritualis fit in centro interiori animæ, ubi apparet Dominus in visione intellectuali magis delicata quam in gradibus præteritis. Secunda est, quod in matrimonio spirituali complacuit suæ divinæ majestati sic animæ se conjungere, quod ad instar eorum qui separari non possunt, non vult amplius ab ejus societate discedere. » Et merito hæc unio inchoata dicitur sponsalitum, perfecta vero et fixa dicitur matrimonium spirituale; quia per eam anima fit unus spiritus cum Deo, juxta illud Apostoli: « Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo, » sicut in matrimonio corporali contrahentes efficiuntur una caro. Ad hanc autem intimam unionem animæ cum Deo tres reperiuntur gradus perfecti spiritus: nam ibi debet esse spiritus in spiritu, spiritus supra spiritum, et spiritus sine spiritu. « Spiritus in spiritu tunc esse asseritur, ait Bonaventura de septem Itineribus aternitatis dist. 3, quando exteriorum omnium obliviscitur, et illa solum intelligit quæ in spiritu et circa spiritum actitantur. » Vel, ut ait Richardus lib. 5, de Contemplatione cap. 12: « Spiritum esse in spiritu, est semetipsum intrare, et intra semetipsum totum colligere, et ea quæ circa carnem seu etiam in carne geruntur, penitus ignorare. » Spiritus supra spiritum esse dicitur, quia, ut ait Hugo de S. Victore in cap. 7, Angelicæ Hierarchiæ, « miro modo fit, ut per dilectionis ignem in illum sustollatur, qui est super se, et per vim amoris expellatur, ut exeat a se, nec se cogitet dum Deum solum amat. » « Spiritus sine spiritu esse dicitur, ut ait idem Richardus, quando ab humano in Divinum videtur deficere, ita ut ipse jam non esse videatur. »

Octava est, dicere quod in statu intimæ unionis DEUS OSCULETUR ET AMPLECTATUR ANIMAM, juxta illud sponsæ desiderium: « Osculetur me osculo oris sui, » Et: « Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplectabitur me. » Per osculum autem nihil aliud significatur quam summa quædam suavitas animæ a Deo infusa in Divini Spiritus communicatione: per osculum enim materiale, ex quo fit ista derivatio, spiritus seu halitus se suaviter osculantum mutuo communicatur. Per amplexum autem, significatur quidam tactus substantialis animæ a Deo factus, qui sapit aternæ vitæ delicias.

Nona est, dicere quod in intima illa unione ANIMA DEO SEU VERBO SPONSO FRUITUR. De qua sic loquitur Bernardus Serm. 85, in Cantica : « Pergat quis forsitan querere a me, quid sit Verbo frui? Respondeo, querat potius expertum, a quo id querat. Aut si id mihi experiri daretur, putas me posse eloqui quod ineffabile est? Audi expertum : « Sive mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis. » Hoc est : aliud mihi cum Deo solo arbitro, aliud vobiscum; mihi illud licuit experiri, sed minime eloqui. O quisquis curiosus es scire quid sit hoc Verbo frui! Para illi non aurem, sed mentem ; non docet hoc lingua, sed docet gratia: absconditur a sapientibus et prudentibus, et revelatur parvulis. Magna, fratres, magna et sublimis virtus humilitas, que promeretur quod non docetur ; digna adipisci quod non valet addisci ; digna a Verbo, et de Verbo concepire quod suis ipsa verbis explicare non potest. Cur hoc? non quia sit meritum, sed quia sit placitum coram Patre Verbi sponsi animæ Jesu Christi Domini nostri. Non potest igitur verbis exprimi, quid sit Deo frui; solum indicatur confuse quod est in eo suaviter in hac intima unione possesso mirabiliter delectari. »

Decima est, uti potius terminis negativis quam positivis, dum a Deo perfectiones hic repertas removemus potius quam affirmemus de eo. De quo sic Dionysius ait cap. 2, cœlestis Hierarchiæ : « Si igitur negationes in Divinis veræ, affirmationes vero incompactæ, obscuritati arcanorum magis apta est per dissimiles formationes manifestatio. Quin vero et quod nostrum animum reducant magis dissimiles similitudines, non existimo quemquam bene sapientem contradicere : consequens est, per pretiosiores sacras formationes seduci, auriformes quasdam existimantes esse cœlestes essentias, et quosdam viros fulgureos decora indutos vestimenta, candidum et igneum innocue respergentes : quod quidem ne paterentur, qui nihil visibilibus bonis altius intelligent, sanctorum Theologorum restitutiva sapientia ad indecoras similitudines mirabiliter descendit, non concedens materiale nostrum in turpibus imaginibus quiescere, purgans vero sursumque ferens. » Quibus verbis sanctus doctor mysticus non solum ab angelis removendas docet omnes figuræ corporeas ; sed etiam docet, quod alibi docuit, potius utendum terminis negativis quam affirmativis, ad significandam perfectionem Divinam, removendo scilicet a Deo singulas perfectiones in creaturis repertas : non quod hujusmodi perfectiones secundum

suum formalem conceptum præcise non sint in Deo, sed quia non sunt in eo secundum modum limitatum et imperfectum quem habent in creaturis, et secundum quem a nobis concipiuntur. Unde melius utitur Theologia mystica terminis negativis quam positivis; et adhuc melius nominibus superlativis, ut cum dicitur sapientissimus; vel etiam terminis excessivis, ut cum dicitur supersapiens. Ad hæc reducuntur termini dissimiles et contrarii in eadem phrasi, ut cum S. Dionysius loco citato volens declarare summam illam pacem quæ exuperat omnem sensum, qua gaudet anima in exercitio Theologiae mysticæ, vocat eam immanem.

Hæc sunt præcipuae phrases mysticæ, quæ indoctis et inexpertis in hac doctrina difficultatem generare poterant: unde brevitatis causa pluribus aliis nunc dimissis, opus fuit simul in principio hujus operis eas proponere, et aliquantulum examinare ac explicare, ne sàpius in decursu operis occurrentes sua difficultate legentem suspenderent et retardarent. Majorem earum explicationem propriis reservamus locis; in earum namque declaratione ac expensione tota pene hæc doctrina mystica consistit. Facilius tamen animus hac brevi simul omnium declaratione præventus, singulas hinc inde sparsas penetrabit; quælibet enim intellecta ad aliarum intelligentiam plurimum conductit.

## ARTICULUS VII.

### MODUS PERVENIENDI AD EXERCITIUM THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

Etsi cœleste et angelicum hoc exercitium specialiter descendat a Patre luminum, cum sit supernaturale, et quoddam jubar divinum ab increata ejus luce derivatum, ac luminis gloriæ quædam modificata participatio, unde propria non potest hominis industria acquiri, sed debet infundi divinitus; requiritur tamen ex parte hominis apta dispositio puritatis ac munditiæ cordis, tranquillæ serenitatis animi, ne ejus impuritate lumen illud offuscetur, et perturbatione dissipetur. Hæc autem dispositio, velut apta et connaturalis illi lumini, debet etiam principaliter a Deo procedere; ad eam tamen cooperatur homo auxiliis divinæ gratiæ præventus et roboratus. Et licet de hac secunda parte fusius agendum sit, ubi di-

citur quæ et qualis dispositio requiritur in homíne, ad supernaturalem Dei contemplationem et ad unionem voluntatis inde consequentem, in quibus exercitium hoc Theologie mystice consistit; aliquid tamen in præsenti circa hoc breviter dicetur, ut statim a principio tyrones vitæ spiritualis præparemus viæ perfectionis, ut per eam ad optatum sanctitatis terminum illos dirigamus et perducamus, ut antequam tam arduam et difficultem viam aggrediantur, sciant qualiter in ea procedendum sit, difficultates ibi sœpius occurrentes videant, et pericula frequenter ingruentia prævideant, ne postea eorum concursu deterriti deficiant animo, et ab itinere cœpto recedant; « Minus enim feriunt jacula quæ prævidentur, et nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per patientiæ clypeum munimur, » ait Gregorius.

Primo requiritur magnus ad incipiendum animus, firma ad prosequendum determinatio, ac certum terminandi propositum; sic enim volenti nihil erit difficile ad superandas omnes difficultates, et dimidium facti qui bene cœpit habet. Et certe magnus animus, firma determinatio, et certum propositum requiritur, ut anima contra naturæ corruptæ impetum arduam crucis viam intrare, currere, ac perecurrere valeat; ut præcelsum perfectionis montem magna sollicitudine inquirat, et magno labore condescendat. Scit primam et infimam ejus partem admodum asperam, spinis et tribulis consistam, tenebris obsessam, laboribus et angustiis plenam; scit secundam et superiorem ejus partem, etsi magis arridentem, esse tamen difficultem, ac periculis plenam, quibus proinde ab ulterius procedendo deterretur; scit tertiam et supremam ejus partem, quamvis gloriosam, sua tamen gloria et majestate terribilem ac tremendam esse. Ibi indiget animo, ut cum Deo suiipsius ac omnium creatorum supremo domino colloquatur, et familiariter agat; maxime dum propria erga tantum Dominum tamque eximum sui benefactorem ingratitudinis recordatur, et se divinam ejus majestatem offendisse cognoscit. Indiget animo, ut speciali ejus obsequio se in æternum devoveat.

Secundo requiritur quod ad hujus divinæ scientiæ exercitium recta procedat intentione: si hoc enim in comparandis aliis scientiis exigitur, hoc potiori jure in comparanda hac cœlesti Theologia necessarium erit. Unde non debet vanam addiscendi curiositatem habere, quæ plurimum esset periculosa; nec debet superbam sciendi

vanitatem sectari, quæ plurimum perniciosa foret; imo licet in aliis scientiis comparandis hæc duo possint conducere, quatenus ad earum inquisitionem animam impellunt, in hac tamen comparanda multum obstarent, quia solum per divinam communicationem ac infusionem comparatur. Deus autem vanis et superbis resistit. Propterea debet cum simplicitate, humilitate, et charitate accedere.

Tertio requiritur puritas cordis; cum enim exercitium Theologiae mysticæ sit familiaris conversatio cum Deo, et intima ejus contemplatio, ad illud necessario puritas et munditia cordis requiritur, juxta Christi doctrinam dicentis : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Et certe si ad recipiendam apte materialis solis lucem requiritur munditia et puritas in corpore recipiente, qualis est in diaphanis; quanto major requiretur munditia et puritas cordis ad apte recipiendam hanc mysticam divini solis lucem, ac purissimam contemplationis irradiationem.

Quarto requiritur summa tranquillitas mentis, ut sic pacifica divinam absque passionum tumultu communicationem recipiat, ut sedatis omnibus quæ pacem ejus turbare possent, in exercitio Theologiae mysticæ, Deo pene viso ac summe dilecto frui valeat. Si namque tranquillitas mentis requiritur ad quodcumque speculandum et pertractandum, ne ejus intentio et attentio dissipetur, quanto magis in præsenti requiritur, cum mens ipsa supra seipsam ad Deum contemplandum debeat elevari.

Quinto requiritur silentium et recessus; nihil enim sic ad cordis puritatem et mentis tranquillitatem concurrit ac ista duo, per hoc quod removeant plurima quæ conscientiam deturpare et mentem valent perturbare. Loquaces experiuntur, quot impuritates ex verbis inconsiderate prolati incurvant, quia « qui est inconsideratus ad loquendum sentiet mala, » et quod « in multiloquio peccatum non deerit. » Experiuntur qui se negotiis sacerularibus implicant, quot inde perturbationes et inquietudines mentis etiam nolentes contrahant. Unde anima silendo et a sacerularibus recedendo puritatem cordis et tranquillitatem mentis conservat.

Sexto denique requiritur, ut orationis mentalis studio vacet, seipsum interius colligendo, ac se in Deum erigendo; sic enim divinæ se disponit sapientiæ, ut dicitur Ecclesiastici 39 : « Sapiens suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, et in conspectu altissimi deprecabitur, aperiet os suum in oratione,

et pro delictis suis deprecabitur : si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiae replebit illum. »

Hunc modum et proxim perveniendi ad exercitium Theologiae mysticae simul proponit Dionysius Carthusianus Tractatu de Ponte lucis art. 14, de vera ad mysticam Theologiam dispositione, ubi sic ait : « Cum praetacta Dei contemplatio amorosa et mystica, quae et raptum faciat ac ecstasim, sit nobilissima atque altissima, spiritualissima ac divinissima operatio hominis, ad ipsam exigitur præcipua abstractio mentis ab exterioribus, ac summa recollectio ejus in se, et simplificatio sui in Deo purissima, quatenus nullo inordinato affectu, nulla consideratione circa creatuam, nulla occupatione distractiva impediatur aut retrahatur a summo et increato objecto. Itaque ad hanc unitivam sapientiam mysticam contemplationem uno modo pertingit homo, seipsum excitando ac disponendo ad eam per abstractionem præfatam, per recollectionem et simplificationem, per orationem et meditationem, atque considerationem eorum quae divinae dilectionis fervorem magis provocare ac parere solent in animo, donec apex voluntatis valide accendatur, ac pure afficiatur in Deo ; sique vertex intelligentiae desuper illustretur ad contemplandum modo prædicto. » Denique hunc modum ejusque practicam D. Dionysius primo mysticæ Theologiae docens capitulo : « Tu, inquit, Timothee charissime, intentissima contuendis spectaculis mysticis exercitatione, et sensus linque, et intellectuales operaciones, et sensibilia et intelligibilia omnia, et quæ non sunt et quæ sunt omnia, ut ad unionem ejus qui super omnem substantiam omnemque scientiam est pro viribus assurgas. »

« Alio modo, prosequitur idem author, ad contemplationem istam pertingit homo, absque suo conamine ac præparatione prædicta, dum scilicet misericordissime desuper prævenitur, atque divinitus fortiter illustratur, valide inflammatur, gratiosissime præoccupatur, ac mirabiliter nimis perstringitur, in tantum ut etiam resistere nequeat, et quamvis velit, non possit effugere, gratia prædominante ipsi naturæ, non violenter, sed convenientissime. Et primus modus solet esse laboriosus, hic vero est facillimus. » Hinc beatus ait Bernardus : « Quidam trahuntur, qui dicere possunt : Trahe me post te. Alii ducuntur, qui dicunt : Introduxit me Rex in cellam vinariam. Alii rapiuntur. Et primi quidem felices, qui in patientia sua possident animas suas ; secundi feliores, quia ex vo-

luntate sua Domino confitentur ; tertii felicissimi, qui in profundissima Dei misericordia quasi quodam modo sepulta jam arbitrii potestate, in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur, qui spreto ipso rerum ac sensuum usu, non ascensoriis gradibus, sed inopinatis excessibus avolare interdum per supersubstantialem Deum altissimum solent. » Idem author fusius eandem praxim pervenienti ad contemplationem Theologiae mysticæ proponit De laude vitae solitariae cap. 36, apud quem videri poterit; dicta nunc sufficient, maxime quia de hac materia postmodum sermo redabit.

### ARTICULUS VIII.

#### PROPONUNTUR ET SOLVUNTUR OCCURRENTIA DUBIA CIRCA EXERCITIUM THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

Quamvis ex dictis multa sint soluta dubia, quæ circa exercitium Theologiae mysticæ possunt occurrere, solvenda tamen remanent aliqua, hic sigillatim proponenda.

Primum est, utrum in exercitio Theologiae mysticæ, omnes animæ potentiae sint Deo unitæ et æqualiter. Respondetur, quod aliquando in hoc exercitio omnes potentiae animæ sunt Deo unitæ, aliquando vero solus intellectus et voluntas solutis aliis. Quod sic declaratur : ex intimo Dei illapsu in intellectum et voluntatem, tanto splendore lucis divinæ perfunditur intellectus, et tanto fervore divini amoris in Deum supra et extra seipsam rapitur voluntas, ut tunc omnes potentiae partis sensitivæ totaliter suspendantur, ac omnino sopiantur; unde tunc nec imaginatio nec alius sensus interior aut exterior operatur. Cum tamen intellectus et voluntas nobilissimas, sed suavissimas tunc habeant circa Deum suas operationes contemplationis et dilectionis, in hoc sensu dicuntur unitæ, quod non habent operationes dictam unionem impedientes, non enim possunt immediate Deo uniri sicut intellectus et voluntas, sed transacta unione suo modo participant aliquid supernæ delectationis ac fruitionis, quasi micas cœlestis illius convivii. Et tunc dicitur unio totalis; quæ est quedam participatio æternæ gloriae. Contingit autem aliquando, quod non sit tantus divinae lucis splendor, nec tantus divini fervor amoris, ut sic fortiter intellectum et volun-

tatem Deo uniant, quod simul aliae rapiantur potentiae, vel quod perdurante voluntatis et intellectus unione solvatur alia potentia, puta imaginatio vel memoria, ut testatur S. M. N. Theresia c. 17. sua Vitæ, et tunc non ita quieta manet anima. Nec æqualis est semper unio intellectus et voluntatis; potest enim Deus inæqualiter illabi in has potentias, aliquando magis in intellectum per clariorrem divinæ lucis splendorem, aliquando magis in voluntatem per ardenter amoris divini fervorem, ut dictum est; et inde procedit inæqualis unio harum potentiarum cum Deo.

Secundum est, utrum semper iisdem mediis anima collocetur in exercitio Theologiae mysticæ. Respondeatur quod diversis mediis in illo collocatur: nam interdum ad illud pertingit ex creaturarum consideratione, quicquid enim perfectionis, amabilitatis, pulchritudinis, dulcedinis, gloriae, vel alterius hujusmodi divisim ac imperfecte reperitur in creaturis effectibus Dei, incomparabili et supereminentissimo modo, et cum excellentia penitus infinita totum convenit Deo earum creatori; interdum ad illud pertingit per anagogicam illustrationem, et pure intelligibiles formas, per supernaturalia et divina charismata, per sapientiam unitivam, charitatem flammigeram, et fidem rationibus credendorum purificatæque mentis intelligentia decoratam; interdum absque suo conatu repente ad mysticæ Theologiae intuitum, raptum et ecstasim elevatur imensa Dei pietate, per prævenientem gratiam ipsum affectivæ partis apicem, ac intellectivæ potentiae verticem immediate tangente, illuminante, et inflammante tam valide ut imbecillis creatura confessim defluat, et deficiat a seipsa, ac super se mirabiliter in Deum transferatur. Hæc diversitas regulatur juxta diversum gradum Theologiae mysticæ supra descriptum, ad quem Deus animam vult elevare.

Tertium est, utrum unio fruitiva, quæ in supremo gradu Theologiae mysticæ contingit, possit aliquando sine ecstasi contingere. Respondeatur non posse de lege ordinaria, ut communiter docent mystici doctores, secuti Richardum a S. Victore qui de Gradibus violentæ charitatis sic ait: « In hoc statu fit in coelo silentium quasi hora dimidia, et dum mens a seipsa alienatur, dum in illud divini arcani secretum rapitur, seipsam penitus exuit, divinum quemdam affectum induit, et inspectæ pulchritudini configurata tota in aliam gloriam transit. » Cujus rei ratio ab eodem assignatur, ut scilicet in hac unione, clausis seorsum sensuum ostiis secu-

rius secretiusque castissimo complexu anima conveniat cum dilecto: sed haec ratio directe tantum probat hanc unionem fruitivam de facto non contingere sine ecstasi. Quod autem sine illa non possit contingere de lege ordinaria, ex eo provenit, quod anima Deum intime illapsum divino contactu ac suavissimo complexu percipiens, præ amoris ac dulcedinis magnitudine et intensione sic ei per intellectum ac voluntatem adhæret, quod non possit naturaliter loquendo potentias inferiores non suspendere, et a propriis actibus abstrahere; pars enim superior tam vehementer Deo intenta et attenta ad se trahit inferiorem: cum enim virtus ejus sit finita, quo magis uni attendit, eo minus attendit aliis, et dum uni sic vehementer attendit, nulli potest alteri per alias potentias attendere.

Quartum est, utrum anima in exercitio Theologiae mysticæ pertingens ad hanc unionem fruitivam, possit illam ita cognoscere, ut de illa non possit ullo modo dubitare. Respondeatur, quod haec divina gratia ac sublimis favor unionis fruitivæ sic animæ expertæ redditur evidens, ut de eo dubitare nullatenus possit: nam in hujusmodi unione Deus interno tactu et amplexu percipitur et quodammodo palpatur ab anima, et immensos divinæ gratiæ thesauros communicat; quæ omnia manifeste videt anima, maxime Deo tunc realis sua præsentia certitudinem communicante.

Quintum est, utrum in hoc sublimi gradu Theologiae mysticæ, quo ad unionem Dei fruitivam pertingit anima, reddatur certa quod sit in statu gratiæ et in numero electorum. Respondeatur, quod licet nullus sciat an amore, an odio dignus sit, absque speciali revelatione, et multo minus absque prædicta revelatione scire possit se esse de numero electorum, hic tamen sublimis status, in quo Deus sic animæ tanquam sponsæ se familiariter manifestat quodammodo videndum, et communicat fruendum, exigit ut Deus eidem animæ revelet evidenter quod sit in statu gratiæ, et quod in numero electorum computata perveniet ad coronam gloriae. Ita communius affirmant doctores mystici. Hoc expresse docet S. Laurentius Justinianus Tractatu de casto connubio Verbi et animæ cap. 14, dicens: « Propriæ efficitur certus salutis, lumine gaudet veritatis, præsentia exultat sponsi, gustu pinguescit charitatis, experientia nutritur amoris. » Et cap. 25: « Sponsa de thalamo ascendit in celum et de cœlo jugiter descendit in thalamum; non pavida, non de salute incerta, ingreditur sponsa in supernorum mansionem,

sed tanquam in dilecti domum, et in propriam possessionem. »


Quod efficaciter suadetur ratione quadam analogica : nam si inter amicos hoc necessario reperitur, quasi medium convenientissimum ad mutui conservationem et augmentum amoris, quod unus alteri beat manifestare acceptam et omnino gratiosam sibi conversationem ejus esse, eumque in numero suorum electorum computari ; quod adhuc inter dilectos conjuges magis appetit, qui ad foventam simul familiaritatem intimam, solent assidua flagrantis amoris, gratiosæ amicitiae, ac suavis complacentie signa penitus evidentia et pretiosa monumenta præbere; quanto magis Deus noster optimus maximus, insignis ac verus animæ sanctæ amicus, et in hoc sublimi perfectionis statu fidelissimus ejus sponsus, sicenum ac in gratia confirmatum ipsi manifestat amorem, et aeternam ipsiusmet declarat electionem ? Hanc amicitiae summæ legem velut indispensabilem Christus Dominus electis et dilectis exponit Apostolis, dum ait : « Jam non dicam vos servos, sed amicos meos; » quia, ut subjungit, omnia cordis sui secreta manifestaverat eis. Et si alia, quanto magis ea quæ ad ipsos spectabant, qualia sunt status gratiae et ante mundi constitutionem pretiosa eorum inter sanctos electio ? Et certe absque clara prædictorum notitia vix concipi potest tam deliciosus ac gloriosus animæ sanctæ, qualis infra describetur, in hoc sublimi gradu Theologiæ mysticæ status. Quomodo namque anima potest tunc oblatis perfrui deliciis, si dubia de Dei erga seipsum amicitia, ac aeterna sui electione remaneat ? Propterea Christus Dominus suos videns Apostolos de miraculorum patratione ac de mirabilium operatione virtutum gaudentes et vane gloriosos, dixit eis quasi caetera penitus despiciens : « Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in libro vitæ. » Hæc licet vera sint, saepius tamen contingit, quod, maxime transacto tam' sublimi Theologiae mysticæ exercitio, recedat ab anima tam pretiosa propriæ sanctificationis et electionis sibi revelatae notitia, dum aliquando dilectissimus ejus sponsus latet, tum ad fidelitatis ejus experimentum, tum ad meritorum augmentum, tum quia vult ut, juxta Apostoli instructionem, cum timore et tremore salutem suam operetur ; in hoc enim mortalis vitæ exilio semper Deus timorem sociat amori, ut sic anima amore mota ad Deum ferventer accedat, et sancto timore perterrita recedat a malo, secundum illud Poetæ dictum :


*Ut fugiam scelus omne et amem super omnia numen,  
Da mihi fræna timor, da mihi calcar amor.*

Unde quamvis in hoc sublimi statu, dum amor est actu perfectissimus, timorem penitus excludat, quia juxta dictum Apostoli dilectionis, « perfecta charitas foras mittit timorem, » remisso tamen amoris tam perfecti actu, solet aliquando timor redire.


Visum est convenientissimum in ipso principio hujus viæ spiritualis imaginem apponere, ubi totius progressus animæ conditio vel multiplex status describitur, ut aliqualiter detecta via possit facilius retineri, ac securius percurri. Ad evidentem ejus intelligentiam apponitur declaratio hujus montis mystici perfectionis post ipsam imaginem, qua tam totius delineationis figurarum in imagine expressarum, quam convenientiæ sententiarum omnium, mutuæque ipsarum correspondentiæ mysteria declarantur.

---





*Inducunt eos in montem sanctificationis suæ, montem quem acquiruit duxera eius. psal. 77*



# DECLARATIO MONTIS MYSTICI PERFECTIONIS

---

Ecce montem Perfectionis accurate delineatum, et mysticis expressum figuris, nec non aptissimis descriptum sententiis ; qui magna sollicitudine est inquirendus, et magno labore conscendens. Hic est mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, mons sanctificationis sua, mons quem acquisivit dextera ejus, mons in quem inducit electos suos, et introducit in terram Carmeli, ut comedant optima ejus ; quia in sacro monte perfectionis religiosæ per Eliam Prophetam jacta sunt fundamenta.

In tres dividitur partes, infimam scilicet, medium, et supremam. In infima Deus est « purgationem peccatorum faciens, » ut dicitur Hebraor. I. In media est « illuminans mirabiliter a montibus æternis, » ut habetur Psalmo 75. In suprema est « consummans in sempiternum sanctificatos, » ut docetur Hebraorum 10.

Licet autem hæ tres tantum sint partes hujus montis mystici, et similiter via per illum ascendendo dirigens in tres tantummodo dividatur partes, purgativam scilicet, illuminativam, et unitivam ; in ejus tamen ascensu, saltem ordinarie, quinque numerantur stationes, ut dictum est in prologo : prima, post vocationem, est gratiæ sensibilis suavitate plena ; secunda, ad purgandam partem sensitivam, est ipsius gratiæ subtractione mœsta ; tertia, ad erigendam sursum animam, est cœlestium illuminatione veritatum deliciosa ; quarta, ad disponendam unioni divinæ fidem animam, miris est afflictionibus et angustiis purificata ; quinta tandem est in ipsa unione divina deliciis affluens et gloriosa. Non tamen de illis hoc

eodem ordine agitur ; sed ad triplicem hanc viam, in qua fiunt stationes, quicquid in illis accedit, reducitur.

In qualibet viarum proprium ejus solum describitur, virtus theologica magis apta ponitur exercenda, propria incidentis animæ petitio declaratur, et sententiae ex sacris litteris depromptæ statum illius exprimunt; illæ quidem quæ sunt in dextera montis parte, quantum attinet ad cognitionem, illæ vero quæ sunt in parte sinistra, quantum attinet ad affectum; precedit namque, ut nobilior, ipsa cognitio, subsequitur affectus. Est autem maxima sententiarum utriusque partis in sua diversitate consonantia.

Prima et infima pars montis, terræ proxima, miseriis ipsius participat : nam spinis et tribulis consita, crucibus plena, tenebris undique circumfusa, invia et inaquosa, cruce, tribulationes, perplexitates animi, et plurimas incipientium, et aliquando etiam proficientium, in via purgationis ariditates demonstrat. Hi namque ex parte cognitionis ambulant in tenebris, et in umbra montis sedent ; unde dicunt: « Forsitan tenebræ conculcabunt me, » Psalmo 38. « Deus meus illumina tenebras meas, » Psalmo 17. Ex parte vero affectus, cum fletu seminant, et pane tribulationis, et angustiæ sive lacrymarum aqua sustentantur ; unde de illis dicitur : « Euntes ibant et flebant mitentes semina sua, » Psalmo 125. Et: « Cibabit eos pane lacrymarum, et potum dabit eis in lacrymis in mensura, » Psalm. 79, quia fit ibi naturæ corruptæ purgatio. Hos tamen misericors Dominus, et seipso immediate, et medio directorum ministerio, lumine fidei prævio, quamvis obscuro, de tot periculis et laboribus eductos, ad superiorem montis partem inducit. Ambulantibus in hac via Christus præcipit, ut tollant crucem suam: his fides divina est maxime necessaria, ne suis tenebris et afflictionibus penitus obruti conculcentur, sed ut ipsa fide roborati crucem suam gravem post Christum fortiter bajulantes, pati et contemni propter Deum cum V. P. N. Joanne a Cruce, quasi præmium laborum pro illo statu desiderent, et enixe a Deo petant.

Secunda et media pars montis, pauloque superior, usque ad medianam aeris regionem pertingens, purioris auræ salubritate prædicta, viriditate et floribus ornata, fontibus irrigua, secura in sua via quamvis angusta, facilis ascensu, animæ contemplativæ propriis jam miseriis exoneratae consolationes internas, et divinas illustrationes in via illuminativa concessas repræsentat. Ibi ex parte co-

gnitionis cœlestes ambulantibus communicantur veritates, qui non tantum subjectas inferius creaturas, sed etiam supremum earum creatorum inde contemplantur, quia post tenebras lux orta est eis ; unde læti jubilant : « Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei ». 2, Cor. 4. Ex parte vero affectus, cum exultatione veniunt portantes manipulos suos plurium meritorum et consolationum, ex semine cum fletu sparsò collectos, et cibantur ex adipe frumenti seu pane albo, et de petra melle saturantur, qui prius vix panem lacrymarum et potum ad mensuram habere poterant ; unde dicitur : « Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. » Psalmo 125. Et : « Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos. » Psalmo 30. Quia fit ibi naturæ mundatae illuminatio. Quod si aliquando tenebræ et difficultates ad fidelitatis experimentum, et ad meriti majus incrementum exurgant, quasi in loco præternaturali exortæ facile dissipantur. Hic via recta et regia est, quæ seclusis omnibus aliis bonis sive temporalibus, sive spiritualibus soli Deo inhæret, et ad perfectam ejus unionem breviter et facile perducit ; collaterales viæ nunquam ad montis summitatem perducent, unde anima per illas ingressa, diu frustra divagabitur, et forte ad præcipitia ruet : propterea ingredientibus viam illuminativam præcipitur, ut nihil præter Deum quærant. Hic spes bonorum, quæ in statu unionis abundantius promittuntur, et jam aliqualiter prægustantur, ad ascendendum suaviter impellit. Et quia nulla est via sine cruce secura, hic anima crucem suam, sed modo levem tollit : crux enim, quæ in principio fuit naturæ corruptæ gravis, nunc naturæ jam purificatæ levis est. Et sic anima contemplativa tollens sibi crucem, cum S. M. N. Theresia « aut pati, aut mori » pro Domino desiderat et petit : cognitis namque per divinam illuminationem cœlestibus bonis, vellet aut illis moriendo frui, aut patiendo condignius illa mereri ; maxime quia seit, nullam in hac vita beatitudinem aliam esse posse, quam pati pro Deo ; unde cum quilibet connaturaliter beatitudinem appetat, quamdiu in cœlo non potest habere consummatam moriendo, in terra vult habere inchoatam patiendo.

Tertia tandem et suprema montis pars, materialium et volubilium limites transcendens, purissimi aeris felicitate plena, fluminis Paradisi in quatuor capita divisi impetu lætificata, et circumquaque

gloria illustris felicem animæ contemplativæ statum in via unitiva ad vivum exprimit. Ubi gloriam Domini speculata, et ipsi soli intime adhærens, ac in ipsum quodammodo transformata, tam sublimes de Deo concepit notitias, et tanta amoris ineibriatur suavitate, ut qui ad hunc statum pervenerunt dicant cum Apostolo : « Nos omnes gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu, » 2, Cor. 3., et hoc ex parte cognitionis. Ex parte vero affectus jam collectorum fructuum ubertate et colesti suavitate, non tantum satiantur, sed etiam inebriantur ; unde de illis dicitur : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos, » Psalmo 35. « Ibunt de virtute in virtutem, » Psalmo 88, quia hic virtutum exercitium magis splendet, quia non ordinarii tantum actus virtutum, ut prius, sed actus heroici eliciuntur. Hie charitas præcipue fervet, et divino inchoate possesto fruitur bono. Et anima ibi abscondita in abscondito faciei divinæ a conturbatione hominum, et protecta in tabernaculo Dei a contradictione linguarum, ac crucem gloriosam, non tantum levem, sed etiam suavem amplexata continuo clamat cum sponsa : « Dilectus meus mihi, et ego illi, » Canticor. 2, nec aliam sibi pro laboribus mercedem, quam ipsum Deum cum D. Thoma desiderans, totis visceribus exclamat : « Deus meus, et omnia. » In summitate montis vix appetat via, quia justo lex non est posita ; unde dicitur animæ, quæ viam unitivam percurrit, ex Augustino de Verbis Domini : « Dilige, et fac quicquid voles, nihil tam facile bonæ voluntati, quam ipsa sibi, et hoc sufficit Deo. »

Tres Divinæ personæ sacrum hunc montem inhabitantes animam ascendentem excitant, adjuvant, fovent, recreant ; et postquam ascenderit, tanquam victricem ac triumphantem amplectuntur et coronant. Pater cœlestis ut omnipotens animam consolando incipit a via purgativa, suum promittens et impendens auxilium ; unde dicit Isaiae 42 : « Ducam cæcos in viam, quam nesciunt ; et in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam, ponam tenebras coram eis in lucem, et prava in recta. » Filius prosequitur in via illuminativa, et animam contemplativam, velut filiam dilectissimam, cum sit sapientia divina, excitat ad auscultandum et videndum arcana, quæ manifestare decrevit. Unde Psalmo 44 ait illi : « Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam. » Spiritus Sanctus perficit in

via unitiva, promittens animæ tam dilectaæ, quod eam sibi in perpetuum despousabit; unde Osee 2 ait illi : « Sponsabo te mihi in sempiternum in fide, in justitia et judicio, in misericordia et miserationibus, et scies quia ego Dominus ; » hoc enim opus est amoris divini, qui est Spiritus Sanctus.

Sed ut hæc omnia magis aperta et distincta compareant, deducto ex sacra scriptura dupli exempli confirmabuntur. Primum sit apostoli Pauli doctoris gentium, qui miraculosa conversus vocatione, multipli gratiæ sensibilis suavitate recreatus, et aliorum apostolorum ac discipulorum conversatione confirmatus statim a principio videtur; deinde in purgatione sensitiva constituitur; unde dicit 2, Cor. 7 : « Foris pugnæ, intus timores, sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus; » sed fusius cap. II, eamdem suam purgationem describit dicens : « In laboribus plurimis, in careeribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter; a Judæis quinques quadragenæs, una minus, accepi; ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in labore et ærumnæ, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate, etc. » Exinde frequentibus divinis illuminationibus circa fidei mysteria, multisque revelationibus et visionibus recreatur, ut passim in suis testatur epistolis. Ulterius purgatione passiva partis intellectivæ purificatur; unde 2 Cor. 12 ait : « Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanae, qui me colaphizet; propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me, et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. » Tandem ad intimam Dei unionem venit; unde ad Galatas 2 ait : « Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. » Et 2, Cor. 12, asserit se raptum usque ad Paradisum, et audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui; in tantum quod S. Augustinus et D. Thomas affirmant eum in hoc raptu vidisse clare divinam essentiam.

Secundum sit exemplum Sanctæ peccatricei Mariae Magdalena, quæ per Christum Dominum conversa, ejus instructione et consolationibus in bono confirmatur. Deinde nonnullis persecutionibus, et

multis afflictionibus, puta morte dilecti fratris Lazari sensibiliter purgatur. Exinde divinis illustrationibus sedens ad pedes Domini recreatur. Postmodum summis angustiis intellectualiter circa passionem et mortem Domini affligitur, Judaorum persecutionibus, mari ad certum naufragium exposita, usque ad mortem vexatur. Et tandem per triginta annos, in vasta altissimi montis spelunca, tam intime Domino « (quem vidit, quem amavit, in quem credidit, quem dilexit) » mente et corde mansit unita, ut tunc ejus conversatio foret in cœlis, et ad audiendas cœlestium laudes in altum ab angelis elevaretur.

---

PRIMA PARS

# THEOLOGIÆ MYSTICÆ

---

DE VIA PURGATIVA ANIMÆ CONTEMPLATIVÆ

PROPRIA INCIPIENTIUM

In qua agitur de Reformatione tam activa, quam passiva naturæ corruptæ  
ET QUANTUM AD COGNITIONEM, ET QUANTUM AD AFFECTUM.

---

## ARGUMENTUM OPERIS.

*De uno extremo non pervenitur ad aliud nisi per medium, ut docet Philosophia, et confirmat in omnibus regularis experientia; maxime quando extrema, præter generalem oppositionem, inter se specialem habent contrarietatem; qualia sunt ea, de quibus in præsenti volumine dicturi sumus, scilicet imperfectio et perfectio, vilium et virtus.*

*Inde est, quod Deus optimus maximus, quamvis possit subito honestare pauperem, et perditissimos homines ad maximam perfectionem statim adducere, ut in conversione peccatricis Magdalenæ, persecutoris Sauli, et aliorum similium effecit, ad ostensionem omnipotentiae et connaturalis suæ misericordiæ; regulariter tamen et ordinarie conversionem ac perfectionem hominum, etsi fortius attingat a*

*sine usque ad finem, suaviter nihilominus mediis convenientibus disponit. Unde Ecclesiasticam Hierarchiam conformans Angelicæ, per superiores primo purgat inferiores, deinde purgatos illuminat, et tandem illuminatos perficit.*

*In hac igitur prima parte Theologiae Mysticæ agitur de via purgativa eorum, quos Deus benignus et misericors a vitiis creptos ad perfectionem adducit, et tanquam speciales amicos de medio aliorum etiam justorum segregans ad intimam sui perducit unionem. Hæc autem purgatio purificat tam affectum per evacuationem peccatorum, per extirpationem vitiorum, et mortificationem passionum, quam cognitionem per exclusionem, aut moderationem notitiae rerum temporalium. Aliquando est activa ex parte hominis incipientis, seipsum ab imperfectionibus ac passionum impugnatione liberantis; aliquando etiam est passiva tantum ex parte ipsius, solo Deo miris modis animum purgante; ut sigillatim per aliquot tractatus et discursus demonstrabitur.*

*Ecce Tyronem amore contemplationis adductum, perfectionis viam ingredientem, viam, inquam, in principio difficilern et arduam, spinis et tribulis consitam, mysticis crucibus plenam, scopolis asperam, penitus inviam et inaquosam, tenebris et horroribus undique circumfusam: hanc ingreditur mæsto et pœnitenti animo, ciliciis, flagellis, et catenis ferreis onustus, seminans in lacrymis, ut in exultatione metat; ingreditur cum propriæ purgationis desiderio, ut in infimis purificatus, et suorum defectuum onere deposito, viam perfectionis prosequi, et mysticum montem Carmelum concendere valeat, ibique conversationis angelicæ, divinæ unionis, et jugis convivii spiritualis particeps fieri.*

*Tres erunt in hac parte tractatus. Primus, de purgatione activa partis cognoscitivæ per studium orationis. Secundus, de purgatione activa partis affectivæ per peccatorum evacuationem, vitiorum eradicationem, passionum moderationem, etc. Tertius, de purgatione passiva utriusque partis in nocte obscura animæ.*

## TRACTATUS I.

### DE PURGATIONE ACTIVA PARTIS COGNOSCITIVÆ PER STUDIUM ORATIONIS.

ACTIVA purgatio, cum sit ordinaria, passivam velut extraordinariam merito præcedere debet, sicut purgatio partis cognoscitivæ purgationem partis affectivæ ; quia naturali mutua coordinatione pars cognoscitiva est prior, pars affectiva posterior, non solum emanatione potentiarum utriusque partis ab anima, sed etiam operatione ipsarum ; nam cognitio præcedit, affectus subsequitur cognitionem, nihil quippe cadit sub affectu, nisi prius fuerit cognitum, juxta philosophicum axioma dicens : nihil volitum quin præcognitum. Unde acturi de purgatione spirituali hominis in ordine ad contemplationem et divinam unionem, incipi-mus a purgatione activa partis cognoscitivæ ab inutilibus terrenis cogitationibus, quod fit principaliter per studium orationis, ubi præsentia Dei, et consideratio cœlestium acquiritur.

---

## DISCURSUS I.

### DE CORRUPTIONE HOMINIS.

Ut purgationis spiritualis necessitatem apprime noverimus operæ pretium est, miserrimum prius naturæ lapsæ et corruptæ statum radiciter exponere. Medicinæ siquidem purgativæ nequit utilitatem aestimare, qui morbi purgandi prius incommoda non sensit, aut non prævidit; unde hunc discursum velut aliis præambulum hic ponimus.

## ARTICULUS I.

## DE GENERALI CORRUPTIONE TOTIUS HUMANÆ NATURÆ.

Ut homini ad perfectionem aspiranti constet manifeste, quali et quanta indigeat purgatione, necessarium est, quod prius tam generalem, quam specialem corruptæ suæ naturæ noverit infectionem, ut proportionatum cuilibet vulneri et morbo remedium et medicinam sedulus adhibeat, et a Deo postulet adhiberi.

Deus optimus maximus, cuius perfecta sunt opera, præmissa rerum aliarum tam visibilium, quam invisibilium creatione, perfectam in omnibus humanam condidit naturam, velut epilogum operis sui, et quasi parvum quemdam mundum, in quo creaturam utramque, spiritualem videlicet et corpoream, mirabili nexu conjunctam copulavit. Integralm et perfectam, ut dixi, condidit, cum partem ejus superiorem, scilicet rationem, tanquam reginam imperantem, inferiorem vero partem, tanquam ancillam ministrantem ac debite subordinatam constituerit. Hæc recta et debita partis sensitivæ ad rationalem totalis subjectio forti et indissolubili justitiae originalis nodo firmabatur, quamdiu mens ipsa supremo sui creatoris dominio subjecta pacifice remaneret: ita quod in felicissimo ac beatissimo illo statu innocentiae mens ipsa per gratiam sanctificantem, per virtutes divinitus infusas, et per alia dona supernaturalis ordinis liberaliter a Deo concessa, conditori suo conjuncta et subordinata perseverans, nullam passionum rebellionem, nullumque motum sensualitatis inordinatum sentiret; sed eis despotice velut regina dominando cunctos eorum actus ad debitum finem ultimum ordinaret; et sic in Deum ex toto corde, ex totis viribus, ac totaliter dirigeretur. Cujus beatissimi status felicitati perfecta sanitas, eujuscumque nocimenti et doloris exclusio plurimum conferebat, sicut et omnium belluarum quantumvis ferocium admirabilis subjectio: quamvis enim homo, proprii corporis attenta conditione, naturaliter esset in seipso passibilis, imo et absolute loquendo, corruptibilis et mortalis, per extrinsecam tamen continuam Dei providentiam, nunquam ipsi defutaram, et per provisum congruo tempore ambitioso angelorum custodum ministerio fructum

ligni vitæ ab omni læsione et corruptione liberabatur, ita ut passibilis nihil pateretur, et mortalis esset non moriturus; et insuper in amoenissimo illo voluptatis loco Paradisi delicias prægustabat. Sed, o Deus immortalis, homo quem in tanto honore condideras, suadentis dæmonis invidia mandatorum tuorum transgressor effectus, ad miserrimum et penitus infelicem statum peccati devolutus est, et in seipso tanquam in radice naturam humanam vitiavit. Unde merito factum Isaiae 14, angelo peccatori et regi Babylonis improprium potest ad ipsum dirigi: « Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? Qui dicebas in corde tuo (dæmonis suggestione suasus): in cœlum condescendam, super astra exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis; ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Veruntamen in infernum detraheris in profundum laci. » Sicut et merito simile improprium Ezechielis 28, factum principi Tyri prævaricatorem tangit Adamum: « Tu cherub extensus, et protegens; et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti; perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ donec inventa est iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ (cum Eva scilicet uxore per serpentem seducta) repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti; et ejeci te de monte Dei, et perdidi te, o cherub protegens, de medio lapidum ignitorum; et elevatum est cor tuum in decore tuo; perdisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram projeci te. » Ecce igitur Adam prævaricator Deo, rebellis effectus omnibus gratuitis expoliatur donis; juste subtrahitur animæ gratia sanctificans cum virtutibus et bonis supernaturalibus ei connexis, quibus erat divinæ consors naturæ; privatur originali justitia statui innocentiae connaturali: unde pars inferior superiori parti Deo rebelli rebellis effecta, tendens inordinate ad sensibilia corrupti viam suam; et sic per justam prædictorum subtractionem in naturalibus etiam vulneratus, et semivivus relictus, e Paradiso voluptatis ad continuas animæ et corporis angustias ejectus est, ut ipsa Veritas incarnata Christus Dominus affirmat in Evangelio, sub illius parabola, qui descendens ab Jerosolyma in Jericho, incidit in latrones.

Nec mirum, quod primi parentis prævaricatio tanto sit plexa suppicio, æterno plectenda esset, nisi Deus, cuius natura bonitas, ait S. Leo, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est, renovandis mortalibus suæ pietatis remedia per Filii sui incarnationem et

passionem contulisset; cum peccatum illud primi parentis tam enormi commissum inobedientia sit malum infinitæ malitiae, tanquam injuria Deo summe digno per infimam irrogata creaturam; quam sic describit Bernardus<sup>1</sup>, Sermone 3, de resurrectione dominica, referendo mala quæ facit voluntas propria: « Sed utinam, ait, vel rebus istis esset contenta, nec in ipsum (horribile dictu) desævisset authorem: nunc autem, et ipsum, quantum in ipsa est, Deum perimit voluntas propria; omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse aut nolle, aut ea nescire; vult ergo eum non esse Deum, quæ quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum, aut insipientem. Crudelis plane et omnino execranda malitia! quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat. » Cujus injuriae gravitatem ex alio non minus certo et evidenti deducunt principio theologi, ex hoc scilicet quod peccator peccando tollit a Deo rationem ultimi finis; actus enim peccaminosus utpote deordinatus, non potest in Deum referri, et sic Deus non est finis ultimus illius, et consequenter quantum ad affectum, saltem virtualem aut interpretativum, ipsius peccatoris, tollitur a Deo quod sit ultimus finis simpliciter, cum de ratione ultimi finis sit, ut omnia ad ipsum, et ipse ad aliud ulterius non ordinetur: sublata autem a Deo ratione ultimi finis, aut primi principii, vel alterius attributi et perfectionis, tollitur ipse Deus, cum non possit esse non perfectissimus; communi quippe omnium nationum sententia, est id quo majus excogitari non potest.

Non mirum igitur, quod Deus originale peccatum, inobedientia primi parentis Adami terrestris commissum, tanto punierit supplicio, ut eum et omnes ejus posteros seminali origine descendentes (excepta Beatissima Virgine Dei genitrici Maria) tanquam rebelles suis omnibus donis spoliaverit, et quasi filios iræ ac vindictæ reputet. Si enim reges et principes terreni subditos rebelles puniunt et eorum progeniem concessis bonis et honoribus juste privant, quanto justius Deus ipse rex regum et dominus dominantium totam Adami posteritatem ob parentis rebellionem totali bonorum supernaturalium et præternaturalium hæreditate privavit; unde Adæ posteri naturam originali justitia destitutam, infectam, et vulneratam a primo parente recipiunt.

Vulnera vero naturæ humanæ, etiam per Christum salvatorem reparatae, ex peccato originali relictæ quatuor communiter recen-

sentur, quæ Doctor Angelicus, 1, 2, quæst. 85, art. 3, sic eleganter describit : « Per justitiam originalem perfecte ratio continebat inferiores animæ vires, et ipsa ratio a Deo perficiebatur ei subjecta : haec autem originalis justitia subtracta est per peccatum primi parentis ; et ideo omnes vires animæ remanent quodammodo destituta proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, et ipsa destitutio vulneratio dicitur naturæ. Sunt autem quatuor potentiae animæ, quæ possunt esse subjecta virtutum, scilicet ratio, in qua est prudentia; voluntas, in qua est justitia; irascibilis, in qua est fortitudo; concupiscibilis, in qua est temperantia. In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiae; in quantum vero voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiae; in quantum vero irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis; in quantum vero concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiae. Sic igitur ista quatuor sunt vulnera inficta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis. » Hæc Divus Thomas.

Quamvis autem sit copiosa apud Deum redemptio, et Christus Dominus superabundanter sua passione ac morte pretiosissima tam spiritualem animæ, quam materialem corporis mortem, et prædicta vulnera reparaverit, ut ait Apostolus ad Romanos 8, dicens : « Vivificabit mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum ejus in vobis, » hoc tamen fit, ut ait Doctor Angelicus, secundum ordinem divinæ sapientiæ congruo tempore : oportet enim quod ad immortalitatem et impassibilitatem gloriæ, quæ in Christo inchoata est, et per Christum nobis acquisita, perveniamus conformati prius passionibus ejus; unde oportet quod ad tempus ejus passibilitas in nostris corporibus remaneat ad impassibilitatem gloriæ promerendam conformiter Christo.

Licet autem in justificatione, quæ regeneratione baptismatis acquiritur, per infusionem gratiæ sanctificantis ac virtutum supernaturalium, prædicta quatuor vulnera aliqualiter reparentur, non tamen perfecte in omnibus, etiam ut patitur status præsentis vitæ, sed tantum in illis, qui viam crucis ingredientes, et ad statum perfectionis jugiter aspirantes, pravas naturæ corruptæ inclinationes assidua mortificatione ac virtutum exercitio purgant, densas mentis tenebras perpetua rerum aeternarum contemplatione illuminant, et connaturalem voluntatis malitiam deponentes per intimum Charitatis affectum Deo summo bono ac ultimo fini indeclinabiliter uniuntur.

## ARTICULUS II.

## DE PARTICULARI CORRUPTIONE HOMINUM.

Ex prædicta corruptione generali humanæ naturæ, tanquam ex vitiata radice, tot spinæ seu vitiorum genera communiter in hominibus pullulant, ut admodum rari sint, etiam ex illis qui conseptuti sunt Christo per baptisma, qui diversis vitiorum maculis non inficiantur. Cum enim major pars hominum potius corrupta dictamina naturæ suggestione dæmonum sequantur, quam rationis imperio ac Dei præceptis obtemperent, inde est quod omnis caro corrumpit viam suam, et « totus mundus in maligno positus est, » ut habetur 1, Joannis 5, id est in malo igne, scilicet avaritiae, concupiscentiae, superbiae et aliorum vitiorum, ut exponit S. Antoninus et ut subjugit idem Apostolus dilectionis : « omnia quæ sunt in mundo, sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae; » semper et ubique deordinatae ac effrænatæ desæviunt passiones; fervet amor terrenorum, desiderium temporalium, gaudium caducorum, odium virtutis, fuga spiritualium, tristitia in crucis participatione; viget spes honorum, desperatio salutis, audacia ad malum, timor in bono, et in omnibus implacabilis ira flammescit; ambitio corda mortalium continuo perturbat, unde exclamat Bernardus, Libro 3 de Consideratione : « O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torques, omnibus places ! Nil acrius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus; et, ut uno verbo concludam, Deus a plerisque despicitur, dæmon adoratur, ab omnium pene cordibus virtus exulat, vitium fovetur. »

Mirabile est, quomodo peccatorum usus et vitiorum habitus, etsi naturæ rationali bonum honestum respicienti contrarius, sic eam deprimat, ut omnino subjugata vix ad virtutis exercitium surgere possit; quod ipsa constat experientia, et docet Gregorius magnus, Libro 24 Moralium dicens: « Usitata culpa obligat (scilicet animam), ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem; conatur et labitur, quia ubi sponte diu persistit, ibi, et cum noluerit, cedit : quia peccatum, quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est, et poena peccati ; quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in alia

cadat, ut qui malum sciens perpetrat, deinceps juste in alia etiam nolens cadat; et Apostolus in persona peccatorum loquens ait: « non quod volo, facio bonum; sed quod nolo, operor malum, » non quod absolute peccator quantumvis perversus, e luto scelerum surgere cum auxiliis divinæ gratiæ non possit, si velit, aut quod nolens cadere, absolute cadat; sed quia ubi vitium pro natura inolevit, occurrentis tempore temptationis, pressa vitiis natura succumbit et merito præcedentium peccatorum justo et occulto Dei judicio denegata gratia, velleitas perfectionis seu imperfecta resistendi voluntas sibi relicta deficit: unde merito peccati captiva, et absolute serva nuncupatur, cum nulla sit alia vera servitus et captivitas. » Audi Augustinum, Libro 19 de Civitate Dei cap. 15, docentem: « Conditio servitutis jure intelligitur imposta peccatori: proinde nusquam scripturarum legimus servum, antequam hoc vocabulo Noë justus peccatum filii vindicaret; nomen itaque istud culpa meruit, non natura. » Et Tractatu 41 in Joannem, ait: « Unde inimici illius (scilicet Dei), inde servi peccati; non habet Deus liberos inimicos, necesse est servi sint. »

Heu miserimi peccatores, qui iterum peccatis vestris Christum in vobis crucifixistis, et sanguinem testamenti (proh dolor) conculcatis; audite Christum Dominum vobis improperantem: « Ego plantavi te, vinea electa, quomodo conversa es in vitem alienam? Expectavi ut faceres uvas, et fecisti labruscas ac spinas, quibus me coronares; » sive, ut Isaiae 5 explicatur: « Expectavi, ut faceres judicium, et ecce iniquitas; et justitiam, et ecce clamor. » Qua licet de synagoga Judæorum litteraliter intelligentur, ut ab ipso Propheta exponitur ibidem dicente: « Vinea Domini exercituum dominus Israël est; et vir Juda, germanus ejus delectabile, » moraliter tamen a sanctis Patribus, præsertim Ambrosio sermone 73, de peccatoribus intelligitur; ait enim: « Videamus diligenter, ne ex palmitæ operis nostri non nascatur dulcedinis uva, sed fellis; ne dicatur nobis, quod Judæis dictum est per Prophetam: sustinui, ut faceret uvam, fecit autem spinas, et non justitiam, sed clamorem; videamus, ne spinas, quas Domino Judæi cruentis imposuerunt manibus, nos iniquis sensibus apponamus, et compungamus eum non asperitate sentium, sed operum pravitate. » Præmiserat Dominus in eodem capite Isaiae, quantam adhibuit diligentiam ad plantandam et excolendam hujusmodi spiritualem vineam, dum ait: « Et

sepivit eam, et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam, et aedificavit turrim in medio ejus, et torcular extruxit in ea. » Sepes Christiani sunt mandata Dei ipsi proposita ; lapides qui de vinea electa projiciuntur, ne ejus fertilitatem impedian, est cor lapideum ac peccato induratum, quod gratiae sanctificantis infusione emollit Dominus, et in cor carneum permutat ; plantationes ejus sunt germina virtutum ex sacramentorum exercitio relicta. Turris in medio ipsius aedificata est exemplum Christi Domini continuo propositum, juxta illud Augustini : « Christus turris fortissima a facie inimici ; confuge ad turrim, ne feriaris a diabolo ; recogita Christum, et turrim intra ; si aliquid pateris, ipse prior passus est. » Torcular tandem in ea extructum, est mortificationis exercitium in Christiana religione firmatum, ad perfectionem fructus spiritualis omnino necessarium. Quid amplius ad pulchritudinem, fertilitatem, ac securitatem hujus mysticæ vineæ desiderari potest ? Maxime cum ad culturam ipsius congruo tempore mittat operarios, ut habetur Matthæi 20, et cœlestium imbrum abundantia perfundat : unde merito spectatores peritos, de adhibita plusquam sufficienti cura pro fructuum et vini suavissimi ubertate, apud eundem Isaiam contestatur dicens : « Nunc ergo habitatores Jerusalem et viri Juda judicate inter me et vineam meam : quid est, quod debui ultiro facere vineæ meæ, et non feci ei ? »

Quamdiu haec vinea labori et desiderio Domini correspondet, majoribus semper incrementis redditur gloriosior, juxta illud Psalmi 79 : « Vineam de Aegypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam ; dux itineris fuisti in conspectu ejus, plantasti radices ejus, et implevit terram ; opernit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei ; extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus. » Quid gloriosius ? Quid fertilius ? Sed quando prædicto Domini desiderio et labori ingrata non respondet, tunc juste Dominus eam odit, dimittit ut alienam, et in desertum adducit, ut eodem Psalmo propheta regius alloquens Dominum ait : « Ut quid destruxisti maceriam ejus, et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam ? Exterminavit eam aper de silva, et singularris ferus depastus est eam. » Et expressius Dominus apud Isaiam comminatur dicens : « Nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ : auferam sepem ejus, et erit in direptionem ; diruam maceriam ejus, et erit in conculationem ; et ponam eam desertum ;

non putabitur, et non fodietur, et ascendent vepres et spinæ; et nubibus mandabo, ne pluant super eam in imbre. »

En miserrimum ingratæ hujus vineæ statum, quia recedens a Deo facta est vitis aliena. Unde merito dicit Dominus in Evangelio: « Ego sum vitis vera, et vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere; » nihil unquam boni, sed multum mali; nullum opus salutis, sed multa opera perditionis, juxta dictum Domini: « Perditio tua ex te Israël, tantummodo in me auxilium tuum. » Ex quo sequitur, quod difficile convertitur, quem Deus despexerit; quia tunc peccator, cum in profundum malorum venerit, contemnet.

Quamvis ex originali corruptione naturæ major pars scelerum et vitiorum oriatur, unde caro propria saevissimus, acerrimus, ac magis timendus hominis inimicus, utpote domesticus, nuncupatur, concurrunt tamen ad hominis perditionem alii hostes conjurati, diabolus, inquam, et mundus. Ille secretis sed vivis suggestionibus usque ad internectionem diversimode persequitur, hostis tamen agnoscitur, et licet ejus tentationibus assertiatur, odio tamen ab omnibus habetur; sed iste cum omnes sui sectatores decipiat, a singulis fere diligitur. Augustinum audi fraudes ejus denunciantem: « O mundo immunde, ait, qui homines illaqueare non desinis, quiescere non permittis, rapere omnes appetis, occidere omnes queris. Væ qui tibi credit, beatus qui tibi resistit, sed beator qui a te illasus recedit. O mundo proditor, bona cuncta promittis, sed cuncta mala profers; promittis vitam, sed donas mortem; promittis gaudium, sed largiris mœrem; promittis quietem, sed ecce turbatio; promittis florem, sed cito vanescit; promittis stare, sed cito recedis: non ergo es diligendus, quoniam omnino transis, et concupiscentia tua velut fumus evanescit. » Et merito clamat alibi: « O mundo immunde, qui te diligunt non te norunt; ecce turbat mundus, et amat; quid si tranquillus esset? Formoso quomodo hæreres, qui sic amplecteris fœdum? Flores ejus quomodo colligeres, qui a spinis non revocas manum? Vincula hujus mundi asperitatem habent veram, jueunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum laborem, timidam quietem; rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. » Sed exponens majora et frequentiora pericula mundi contra castitatem, supposita concupiscentiae per peccatum originale majori corruptela, sic ait:

« De carbonibus scintillæ prosiliunt, de ferro rubigo nutritar, morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam : in risum aliquando dissolvitur, nunc blanditas exhibet, et, quod est venenosius, super cuncta psallere delectatur et cantare, cuius cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. » Et velut expertus subjungit : « Gravem inimicum sortita est castitas, cui non solum resistendum, sed dimisso frœno longius fugiendum ; nec eo minus illæ fugiendæ sunt, quia religiosæ videntur : quanto religiosores, tanto citius alliciunt, et sub prætextu pietatis latet viscus libidinis. Experto crede, expertus loquor, coram Deo non mentior : cedros libani duces gregum sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quam de Ambresii vel Hieronymi impudica turpitudine. » In eamdem Augustini sententiam Ambrosius et Hieronymus conspirant. Primus sic loquitur I, de Officiis : « Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivumque genus est fœmina ; cum proximat, stimulat, ignem accendit, flamigero igne percutit conscientiam pariter habitantis, et exurit fundamenta montium ; si cum viris fœminæ habitent, viscarium non deerit diaboli. » Secundus autem sic ait ad Nepotianum : « Nec Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone poteris esse sapientior ; memento semper, quod paradisi colonum, de possessione sua mulier ejecit. » Unde ait quidam :

*Adam, Samsonem, Petrum, Davidem, Salomonem  
Decepit mulier : quis modo tutus erit ?*

Plures sanctorum Patrum authoritates in re tam manifesta, et in sacris litteris toties expressa proponere superfluum est. Unde cum Bernardo in Cantica concludamus, quod « plenus est mundus spinis quæ in terra sunt, in tua carne sunt ; versari in his, et minime lædi, divinæ potentiae est, et non virtutis nostræ. » Sed efficacius, quamvis brevius, omnia sæculi pericula his paucis perstringit : « O sæculum nequam, tuos sic soles beare amicos, ut facias Dei inimicos, et indignos consortio sanctorum. » Et experientia dictum confirmans ait « Periculum probat transeuntium raritas, pereuntium multitudo ; in mari Massiliæ de quatuor navibus non perit una, in mari hujus mundi de quatuor animabus vix evadit una. » Sed majus periculum ac vitiorum incentivum Propheta regius adducit in medium, dum ait : « Ecce elongavi fugiens, et mansi in

solitudine, quoniam vidi iniqitatem, et contradictionem in civitate ; » ex una parte, inquam, scandalum et malum exemplum peccatorum, ex alia vero parte contradictionem sacerularium pene omnium in bonis operibus, quae vel malitiose damnant, vel temere irrident.

Licet autem major pars similium peccatorum, qui suis sceleribus computruerunt, in saeculo pereat, aliquos tamen, etsi raros, ad meliorem frugem revocans Deus infinitæ suæ misericordiæ præbet experimentum ; maxime dum tales ad insignem perfectionis et sanctitatis statum, prævia vitiorum ac malorum inclinationum expiatione mirabiliter extollit. Vix unum legimus bonum latronem, de quo ait Bernardus : « Unus est, ne præsumas ; unus est, ne desperes. » Debet et merito quilibet fidelis ante casum formidare, quod si male vixerit male morietur, quia vix est unus bonus latro, qui postquam male vixit, tandem pœnitens bene mortuus est : unde unus est, ne præsumat ; sed post casum ne desperet, quia unus qui male vixerat, pœnitendo de suis peccatis, unico instanti ad æternam Paradisi felicitatem pervenit. Mirabile sed rarum divinæ misericordiæ exemplum, quod vix crederetur nisi sacrae scripturæ testimonio tam solemniter esset confirmatum : post tam gloriosam ejus de Christo inter sceleratos crucifixo confessionem, mernit ab eodem Christo audire : « Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo, » ubi nota quod ad roborandam hujus prodigiæ misericordiæ fidem hæc omnia verba fuerunt necessaria : Amen, est quasi jumentum ejus confirmativum ; Tibi, singularitatem gratiæ uni factam indicat ; Hodie, sacrificium Christi eruentum pro peccatoribus oblatum, et omnium gratiarum, utpote valoris infiniti, meritorum importat ; quasi diceret Christus Dominus : hanc æternæ salutis, ac subitæ salvationis, tibi specialiter tam serio pœnitenti ac meipsum tam gloriose confitenti misericorditer factam, in hac die passionis meæ ac copiosæ redēptionis, in qua superabundanti liberalitate bonitatis meæ thesauros effundo, juramento nimis authentico ac in ara Crucis facto solemniter confirmo.

Hæc quicumque legis, divinam mirare bonitatem ; et si forte inter peccatores, imo et inter sceleratos, qui in profundum malorum omnium devenere, coram Deo, et angelis, et hominibus computeris, noli desperare, si divina gratia præventus ac roboratus velis resurgere, et te ipsum non solum pœnitentia sacramentali purgare,

verum etiam humilitate cæterisque virtutibus exercere studeas, sub persona boni latronis tibi dixit Christus : « Hodie mecum eris in Paradiso. »

### ARTICULUS III.

#### DE VARIIS JUSTORUM DEFECTIBUS.

« Septies in die cadit justus, » ait sermo divinus : ex quo enim a primo parente, propria haereditate et continua successione corruptam participamus naturam, ex generali illa corruptione sic infirmi ac debiles existunt homines, ut rebelli contra rationem appetitu inferiori in varios incident defectus. Quamvis enim in acquisita, qua justi sunt, gratia perseverent, ut supponitur, ita ut in ea confirmati dicantur, ac proinde ab omni peccato mortali penitus abstineant, in plura tamen peccata venialia passim incident. Unde verum est, quod ait Apostolus dilectionis jam in gratia confirmatus, in sua et omnium aliorum persona, Epistola sua prima catholica cap. i: « Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. » Ex quo Theologi concludunt quod absque speciali privilegio, nulli alteri quam Beatissimæ Virgini Dei genitrici Mariae concesso, non potest quis etiam ordinariis divinæ gratiæ auxiliis adjutus, ab omnibus peccatis venialibus, quamvis possit a singulis in particulari, abstinere ; dum enim in aliqua materia deordinato affectui resistere conamur, in contrarium sœpe deficiendo labimur.

Potest justus triplici via cadere in peccata venialia, scilicet ex malitia, ex passione, ex infirmitate. Cadit ex malitia, cum sciens et volens errat circa medium servato ordine debito ad ultimum finem, cum tamen facile posset easum evitare. Cadit ex passione, cum propriis agitatus passionum motibus, earum pondere ad peccandum venialiter inclinatur. Cadit ex infirmitate, cum ex ipsa corruptione naturæ, per surreptionem, vel per inadvertentiam ad peccandum quasi connaturaliter movetur. Quamvis autem peccata venialia intactam relinquant charitatem, ac debitam ad ultimum finem tendentiam, charitatis tamen perfectionem, ac intimam cum Deo unionem magis aut minus impediunt, ita ut quæ ex infirmitate

naturæ procedunt, minus obstent; quæ vero ex passione, magis officiant; sed quæ ex malitia, maxime noceant, præsertim si ex habitu vel consuetudine orientur; sic enim per hos pravos affectus anima creaturis adhæret, aut quodammodo colligatur, ut ad creatorem evolare non possit; sic terrenis inhæret, ut ad cœlestia non possit elevari. O deplorandam hominum sortem, qui postquam funes peccatorum mortaliū et vitiorum virtute divina dirupérunt, funiculos, aut potius fila tenuissima peccatorum venialium et imperfectionum non audent, aut nolunt dirumpere, et sic semper ligati detinentur in custodia non minus ac si catenis gravissimis premerentur; solum interest, quod istos funiculos facilius, quam illos funes possunt effringere, sed dolendum, quod si non effringant, ad instar avicularum, in imis æque detinentur tenuissimo filo, ac detinerentur gravissimo fune, imo periculosius, ut ita dicam, detinentur. Audi legitimam ac manifestam hujus dicti rationem, quam homilia 52 S. Gregorius magnus his verbis adducit: « Nonnunquam, ait, in parvis deterius quam in majori peccatur: major enim quo citius quiescit, culpa cognoscitur, eo etiam celerius emendatur; minor vero, dum quasi nulla creditur, eo pejus, quo et securius in usu retinetur; malo nostro veritatem istius experimur. » Fateor quod per se directe ac immediate minimum peccatum mortale plus damni causat, quam omnia peccata venialia simul collecta causare possunt, et omnium horum gravitas infinite minor gravitate illius; cum hæc omnia debito ordini ad ultimum finem, gratiæ sanctificanti, charitati, cæterisque virtutibus infusis sint compossibilia; illud autem omnia prædicta destruat, dissipet, ac disperdat. Indirecte tamen, mediate, et occasionaliter peccata venialia plus detrimenti possunt afferre, quam sæpe mortalia gravissima; tum quia venialia sæpe despiciuntur quasi nulla, et sic maximo cum dispendio retinentur, mortalia vero proprio, quem causant, horrore devitantur; tum quia venialia numero plura et sæpius iterata, cum ejusdem sint speciei in ordine physico cum mortalibus, ad plura mortalia disponunt, et quasi pertrahunt, cum tamen mortalia, quæ primo committuntur, admodum sint rara.

Facile, proh dolor, homines justi decipiuntur dum peccatorum venialium parvitatem attendentes, ea velut aquam bibunt, in infinitum multiplicantes. Errorem suum ac periculum hinc imminens cum Augustino considerent, et ipsum dedecora cordis audiant lo-

quentem, ac instantia triplici hanc doctrinam confirmantem : « Nolite, inquit, contemnere venialia, quia minima sunt; sed timete, quia plura : plerumque enim bestiae minutae multae nocent. Numquid minutissima sunt grana arenæ? sed si arena amplius in navi mittatur, mergit illam ut pereat. Quam minutæ guttæ pluviae! nonne flumina implent, et domos dejiciunt? Timenda est ergo ruina multitudinis, etsi non magnitudinis. »

Isti defectus, sive peccata venialia sunt vulpes illæ parvulæ, de quibus in Canticis canticorum dicitur a Spiritu Sancto : « Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, quia vinea nostra floruit. » Animæ justorum sunt electæ Domini vineæ, quas ipse Dominus quasi locum deliciarum et paradisum voluptatis ordinarie visitat, juxta illud Canticorum : « Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt; » et rursus : « Vinea mea coram me est. » Vix cogitari potest, quot damna similes defectus animabus justorum inferant: multis privant justos coronis, poenarum reos efficiunt, internam eorum pacem perturbant, juxta illud Augustini : « Jussisti Domine, et factum est, ut inordinatus animus sit sibi poena. » Unde experintur quod Beatus Job de seipso dicebat : « Factus sum mihi met ipsi gravis. » Privant eos interna dulcedine, qua viri perfecti in contemplatione rerum cœlestium perfruuntur. Tandem in hora mortis eos miris torquent modis, ut Propheta regius in Psalmo 48 tam solemniter denunciat, ut ad percipiendam hanc veritatem omnes gentes et nationes excitet; ait enim : « Audite haec omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem, etc. cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me; » id est illa peccata, quæ quasi nulla despiciemus et pedibus terebam, in die mortis circumdabunt me, et usque ad extremas torquebunt angustias.

Cum ergo tot damna causet venialia peccata, et cursum justorum impedian, ne viam perfectionis percurrentes, ad terminum divinæ contemplationis, ac intimæ cum Deo unionis perveniant, omnino vitanda sunt, et jam commissa debent purgari poenitentia, ut renovato charitatis fervore qui per illa sopitur, ad montem perfectionis alacres ascendant, ibique Deo suo indefectibiliter coniungantur, et perenni cor eorum pace, quasi in loco connaturali perfruuntur, extra quem non nisi perturbatio et ruina. Unde ait Augustinus : « Domine, fecisti nos ad te; et ideo inquietum est cor

nostrum, donec requiescat in te. » Quod amplius declarat Rupertus exponens illud Genesis, « Adam ubi es? » : « Merito quis mirari potest hanc Dei interrogationem! numquid Adam a Deo poterat abesse, cum Deus ubique sit? juxta illud Psalmi : Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades, etc., et tamen verum est, quod Adam longe a Deo recesserat. » Unde subjungit hic Pater : « Movit pedem, non est in loco suo; locus enim hominis Deus est, extra quem nusquam bene. » Quamvis autem per solum peccatum mortale totaliter a Deo recedamus, per venialia tamen aliquantum ab eo discedimus; et impossibile est, quod ei perfecte adhaereamus, nisi purgato rerum mundanarum affectu, relictis omnibus aliis, ad perfectionem unice aspiremus; et, si aliquando venialiter peccemus, quod humanum est, hæc peccata non ex malitia, nec ex passionum vehementia, sed ex connaturali tantum infirmitate procedant.

Vix fieri potest, ut in sæculo, quod, ut ait Gregorius magnus, est mare turbulentum, quod se casuum tumultibus et undis vitæ corruptibilis illidit, possit quis a pluribus abstinere defectibus, cum amor sæculi ad illos pertrahat. Audi Augustinum in suis confessionibus sic exclamantem : « O amatores mundi, cuius rei gratia militatis? major non esse poterit spes vestra in mundo, quam ut amici mundi sitis: ibi quid nisi fragile, plenum periculis? et per quot pericula pervenitur ad majus periculum! Pereant hæc omnia, et dimittamus hæc vana et inania; conferamus nos ad solam inquisitionem eorum, quæ finem non habent; vita hæc misera est, mors incerta subito obrepit, et post hæc negligentiae pœna suppicio luenda est. » Et in epistolam Joannis ait : « Mundus transit et concupiscentia ejus: quid vis, utrum amare temporalia, et transire cum tempore, an Christum amare, et in æternum vivere? » « Cui autem Christus incipit dulcescere, ait Bernardus in Cantica, necesse est amarescere mundum: advertit enim quasi e somno divinitus excitatus quod mundus clamat: ego deficiam; caro clamat: ego inficiam; diabolus clamat: ego decipiām; Christus vero dicit: ego reficiam. » Unde quamvis fieri possit, et aliquando contingat, quod quis in sæculo remanens ad perfectionem etiam maximam, et ad intimam cum Deo communicationem pertingat, hoc tamen tam difficile et tam rarum appareat, ut quasi proprium statui religioso videatur ad hanc perfectionem homines adducere, cum sit status perfectionis acquirendæ, singula quippe

ejus exercitia non solum ad perfectionem suadent et inducunt, sed etiam trahunt, et quodammodo compellunt : ibi siquidem virtus laudatur, et minima quævis imperfectio damnatur ; sacramento-rum frequentia, superiorum custodia, et fraterna correctio malum omne dissipant, et omne bonum mentibus inserunt. Unde merito Bernardus exclamat : « Religio munda in qua homo vivit purius, ambulat cautius, cadit rarius, surgit velocius, purgatur citius, irroratur frequentius, moritur confidentius, præmiatur copiosius. » Sed non omnibus hæc gratia vocationis ad statum religiosum confertur, quæ est quoddam signaculum et propugnaculum omnium Dei beneficiorum ; confert misericorditer quibus vult, et juste denegat quibus denegat ; « non enim Deus eligit dignos, sed dignos eligen-dos facit, » ut ait Augustinus contra Julianum. Unde rogandus est ut velit, et cum Psalmista ei suppliciter dicendum : « Convertere, respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam, et perfice eam quam plantavit dextera tua. »

#### ARTICULUS IV.

##### DE MULTIPLICI IMPERFECTIONE INCIPIENTIUM.

Hactenus communes omnibus, etiam aliquando justis, sunt ad ducti defectus : nunc aliquos quasi proprios viris contemplativis in principio sui cursus adducere necessarium est, ut his præmissis et præcedentibus sociatis appareat, quam conveniens, imo indispensabilis sit, tum activa, tum passiva ab hujusmodi defectibus purgatio mentis et affectus, ad hoc ut clarius illuminari mens, et affectus suavius Deo possit adhærere, juxta dictum illud Salvato-ris : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. »

Venerabilis Pater noster Joannes a Cruce, primus Carmelita di scalceatus, in Carmeli renovatione Sanctæ Matris nostræ Theresiæ adjutor fidelissimus, ac Theologiae mysticæ doctor sublimis, omnes incipientium defectus ad capita peccatorum mortalium satis fuse reducit; ex cuius doctrina in præsenti aliqua perstringemus : Et quidem quantum attinet ad superbiam, hujusmodi incipientes ex devotionis sensu, quem eis Deus benigne communicat, ut a terrenis voluptatibus segregatos ad coelestes delicias fortiter et suaviter

alliciat, superbiendi sumunt occasionem, licet ex natura sua res sanctæ potius humilitatis, quam superbiæ causam præbeant; cumque se prosperis auris navigare conspiciunt, hanc prosperitatem suis meritis attribuentes, in seipsis tanquam dignis, et in suis operibus velut excellentibus temere complacent: unde superbe sapientes ac plurimum de se præsumentes alios facile despiciunt, quos extera devotione non currere conspiciunt, et more Pharisaï superbia tumidi cæteros contemnentes in suis orationibus sua potius temere jactant opera, quam divina referant humiliter beneficia, et Deo gratias pro ipsis repandant; eoque deveniunt superbiæ, ut ex una parte, plurima et asperrima virtutis exercitia subeant, ut appareant coram hominibus, ex alia vero parte, cæterorum virtutes, et gestibus et verbis occasione data reprehendant, ut ex eorum humiliatione singulariter ipsi boni ac in virtute eminentes videantur. Ex quo sequitur quod confessarios aut vitæ spiritualis directores quærant, non quasi veritatis et humilitatis doctores, sed magis sui fastus approbatores ac perniciosos adulatores; unde huc illuc permutando directores divagantur, donec tales invenerint, et summo studio devitant eos, quos suis erroribus contrarios viam humilitatis docere conspiciunt; miris inventionibus confessoris et directoris ambiunt affectum et applausum, eique sui spiritus rationem reddentes factos nonnunquam internos Dei favores simulate referunt, ut ab ipso plus cæteris æstimentur, et invidia misere tabescunt si quos ab ipso sibi videant præferri, et inde est, quod externum devotionis fervorem, quem sæpe diabolus accedit, ad hunc effectum patere affectent, et proprios defectus pro viribus occultant; imo contingit aliquando, quod secretos et ignotos confessores habeant, quibus peccata confiteantur, ut ordinario et noto suo confessori sola virtutum opera et divinos favores manifestent. Ex eadem radice superbiæ procedit quod similes incipientes vel proprios defectus quasi nullos negligant, vel de eis plus nimio confundantur et inquietentur, ita ut amori proprio potius consulentes, quam amori divino studentes, importunis precibus se ab illis liberari precentur. Rari sunt incipientes, qui in prædictos aut similes defectus, et aliquando in multo graviores non cadant: quidam enim attendentes ad hæc Apostoli verba: « Spiritualis homo judicat omnia, » et credentes ea ad se directa, ac male interpretantes, omnium aliorum facta et dicta in deteriorem partem detorquent ex eo præcise quod

suo spiritui non conformentur, quem tanquam primam regulam aliorum constituunt, cum tamen deberent talem spiritum, juxta consilium S. Joannis examinare, an ex Deo sit; et quod pejus est, hujusmodi facta et dicta publice, zelo ut credunt, at saltem indiscreto, reprehendunt; sed leges, charitatis infringunt, quæ operit multitudinem peccatorum, et male sensum Apostoli interpretantur, qui per adducta verba solum indicat, spiritualem hominem bonis suis operibus prava carnalium opera judicare. In hac purgationis via debent prædicti superbiae defectus evacuari: qui enim ad perfectionem aspirare et pervenire desiderant, contrario penitus modo, per semitam videlicet humilitatis incedere debent, ita ut seipso omnibus submittentes, propria sua opera despiciant, quasi defectuosa, vel saltem ut imperfecta, alios tanquam eminentes in virtute reputent, eorumque exercitia tanquam sancta continuo prædicent, eos ut fideles Dei famulos, et seipso tanquam ingratas Deo creaturas et verbis et factis affirment; sibi in seipso displiceant, in bonis aliorum operibus gaudeant, seque beatos reputent, si ab ipsis ad consortium virtutis admittantur; proprias abhorreant laudes, divina in se beneficia cum propria miseria humiliter agnoscant, et servorum Dei conversationem mire extollant; non proprio spiritui, sed aliorum judicio circa virtutis exercitium consentiant, addiscere potius quam docere parati.

Quantum attinet ad avaritiam spiritualem, multi incipientium plurimos patiuntur defectus: vix enim de spiritu divinitus concesso contenti sunt, et nisi devotionis affluentiam ac cœlestium charismatum abundantiam plenis, ut ita dicam, manibus recipient, interius angustiantur, ac penitus desolati tanquam a Deo derelicti gemunt; huc illuc divagantur, ut propriae spirituali inopiae succurrant, nec datis multiplicibus directorum consiliis sic acquiescent, quin nova semper ab aliis requirant; unde plus inquisitioni consiliorum, quam piis vacantes exercitiis maximam incurrint jacturam meritorum; sic apparentibus quibusdam inhærent devotionibus, ut ab illis dimoveri non possint, quod spirituali paupertati plurimum nocet; sic imaginibus sanctorum, crucibus, rosariis, et reliquiariis adhærent, in eis artem et valorem magis quam veram pietatem attendentes, ut ingentem semper eorum copiam penes se habeant, unde devotionis accidentibus, et non ejus substantiæ addicuntur; sed nunquam ad perfectionis culmen ascendent, si copiosam hujus-

modi proprietatis spiritualis supellectilem sponte non dimittant, paucis admodum devotioni fovendæ necessariis contenti, more sanctorum Patrum, qui non curiosa et pretiosa, sed pia et modesta pietatis insignia solent habere.

Quantum ad luxuriam, etiam hujusmodi incipientes suos patiuntur defectus: nam, Deo sic permittente, ad majus meritorum incrementum, vel naturæ corruptæ incentivō, vel etiam dæmonis suggestione, sœpe internos, sœpe etiam externos carnis motus in ipso pietatis exercitio, et in quotidiano Sacramentorum usu præter intentionem, imo plurimum resistentes experiuntur. Contingit aliquando, quod ex ipso devotionis internae sensu, motus aliqui sensualitatis in corpus redundent, et maxime in natura debili: ex connaturali quippe superioris et inferioris partis connexione provenit, ut dum pars superior spiritualibus in Deo fruitur deliciis, pars inferior circa propria objecta sensualia frequenter excitetur, unde simul et semel illa Deo suaviter inhæret, ista sensualitatis motibus quasi passive sensim implicetur: cum enim sint ejusdem partes suppositi, ex quadam utriusque sympathia provenit, ut una in alterius delectatione et poena communicet, sed modo sibi proprio et connaturali, donec una totaliter alteri subordinetur. Cum igitur in principio viae spiritualis pars superior inferiori tantum præsideat, et non perfecte dominetur, pars inferior sensualis spiritualibus partis superioris delectationibus sensualiter tantum communicat, unde incipientes prædictos motus sensuales etiam inviti patiuntur; sed longo virtutum exercitio purgata et reformata pars inferior et superiori totaliter subordinata, non solum ad spirituales ejus delicias, sed etiam ad spiritualem eas participandi modum quodammodo elevatur. Hi motus sensualitatis inordinati ex multiplice alia radice promanant in incipientibus. Et primo ex familiaritate nimia, quam cum personis spiritualibus, et præser-tim mulieribus incaute contrahunt: quamvis enim in principio sit sancta, ex intentione siquidem profectus spiritualis ex hujusmodi conversatione, ex corruptione tamen humanæ naturæ paulatim in vitium degenerat: unde quidam liquide dixit, quod haec familiaritas incipit a *credo in Deum* et terminatur in *carnis resurrectionem*. Secundo promanant ex nimio timore, quem incipientes de hujusmodi sensualitatis rebellione perceperunt: ipso quippe timore imaginationem excitante et quasi ligante, sic eos in tali materia im-

plicat et absorbet, ut alio mentem divertere vix possint, et dum sanctissima queque respiciunt et meditantur, inordinati motus sensualitatis excitantur, quibus hoc sanctum pietatis exercitium deturpari videtur. Tertio procedunt a dæmone, qui Deo sic permittente vel in penitentiam seu pœnam præcedentium peccatorum, vel in exercitium virtutis et meritum, vel in ordine ad perfectam incipientium purgationem, nihil intentatum relinquit, et omnem ut dicitur movet lapidem, ut tales incipientes a via virtutis deterreat: excitatis siquidem hujusmodi motibus vel ad consensum trahere, vel mentem cœlestibus occupatam inquietare, vel in desperationem subjungandæ carnis inducere conatur. Sed hæc omnia in passiva purgatione penitus emundantur, ut infra dicetur: cœlestium quippe et divinorum crescente amore amor sensibilium paullatim debilitatus evanescit, crescit spiritus, et caro vilescit; sicut enim amor carnalium carnales efficit, sic amor spiritualium spirituales efficit, juxta dictum illud Salvatoris apud Joannem cap. 3: « Quod natum est ex carne, caro est; quod natum est ex spiritu, spiritus est. »

Quantum ad iram, similiter plures habent imperfectiones hujusmodi incipientes: quidam enim prælibato rerum spiritualium gustu, dum se in siccitatem et ariditatem reductos aspiciunt, præ angustia spiritus fastidentes occasione qualibet oblata in subitos iræ motus prorumpunt, et non solum aliis, sed etiam sibi ipsis graves et quasi intolerabiles efficiuntur, maxime si ex naturali complexione flava bili abundant. Contra omnes inquieto et indiscreto zelo facile irascuntur, et quasi essent regula virtutis, quosecumque delinquentes indebite reprehendunt, cum tamen ut plurimum tunc melius sit tacere quam male reprehendere; et quamvis ex officio prælati subditos emendare compellantur, non propterera motibus iræ frœna laxare debent, sed, ut docet Gregorius magnus III Moraliū, « Miscenda est lenitas severitate, faciendo quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. » Et debent consilium sequi S. Bernardi super Cantica dicentis superioribus: « Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos; studere magis amari quam metui; etsi interdum severitate opus est, paterna sit; non tyrannica; matres fovendo, patres corripiendo vos exhibeatis. » Ali quando etiam hujusmodi incipientes, dum se parum in via per-

fectionis proiectos inspiciunt, in seipsos inordinata fervent ira, cum advertant se quotidie multa bona proponere, sed nihil efficere boni, Deo juste sic permittente eo quod potius in propria diligentia, quam in divina misericordia confidant; unde majoris esset indicium humilitatis, si seipsos quamvis imperfectos patienter tolerarent, a Domino suæ misericordie remedium enixe postulantes, et pro viribus suaæ perfectioni studentes.

Quantum spectat ad gulam spiritualem, incipientes hujusmodi passim deficiunt: cum enim divina liberalitate internis deliciis statim a principio perfundantur, ut sic externarum mundi deliciarum facilius oblii a suscepto perfectionis itinere non retrocedant, his deliciis inescati et velut ebrii non puritati spiritus ac veræ devotioni, sed tantum sensibili suo gustui incumbunt; unde sibi magis quam Deo placere student, et non tantum spirituali suo profectui, verum etiam sanitati plurimum nocent: ut enim talibus fruantur deliciis, indiscretas et extraordinarias mortificationes proprio instinctu, prætermisso directoris consilio, suscipiant contra præceptum Apostoli nobis dicentis: « Sit rationabile obsequium vestrum. » Inde est, quod multi tales incipientes relicta voluntatis mortificatione, quæ est Deo gratissimum holocaustum, corpus opprimunt, et viribus temere exhaustis omnino succumbunt, et ad prosequendam virtutis semitam inepti penitus inveniuntur. Quam utilius ipsis esset, si sensibilibus deliciis sobrie tunc utentes ad veram spiritus puritatem aspirarent, quæ in perfecta directoris obedientia, et in totali ad divinam voluntatem conformitate consistit, et sic potius illis deliciis cum indifferentia et gratiarum actione sobrie uterentur, quam immoderato sensualitatis appetitu et damnabili proprietate fruerentur! Hos gulæ spiritualis impetus excitat et foveat diabolus, qui hac via inexpertos incipientes a subjectione debita directori removentes, a virtutis tramite præcipites in propriam conjiciunt ruinam. Ex hujusmodi gulæ spiritualis defectu multa incipientibus eveniunt mala: quamvis enim plures sint, qui magistri seu directoris obedientiam expresse non transgrediantur, quia ex sacra Scriptura didicerunt, quod « melior est obedientia quam victimæ, » et quod « vir obediens loquetur Victorias, » his tamen gustibus internis affecti non submisso præceptum obedientiae suscipiant, sed superioris voluntatem ad suas inclinationes flectere student, instant rationibus, urgent petitionibus, ut desiderata et petita

ipsis concedat. Unde coacte consentiens superior verius ipsorum voluntatem sequitur, quam ipsi praeceptum obedientiæ exequantur; et sic merito per Prophetam ipsis dicitur: « In jejunis vestris invenitur voluntas vestra; » quapropter maxima meritorum parte misere spoliantur. Alii dictis gustibus inebriati propriam non vident miseriam, et cum Deo minus reverenter conversantur, cum enim tot deliciis affluentes se conspiciant, suarum imperfectionum obliiti, propriis se meritis eas credunt possidere, et ad familiarem Dei conversationem adhuc immundi aspirant. Quam tutius ipsis esset, si cum sancta Matre Theresia non incipiente sed jam perfecta, beneficiis in se divinis modum imponi precarentur, nec tam celeri oblivione culparum suarum memoriam abolerent; vel cum Divo Augustino continue dicerent Deo: « Noverim te; noverim me! » Si enim seipsos adhuc imperfectissimos, et Deum perfectissimum perfecte agnoscerent, tam temere et impure ad sacram communionem non accederent contra vel praeter confessoris directionem; tunc enim utilius esset, si D. Petri humilitatem æmulati Domino sub speciebus eucharisticis latenti dicerent: « Recede a me, quia homo peccator sum. » Non frequentiam communionis impugno, sed directoris prudentis modum et regulam, ac debitam intentionem exigo, ut non gustus sensibilis aviditate, sed puræ devotionis affectu ad divinam hanc mensam accendant, cum principalior Eucharistiae effectus sit substantialis per gratiam sanctificantem mentis refectio, et gustus sensibilis sit tantum accessorius et accidentalis ejus fructus; unde præpostere et inordinate se in participatione sanctissimi hujus Sacramenti præbet, qui potius Deum invisibiliter existentem vult sensibiliter experiri, quam pura fide venerari. Eodem imperfecto procedendi modo se circa orationem exhibent, in qua solum gustum sensibilem totis viribus assidue procurant: quod si ad humilitatis et patientiæ meritum ad tempus deserantur, angustia et mœrore spiritus in ipsis ariditatibus ac siccitatibus afficiuntur, quasi debita essent devotione privati, cum tamen ibi patienter et humiliter sistere deberent, maximum sibi favorem a Deo factum arbitrantes, dum seipsos aeterna damnatione millies dignos in sua divina patitur presentia. Alii tandem incipientes prædictis gustibus assuefacti sanctæ crucis asperitatem, et dominicæ passionis amaritudinem nec ultimis labiis volunt degustare, quod maximum afferit vitæ spirituali nocumentum, cuius perfectio in imitatione Christi

consistit; unde non vere perfectus est, qui cum Apostolo dicere non potest: « Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus; » et rursum: « Mundus mihi crucifixus est, et ego mundo. »

Quantum ad invidiam, pariter incipientes multos habent defectus: cum enim non sint charitate perfecti, quæ « non querit quæ sua sunt, » sed quæ aliorum, ægre admodum ferunt, dum alias æquales sibi, vel etiam majores in via spirituali conspiciunt; quamvis enim præ superbia se illis interius præferant, dum tamen vel exterius excellere, vel ab aliis ut excellentes audiunt laudari, torquentur invidia et livore tabescunt, ac sæpe verbis et gestibus laudantibus contradicunt, dolentes maxime quod simili modo ab aliis non exaltentur, et illis non præferantur, cum in omni perfectione singulares velint apparere. Hæc invidia multum est damnabilis, et contraria charitati, quæ secundum Apostolum congaudet in bono, ac opposita sanctæ æmulationi, de qua idem Apostolus ait: « Æmulamini autem charismata meliora »: hæc enim non tristatur ut invidia, sed gaudet de aliorum virtutibus et gratiis, quas tamen imitari, vel etiam appetit superare, non ad captandas laudes humanas, sed ad obtinendam majorem cum Deo charitatis unionem; non ad propriam satisfactionem habendam, sed ad majorem gloriam Dei procurandam. Unde sancta Mater nostra Theresia solebat dicere, se libenter visuram alios in celo seipsa beatiores in gloria, sed non in amore Dei ferventiores; hæc enim ex natura rei inseparabilia, ferventissimus et quasi cæcus amor ejus separabat, dum gloriam ex parte beatorum, illa fruentium et amorem Dei ex parte ipsiusmet Dei dilecti reponebat.

Tandem quantum ad acediam seu pigritiam spiritualem, plures incipientium numerantur imperfectiones: solent enim in rebus spiritualibus tedium et nauseam pati, ad instar filiorum Israel qui delicioso mannae cibo divinitus pasti, dum actu suavitatem ejus non gustabant, dicere solebant: « Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo; » et ollas carnium, cepas, et porros Ægypti desiderabant. Sic hujusmodi incipientes suavitatem spiritualium exercitiorum aliquando privati, cum alias ob suam præsertim satisfactionem ipsis insisterent, ea fastidiunt, segniter sequuntur, et sæpe penitus omittunt; et cum propriæ voluntati potius quam divinæ velint satisfacere, suavia quoque gustui commensurata solidis virtutum exercitiis præferunt, quæ ut plurimum corruptæ naturæ difficilia

et amara repugnant. De omnibus ex proprio gustu, velut ex prima regula judicant; quæ ipsi multum arrident, tanquam Deo gratissima amplectuntur; quæ ipsi displicent, tanquam Deo displicantia semper abhorrent: ex quo appetit quantum verae mortificationi et verbis Apostoli contradicunt dicentes: « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum, » ac iterum: « De cætero nemo mihi molestus sit, stigmata enim Domini nostri Jesu Christi in corpore meo porto. »

Hi sunt ordinarii defectus incipientium, quos ex multis aliis slegimus; quæ nisi purgatione activa correxerint, vix aliquantulum in via perfectionis procedent. Ut autem ad ejus terminum media cœlesti illuminatione, ac divina unione feliciter perveniant, fortis purgatione passiva indispensabiliter indigent.

## ARTICULUS V.

### DE IMPURITATE PARTIS COGNOSCITIVÆ IN STATU NATURÆ CORRUPTÆ.

« Videns Deus, dicitur Genesis 6, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. »

Certe cum homo factus ad imaginem et similitudinem Dei, deberet continuo cœlum respicere, sicut seorsum habet caput elevatum; ad cœlestia mentis oculos dirigere, sicut ad illa creatus est; ac creatoris, redemptoris et benefactoris sui Dei decreta, effectus et opera contemplari, sicut ad hec contemplanda naturali jure ac divino tenetur praecepto: perverso tamen ordine, cœlo despecto depresso oculis terram aspicit; oblitera cœlesti Patria de via tantum ac exilio cogitat, quasi permanentem hic haberet civitatem et futuram non inquireret; non attendens ad creatorem, redemptorem ac benefactorem suum Deum, de solis cogitat creaturis, quibus inordinatae mentis affectu miserabiliter inhæret, ita quod eum non pudeat se ab illo Divinitatis incommutabili bono avertere, ut ad commutabile creaturarum se convertat, non advertens quod illo posset bono perfecte satiari, cum tamen isto possesso sit semper famelicus; et tandem nec altissima Dei decreta, nec mirabiles ejus effectus, nec mira ejus opera considerans, se totum in mundanis vanitatibus, in

terrenis eventibus, et in humanis adinventionibus contemplandis jugiter occupat. Unde conqueritur Dominus apud Jeremiam cap. 2, dicens : « Obstupecite coeli super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus; duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito et vide, quia malum et amarum est reliquise te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. »

Mirandum vere et dolendum est, quod, ut ait Apostolus, unusquisque cogitat et querit quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Et tamen praeter ea quæ sunt Jesu Christi, cætera sunt vana, imo vanitas ipsa, quandoquidem ad salutem æternam nobis prodesse nequeunt. Quid magis vanum, inutile, et perniciosum est, quam relictæ salutis æternæ cura, quæ sola magnum, principale et summum negotium est, continuo cogitare de aliis, quæ minima sunt, accessoria, ac mentis humanæ penitus indigna, et hoc tanto studio, tanta diligentia, tantaque animi perplexitate, ut miseri mortales nullum ad ea comparanda formident periculum, nullum vitent laborem, ipsam sæpius corporis, et quod deterius est, etiam animæ mortem incurant!

Quidam de solis divitiis comparandis cogitant, earumque cogitatione et amore præventi solis illis inhiant, terras percurrunt, maria navigant, ad incognita penetrant loca, ut commercio sæpius illico divitias congregent ; merito circa illos exclamat poëta :

*Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra famæ?*

Sed de hujusmodi sanctum Chrysostomum dicentem audiant : « Qui collocat thesauros in terra, non habet quid speret in cœlo ; ut quid respiciat in cœlum, ubi nihil habet repositum ? Quidquid pro anima tua feceris, hoc tuum est ; quod autem reliqueris, perdidisti. »

Quidam de solis corporis deliciis cogitant : nulli pareunt ut eas acquirant, nec terra sufficit, nec aer, nec aqua, quod illis delicatissima voluerum, animalium et piscium alimenta subministrent. De quibus loquitur Apostolus ad Philippenses 3, dicens : « Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus

venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. » Sed audiant eumdem Apostolum comminantem 1. Cor. 6. « Esca ventri et venter escis ; Deus autem et hunc et has destruet. »

Alii de solis voluptatibus carnis cogitant, et sic eis absorpti, sopiti ac velut sepulti sunt, quod ad instar brutorum solis hujusmodi voluptatibus et carnis infamibus desideriis attendant explendis : millies pro ipsis mortem et temporalem et aeternam incurruunt; quoscumque pro ipsis labores suscipiunt, tolerant et amant, quia generaliter loquendo, ut ait Augustinus, nullo modo onerosi sunt labores amantium, sed ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, piscantium; in eo enim quod amat, aut non laboratur, aut labor amatur. Sed sciant Apostolo praedicante, quod « qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. »

Alii de solis cogitant falsis honoribus, veros non attendentes, qui in virtutis exercitio, et in fideli obsequio Dei resfulgent : sic hujusmodi falsa honorum aestimatione judicium eorum pervertitur, ut ad illos comparandos sic invigilent, ut nulla bellorum et singularium certaminum vitent pericula, nullos non subeant labores, ut offensum reparent honorem, ut illatas repellant injurias, ut unius verbuli vel gestus offensam vindicent. Sed non advertunt infelices, quod dum imaginarium volunt honorem tueri, et vanam captare gloriolam, aeternum saepe dedecus incurruunt, et veram beatorum gloriam amittunt.

Alii de solis dignitatibus comparandis assidue cogitant, cæteris præesse volunt : nam, ut ait Augustinus in quodam sermone, « nihil est in hac vita facilius, maxime hoc tempore, et laetus, et hominibus acceptabilius Episcopi aut Presbyteri officio; sed si perfunditorie atque adulatorie res agatur, nihil apud Deum miserius. » Quod idem dicendum est de dignitatibus aliis saecularibus. Sed non ita dignitatibus inhiarent hujusmodi, si Origenem super Epistolam ad Romanos dicentem auscultarent : « Omnis adeundi honoris ecclesiastici abscondetur ambitio, si se judicandos potius quam judicatueros, hi qui præesse volunt populis, cogitarent. »

Alii solum cogitant, quomodo parentibus, aut carnaliter propinquis complaceant, etiamsi debeant in tali exercitio ipsi Deo discipere. Ut noxiā hanc cogitationem dissiparet, et perniciosum amorem dissolveret Dominus, venit gladium mittere in terram, venit separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus

matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus; voluntas enim eis complacendi saluti animæ plurimum nocet. Unde idem Dominus prædicat dicens: « Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus; et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. » Et saepius hortatur in Evangelio ad relinquendum inordinatum erga parentes affectum, et promisso ad hoc præmio discipulos allicit, dicens: « Si quis reliquerit patrem, aut matrem, aut filium, aut agrum, etc. propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam eternam possidebit. »

Alli denique de aliis curiosis, inutilibus, imo ridiculis cogitant; quibus cogitationibus anima quantum ad partem cognoscitivam directe ac immediate maximam impuritatem contrahit, quam necesse est purgari, ut anima sursum mentis oculos elevet ad cœlestia et divina contemplanda, et ut divinæ unioni disponatur ac præparetur.

## ARTICULUS VI.

### VARIIS VOCAT DEUS MODIS DE PRÆDICTO STATU CORRUPTIONIS AD VIAM PERFECTIONIS.

Quia non naturæ, sed gratiæ celestis opus est, de tam misera-bili statu corruptionis surgere, ut ad vitæ sanctitatem ac puritatem quis aspiret et perveniat, necesse est ut Deus ipse conditor naturæ et author gratiæ opus ipsum vocatione sua sancta incipiatur, sanctificatione continuet, et glorificatione perficiat: si namque natura integra suis viribus ad statum gratiae quasi supernaturalem non potest attingere, quanto minus natura corrupta debilitatis jam suis viribus id ipsum non poterit.

Incipit ergo Deus sua vocatione de tam miserabili statu corruptionis aliquos educere, ut sanctificans eos in Christianæ vitæ munditia, et in mandatorum suorum custodia usque ad mortem conservet; sed aliis specialiter electis majorem conferens gratiam, ad maximæ sanctitatis terminum, et ad summum perfectionis apicem perducit, de quibus in hoc opere disseritur.

Longum esset varios divinæ vocationis modos velle sigillatim exprimere; sufficiet aliquos indicare. Vocat Deus aliquando per homines, quæ vocatio magis est ordinaria, dum prædicatione, vel instructione, vel quavis alia eorum actione peccatores illuminat, excitat, allicit, et ad vitam perducit. Vocat aliquando per piorum lectionem librorum, ut contigit Eunicho Candacis Reginae legenti prophetiam Isaiae; item Augustino legenti Paulum Apostolum expresso Dei mandato. Vocat aliquando per angelos, ut accidit Cornelio centurioni. Vocat aliquando per seipsum, ut contigit Petro, aliisque apostolis, Magdalena, etc.

De his a Deo vocatis quidam interiori tantum inspiratione, quidam exteriori voce, quidam miraculis, quidam promissione præmii, quidam terrore supplicii, quidam aliis inusitatibus modis ad viam crucis vocantur, aut etiam quodammodo compelluntur intrare. Quemlibet ipsorum alloquitur S. Laurentius Justinianus, Libro de Obedientia, cap. 16, dicens: «Agat gratias Deo, quia gratis vocatur, non utique ab hominibus, non ab angelis, sed a Deo; nec qualcumque vocatione, sed sancta, spirituali, sed cœlesti, de qua Apostolus ait: «Qui vocavit nos in sortem sanctorum in lumine.» Vocantur plane multi ad fidem dicente Domino quod multi sunt vocati: illorum tamen sic vocatorum pauci sunt, qui hujusmodi de qua agitur, vocatione digni sunt; communis est illa, ista vero specialissima.

Quamvis hæc divinæ vocationis gratia luceat in multis, omnibus tamen pensatis in nullo aequa ac in Saulo seu Paulo relucet. Vocatur Petrus simplici voce Christi dicentis: «Sequere me.» Vocatur Magdalena inspiratione interna. Vocatur David correctione Nathan Prophetæ. Vocatur Nabuchodonosor punitione. Hi omnes modi vocationis ad tam miraculosam Pauli conversionem concurrunt. Audit Paulus sensibilem Christi vocem ad vitam invitantis. Circumfulxit eum lux de cœlo. Corripitur a Christo dicente: «Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare.» Punitione deterretur, dum visum amisit, et ex equo decidit. Totum hoc ad hunc christiani nominis acerrimum persecutorem tam mirabiliter convertendum in ejusdem nominis prædicatorem eximum opus fuit. Unde merito dixit S. Chrysostomus, quod totus Jesus in Saulo (utique convertendo) consumptus est, convertebat enim ut esset vas electionis. O mira vocis Christi

resonantis exterius, et gratiae ipsius convertentis interius potentia! Optime sane de seipso fatetur dicens : « Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit. » Et de ipso dicit Augustinus, Libro de Gratia et Libero Arbitrio cap. 5 : « Ut Paulus de coelo vocaretur, et tam magna et efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola, quia ejus merita erant magna, sed mala. » Et cap. 16, loquens generaliter ait : « Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. » Et de Correptione et Gratia cap. 14, sic ait : « Cui volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium; sic enim velle et nolle in nolentis aut volentis est potestate, ut divinam voluntatem non impedit, nec superet potestatem : de his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quod vult. Non est itaque dubitandum, Dei voluntati, qui in coelo et in terra omnia quæcumque voluit fecit, et qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit. » Nunc suavem divinæ gratiae efficaciam S. Prosper, Libro de Ingratis, cap. 15, ita canit :

*At vero omnipotens hominem cum gratia salvat,  
Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi  
Semper adest, quæ gesta velit; non moribus illi  
Fit mora, nec causis anceps suspenditur ullis;  
Nec quod sola potest, cura officioque ministri  
Exequitur, famulisve vicem committit agendi.*

Ne diutius immorer in hac divine vocationis materia, duo mira et singularia quæ certa relatione didici breviter referam. Primum Romæ contigit, secundum in Belgio, et utrumque in ordine ad nostram Carmelitarum Discalceatorum religionem. Quidam erat Roma sacerdos in Ecclesia S. Joannis Florentinorum bonus et pius, cui xenodochii eidem Ecclesiæ annexi cura fuerat demandata, ut aegrotos solaretur, et moribundos adjuvaret. Contigit quadam die, quod aliquis ibi receptus, et in extremis constitutus, extraordinaire dæmonis visionibus aliisque infestationibus torqueretur : statim vocatur ipse sacerdos, ut infirmo periclitanti succurreret; accurrit subito, et ad locum perveniens horribilia videt, et audit horri-

biliora. Videt infelicem moribundum crudeliter agitari, et e lecto manu invisibili per vim extrahi; sed Ecclesiæ exorcismis dæmonis violentia compescitur, et miser ille tandem in lecto moriturus relinquitur. Postea (quod majorem cunctis circumstantibus formidinem et horrorem incussit) audit miserum illum duplice plurimumque distincta voce loquentem, una quidem naturali, alia vero violenta: hæc dæmonem accusantem ejusque scelera detegentem, illa vero reum confidentem singulaque approbantem repræsentat. Incipit igitur dæmon ipsius ore loquens horribili tono sic improperare: recordare, miser, quod in hac et illa civitate, in hoc et illo loco, hæc et illa scelera perpetrasti. Ad quæ singula miser ille mœsta voce respondebat: amen. Cumque longa singulorum ejus criminum manifestatione et confessione molestum et horridum hoc interloquium, attonitis spectatoribus, diu continuasset, tandem horribiliori voce conclusit dæmon: justum est igitur, ut ad abyssum inferni detrudaris, sæpius ac semper horribilius nomen abyssi repetendo; cui miser eadem voce mœsta respondens: amen, statim mortuus est. Plures sine dubio fuerunt in hoc terribili spectaculo circumstantiae, quarum modo non recordor: sed horum terrore ac horrore percusus inter alios bonus ac pius ille sacerdos, volens alterius malo proficere, ad nostram suæ salvationis desiderio confugit religionem, quem novitum Romæ vidi sub nomine Patris Paulini, anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, ibique descriptam historiam, quasi motivum vocationis ipsius, ex unanimi nostrorum patrum relatione didici; et credo quod ipsomet Patre Paulino referente postmodum audivi, prout eam descripsi.

Secundum adhuc horribilius in Belgio contigit, quod relatione cuiusdam patris nostri ejusdem provinciæ didici, qui alium religiosum nostrum, cui hoc acciderat, optime novit. Contigit igitur, quod tres juvenes, satis dissoluti et voluptatibus addicti, commessionibus, ebrietatibus et impudicitiis vacarent; cumque suorum criminum mensuram complessent, accidit quadam die, ut post cœnam unus reliquis diceret, ut Deo gratias agerent; cui alter impie respondit: imo gratias agamus diabolo. Paulo post cubitum eunt, omnesque simul in eodem lecto decumbunt. Sed ecce divinum judicium eos horribili sententia premit: illustratur subito cubiculum; fasciculus ligni cadit e camino; spectrum apparet, ignem

excitat, veru preparat, et medium inter jacentes vocat et jubet accedere (is erat qui gratias diabolo referendas dixerat); cumque dissimularet, spectrum accedit, violenter trahit, veru nudatum figit, ac igne ardenti miserabiliter ejulantem assat. Ad hoc terrible spectaculum alter duorum decumbentium mortuus est; tertius vero (is erat qui post cœnam gratias Deo referre monuerat), aliorum infortunio resipiscens, mane facto statim ad conventum nostrum properavit, ut ad religiosum habitum admitti enixe postularet: admissus in maximis pœnitentiae rigoribus noviciatum duxit, et post emissam professionem in iisdem rigoribus extraordinariis perseveravit; sieque prædicto horribili spectaculo perculsus et attutus mansit, ac si semper illud præ oculis haberet. Unde semper cogitabundus et intra se collectus, nunquam vero ridens apparet. Sed de his vocationibus nunc satis; iterum de ipsis sermo redibit.

Postquam Deus ex prædicto corruptionis et impuritatis statu famulos misericorditer electos in viam sanctitatis vocavit, solet eos etiam in 'ipso principio miris favoribus recreare, et majoribus plerumque quo majores fuerint peccatores, ut suavi hac favorum et divinæ benevolentiae experientia fidentes tam misericordi Domino, et in bono confirmati viam crucis alacriter suscipiant, montem perfectionis viriliter ascendant, et inde generose militantes vim regno cœlorum inferant, et violenter armis spiritualibus rapiant illud. Hanc militiam spiritualem apte describit Richardus a S. Victore in Psalmum 8, per comparationem ad militiam materialem. Ait igitur: « Istam viam ascendunt viri duntaxat ad bella doctissimi, et terribilis castrorum acies ordinata virorum fortium, et eorum qui possunt ad bella procedere, viam veritatis eligentes, utpote vim facturi, arctam illam et arduam, illam quæ ducit ad vitam cum alacritate apprehendunt, et cum summa festinatione per semitam mandatorum de valle lacrymarum ascendunt de virtute in virtutem, quæ retro sunt obliti et in interiora extenti, satagunt semper magis magisque sapere quæ sursum sunt, non quæ super terram, donec vix cum multo labore tandem aliquando apprehendentes montis verticem, perveniant usque ad civitatem munitam. Collecta itaque omni multitudine in summis montium, et secundum castorum disciplinam acie ordinata, mirabiliter in montibus æternis cingunt urbem et inchoant obsidionem. Et in primo quidem congressu ci-vium constantiam telorum jactu emollire nituntur: assistunt hinc

sagittarii, illinc fundibularii. Jaciuntur itaque ab aliis suspiriorum sagittae ab imo cordis evulsae, ab aliis ignitae orationis tædæ accensæ: volant undique sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. Hinc isti in funda et lapide, illinc illi in splendore fulgorantis hasta suæ dant crebros ictus in gemitibus inenarrabilibus, universis rugientibus a gemitu cordis sui. Nec dubium, in tam acri certamine, in tanto talium telorum imbre, quin cœlestes illæ angelicarum virtutum phalanges crebra suscipiant miseracionum vulnera, in tantum ut sauciatorum caterva necessitate urgente cogatur clamare: «Vulnerata charitate ego sum,» utpote pietatis affectibus medullitus confossa et passim perforata. Eriguntur præterea machinæ meditationum, speculationum, contemplationum: patent jam urbis interiora; ab alta siquidem contemplationis machina facile conspiciuntur quæ intrinsecus sunt vel geruntur. Applicatis denique ad murum machinis, et electorum ex omnibus bellatorum fortium ordinibus intus dispositis, aggrediuntur cominus propugnatores civitatis. Sed ne spiculis ex diverso venientibus aliqua errorum vulnera suscipiant, induit lorica fidei, proteguntur galea spei, tenentes in manibus gladium spiritus quod est verbum Dei. His igitur e machinis, illis e propugnaeulis fortiter dimicantibus, vicissim feriunt, et feriuntur, utrumque vulnerant et vulnerantur, his compunctionis, illis pietatis vulnera suscientibus. His itaque in hunc modum certantibus, alii ad torquendos lapides balistas erigunt, et de scripturarum canone ratas irrefragabilis auctoritatis sententias eruunt: feruntur itaque in muros ingentes saxorum moles, lapides lapidibus illiduntur, ut ex crebra scripturarum collatione secretioris scientiae secreta patescant. Sed nec ista sufficient, admovetur præterea ad murum aries, et intercurrente directa ratiocinatione, validæ augmentationis ictibus murorum firmitas tandem dissolvitur, et crebrescentibus circumquaque revelationum rimis urbis interiora patet. Tandem aliquando moenia urbis vario machinationum impulsu dejiciuntur, et illa alta profunditas et profunda altitudo mysteriorum divinorum penetratur; et murus ille spissus et altus in figuris et ænigmatibus constructus dirumpitur. Rupto itaque muro irruunt undique fortes et perseverantes, scrutinio penetrant usque ad interiora austri; his et aliis duntaxat, qui in eis audacieores sunt, irrumpentibus penetralia divini palatii, ubi et audiunt arcana illa verba quæ non licet homini loqui. Divi-

duntur cæteri per vicos et plateas civitatis perscrutantes omnia, penetrantes abdita quæque locorum et ædium secretiora, nihil intactum prætereuntes, nihil indiscresum relinquentes. Intrant tandem (nullo obstante) in æterna gazophylacia cœlestium thesaurorum, in quibus abscondita jacet altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei. Rapit itaque quisque quod potest: ab alio sermo sapientiae, ab alio sermo scientiae vendicatur; huic cedit discretio spirituum, illi genera linguarum. In hunc itaque modum illæ gazæ spiritualium charismatum ab aliis et aliis varia sorte diripiuntur, ut constet quod veritas attestatur, Matthæi II. « Quia regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. » Direpto itaque cœlesti thesauro a virtutum prædonibus, omnes onerati spoliis et onusti præda cum alacritate redeunt, et per aliam viam revertuntur in regionem suam. »

Hæc igitur sunt arma militiae nostræ, quibus de nobis ipsis effecti victores, per extirpationem omnium, quæ Deo displicantia dominantur in nobis, et relictis ac dissipatis inferius vitiis, peccatis, passionibus, facile montem perfectionis soluti et exonerati concenderemus, ibique gloriosi triumphatores effecti cœlo vim inferemus, et violenter illud rapiemus. Videamus igitur, quibus nos ex parte cognitionis purgare debemus.

## DISCURSUS II.

### DE HIS, QUIBUS PURGANDA EST ANIMA QUANTUM AD PARTEM COGNOSCITIVAM.

Incipientes activam animæ purgationem, quantum ad partem cognoscitivam, sciendum primo est quibusnam debeat purgari; deinde quomodo, vel quo medio debeat purgari: ut his præcognitis statim ad exercitium activæ purgationis, cum auxiliis divinæ gratiae prævenientis et adjuvantis accedamus. In hoc igitur discursu disserimus de iis, quibus purganda est anima quantum ad partem cognoscitivam; in sequentibus disseremus de modo vel de medio, quo hujusmodi debet purgari.

## ARTICULUS I.

QUOMODO PURGANDA SIT MEMORIA SUIS NATURALIBUS  
NOTITIIS.

Alloquimur quidem nunc tyrones, seu incipientes viam perfectio-  
nis et mentalis studium orationis; sed tamen sic eos instruimus, ut  
paulatim ad exercitium proficientium dirigamus, et ad statum per-  
fectorum adducamus, de via purgativa ad illuminativam, et de illu-  
minativa ad unitivam disponentes. Si quis enim in via semper pur-  
gativa, et in ipsis vitæ devote principiis vellet sistere, tam alta et  
tam solida, quam hic tradimus, doctrina non indigeret, sed in ipsis  
deberet vitæ spiritualis morari rudimentis, quæ communiter ab  
omnibus pene sciuntur, et in quibus aliqui sed indocti totalem con-  
stituant perfectionem; sed pace eorum dixerim, decipiuntur: ne-  
cessaria quidem sunt incipientibus, sed ad perfectionem vitæ spiri-  
tualis non sufficiunt; sicut linguae latinæ rudimenta sunt quidem  
necessaria tyronibus, sed eis non sufficiunt ad perfectionem illius.  
Volentes igitur animas orationi deditas, et ad statum perfectionis  
aspirantes instruere, sigillatim secundum diversas in via perfectio-  
nes, eis documenta convenientia et utilia trademus.

Ad hujus doctrinæ majorem evidentiam, supponimus, quod per  
noticias naturales intelligimus omnes illas cognitiones seu appre-  
hensiones, quas mediis sensibus tam externis quam internis forma-  
mus. Ut autem ab ipsis statim initii totum nostræ cognitionis  
exercitium ex communi philosophorum doctrina manifestemus, sup-  
ponimus quod homo constans anima rationali et corpore, simul est  
materialis et spiritualis. Unde et cognitionem habet et materialem  
more brutorum, et spiritualem more angelorum. Sic anima ratio-  
nalis est forma corporis quod animat, ut non totaliter ab eo absor-  
beatur, sicut aliæ formæ seu animæ materiales, sive deductæ de  
potentia materiæ; sed manet supra corpus elevata, ac independen-  
ter ab eo subsistens, ut appareat in ejus separatione, ubi per se sola  
subsistit. Et hoc ideo, quia deforis advenit materiæ, sive creaturæ  
subsistens in ordine ad corpus. Quatenus igitur anima rationalis  
est forma corporis, habet potentias corpori affixas, quas vocant or-  
ganicas, quia resident in quibusdam partibus corporis, debite præ-

paratis et ab eadem anima organizatis ad eliciendas hujusmodi potentiarum operationes; quatenus autem est forma supra corpus elevata, et independenter ab eo subsistens, habet etiam potentias supra corpus elevatas et ab eo independentes tam ad esse, quam ad proxime operari (remote namque pro statu unionis ad omnem suam operationem dependet a corpore). Potentiae prioris generis sunt tam partis vegetativa, quae non pertinent ad praesens intentum, vide-licet nutritiva, augmentativa, et generativa, quam partis sensitivae, videlicet et cognoscitivae statim adducendae, et affectivae quae sunt appetitus concupiscibilis et irascibilis. Potentiae posterioris generis sunt intellectus ad cognitionem, et voluntas ad affectum.

Potentiae cognoscitivae, ad quas spectant notitia sive apprehensiones naturales, de quibus agimus in praesenti, multiplicatae sunt in parte sensitiva, non autem in parte intellectiva; nam unus intellectus ob maximam sui perfectionem ac immaterialitatem, omnia cognoscit quae potentiae sensitivae cognoscunt, et multo plura ac potiora, scilicet immaterialia, ad quae sensitivae materiales non possunt attingere; quae enim sunt dispersa in inferioribus, sunt unita in superioribus.

Potentiae cognoscitivae partis sensitivae dicuntur sensus, qui dividuntur in externos et internos. Sensus externi sunt quinque, vide-licet, Visus, cognoscitivus sive perceptivus lucis et colorum; Auditus, perceptivus sonorum; Odoratus, perceptivus odorum; Gustus, perceptivus saporum; et Tactus, perceptivus primarum qualitatum, caloris et frigoris, humiditatis et siccitatis. Sensus interni sunt quatuor et perfectiores externis; externi namque sunt tantum apprehensivi objectorum, interni sunt et apprehensivi et judicativi. Primus internus dicitur Sensus Communis in anteriori parte capitis ad frontem residens; ad quem sensus omnes externi, tanquam ad commune receptaculum, omnes suas species intentionales referunt; iisque facile propter humiditatem receptis circa diversitatem objectorum judicat, discernens inter colores, sonos, odores, sapore, ac qualitates tangibles. Huic succedit Imaginatio sive Phantasia in media capitum aut cerebri parte sita, quae paulo siccior magis impressas retinet species; cumque sit perfectior sensu communi, simul species sensatas componit, et ex monte v. g. et auro format montem aureum. Sed quia ad animalium conservationem necessarium est, quod quaedam intentiones percipientur, quae in speciebus inten-

tionalibus manifeste non reluent, inde est, quod author naturæ provisit de alia quadam potentia, quæ in cæteris animalibus dicitur *Æstimativa*, et in homine *Cogitativa*, cum in eo ex conjunctione ad intellectum aliquid discursus participet; hæc potentia notior imaginatione, ac prope ipsam in intima parte cerebri collocata, ex phantasmatisbus aliquas intentiones colligit; sicut in ove vel agno ex phantasmate lupi colligit intentionem inimicitiae, ex phantasmate canis intentionem amicitiae; similiter in ave ex phantasmate paleæ colligit intentionem convenientiae ad nidum fabricandum. Tandem est in posteriori parte capitinis Memoria ad hujusmodi conservandas intentiones, quæ in homine dicitur *Reminiscentia*; quia in aliis animalibus solo instinctu naturæ vel data solum occasione præteriorum recordatur, in homine propria industria et artificio recordatur.

In parte vero intellectuali est unica potentia cognoscitiva, scilicet *Intellectus* dictus possibilis aut passibilis, qui beneficio intellectus agentis phantasmata illuminantis, recipit species intelligibiles ab illis abstractas, quæ non directe repræsentant individua, sicut ea repræsentant phantasmata ex quibus abstrahuntur, sed repræsentant naturas universas, quas intellectus in his speciebus cognoscit immediate et directe, arguitive autem ex illis cognoscit res pure spirituales. Hic cum sit unica potentia, adæquat, imo excedit omnes potentias sensitivæ partis supra enumeratas: omnia quippe cognoscit que illæ cognoscunt, secundum omnes temporis differentias. Cum nascimur, est quasi tabula rasa, nihilque potest cognoscere, nisi per sensus externos et internos intret et ad ipsum perveniat, quamvis in statu separationis infusas habeat species, pro illo statu necessarias, quas in statu unionis acquirere non potuit; supernaturaliter etiam aliquas species infusas recipit, ad repræsentanda quædam objecta eminentiora, quæ per acquisitas repræsentari non possunt. *Intellectus*, ut conservativus specierum intelligibilium, dicitur *Memoria Intellectiva*. Unde in parte intellectiva sunt realiter idem *intellectus* et *memoria*. *Huic* solum adjungitur alia potentia affectiva scilicet *Voluntas*, quæ est appetitus rationalis; cuius objectum est bonum, sicut objectum *intellectus* est verum.

Ex præcedenti discursu, brevi quidem et compendioso, si res descriptæ attendantur (quem hie præmittere necessarium fuit, ad evidentiam omnium de quibus in hoc opere disseretur), constat in

quibus potentias apprehensiones seu notitiae naturales reperiantur: reperiuntur quidem in actu cognitae transeunter in quatuor sensibus internis, sed in habitu et permanenter reperiuntur in imaginatione sive phantasia, et in memoria sensitiva; verum utroque modo et eminentiori reperiuntur in intellectu. Specialiter autem in hoc articulo fit mentio memoriae, seu sensitivae, seu intellectivae, quia notitiae subito transeuntes non tantum damni possunt afferre, quantum notitiae diutius in memoria remanentes, et ad actum saepius redeuntes. Unde principaliter circa memoriae purgationem activam disserimus; ex his tamen quae dicuntur, etiam colligetur qualiter omnes potentiae cognoscitivae propriis sint notitiis et apprehensionibus purgandae.

Apprehensiones autem sive notitiae naturales sunt in triplici differentia. Quædam sunt moraliter malæ, quæ scilicet inducunt ad peccandum, vel a peccatis causantur; quales sunt practicæ notitiae fornicationis, homicidii, furti, odii, et similes (speculativæ siquidem puræ, maxime in viris doctis, ad sui et aliorum instructionem, non sunt malæ ac vituperabiles, at potius bonæ et laudabiles). Quædam sunt moraliter bonæ, quæ scilicet inducunt ad actus virtutis, vel ab illis causantur; quales sunt notitiae tam speculativæ quam practicæ prudentiæ, justitiae, fortitudinis, temperantiæ, misericordiæ, et similes. Quædam denique sunt ex propria specie ad bonum et ad malum indifferentes (quamvis in individuo singulæ sint ex aliqua circumstantia bonæ vel malæ), quales sunt notitiae scientiarum naturalium, diversorum eventuum, historiarum, negotiorum sæcularium, et similes quæ ex propriis circumstantiis vel laudabiles, vel vituperabiles redduntur.

Debet igitur, qui ad sanctitatem et ad perfectionem aspirat, suam purgare memoriam omnibus apprehensionibus ac notitiis naturalibus moraliter malis; vel eas evacuando, si libertate prioris vitæ jam colegerit; vel impediendo, ne postmodum adveniant. Et hic deponit omnem malitiam, et exuit veterem hominem, et induit novum qui secundum Deum creatus est, juxta præceptum Apostoli. De hoc nullus catholicus dubitare potest, cum sit simpliciter necessarium non solum ad perfectionem vite spiritualis, quæ in unione divina consistit, sed etiam ad substantiam vite spiritualis, quæ cum hujusmodi moraliter malis apprehensionibus, si libere conserventur admissæ, vel de novo admittantur, consistere non potest.

Hanc totalem memoriae purgationem præcipit Apostolus Petrus Epist. 1, cap. 2, suis discipulis dicens : « Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem ; si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus. » Unde debet vir spiritualis ad vitæ perfectionem aspirans, non solum a suis actibus prædictos morales defectus omnino deponere, sed etiam eorum notitias e memoria penitus delere, ut sic nunquam eorum recordetur, nisi forte ut errata prioris vitæ defleat.

Quantum ad notitias et apprehensiones naturales ex propria specie indifferentes, et quæ ex concurso alicujus circumstantiæ redderentur in individuo malæ, debet idem affirmari quod de prioribus ex natura sua moraliter malis, cum eadem sit ratio de utrisque ; parum enim refert, undenam hujusmodi notitiae sint moraliter malæ, dummodo sint malæ ; fœdant quippe, depravant, et inficiunt memoriam, quamvis illæ priores sint magis nocivæ et perniciosæ, quam istæ posteriores, quia illæ nulla possunt honestari circumstantia ut reddantur bonæ, cum tamen istæ possint honestari ac reddi bonæ, mutata circumstantia qua depravabantur. Sed absolute loquendo, quamvis hujusmodi notitiae reddantur hic et nunc bonæ, conveniens tamen imo necessarium est ad acquirendam perfectiōnem, ad quam animas dirigimus, et in ordine ad divinam unionem, quod sic eis purgetur memoria, ut non procuret quis eas jam acquisitas conservare, vel ex industria de novo acquirere ; cuiusmodi sunt vanæ quædam et inutiles curiositates, quæ nec propriæ nec aliorum saluti prodesse possunt ; si namque prodesse possent, ut scientiæ et alia honesta exercitia, laudabiliter conservantur. Hujus ratio est : quia quanto memoria prædictis inutilibus notitiis ad salutem occupatur, eo minus potest acquirere vel conservare alias ad salutem necessarias ; quia, juxta philosophicum axioma, « intus existens prohibet extraneum. » Et si illæ notitiae indifferentes, puta scientiarum, quæ ad salutem prodesse possunt, debent sic moderari et disponi, quod plurimum eis memoria non vacet, maxime dum anima præparatur contemplationi, quæ earum speculatione posset impediri vel retardari, quia pluribus intentus minor est ad singula sensus, ut tam philosophia quam experientia docet, quanto magis notitiae penitus inutiles debent evacuari et purgari, ne sæpius occur-

rentes memoriae contemplationis exercitium impediunt. Unde mirum est, quod qui vanis rumoribus aut aliis inutilibus immoratur, sit bene contemplationi dispositus; quamvis enim tempore, quo se contemplationi accingit, velit eas deponere, saepius tamen et importunae redibunt, ac mentem distrahent, et hoc justa Dei permissione in poenam curiositatis ac infidelitatis animae. Nec mirandum est, si hoc istis accidat, cum viri sancti legitime et laudabiliter propriis officiis occupati, vix eorum notitiae ac distractionibus tempore contemplationis liberari possint; cum tamen Deus cum istis specialiter concurrat. Propterea B. P. N. Joannes à Cruce libro 3. Ascensus montis Carmeli cap. 1, monet virum spiritualem, qui ad statum divinæ unionis aspirat, ut haec procedat cautela, quod in omnibus rebus (hujusmodi scilicet indifferentibus) quas videbit, audiet, odorabit, gustabit et tanget, non sic afficiatur, ut procuret eas in memoria tanquam in archivio vel communi receptaculo conservare; quin potius sic se habeat, quod eas absque peculiari reflexione sinat currere, nec eis attendat, nisi forte necessaria indicetur earum consideratio, vel ad proprium, vel ad proximi bonum.

Quantum denique ad notitias et apprehensiones naturales moraliter bonas, dicimus quod non debet eis memoria privari, imo necessarium est incipientibus viam perfectionis, quod sanctas hujusmodi notitias acquirant, ut mediis illis alias moraliter malas prius collectas excludant e memoria, illisque in memoria tanquam in sacrario quodam reservatis utantur in suis meditationibus, et ab illis postmodum suam contemplationem incipient. Sed quando Dominus eos altius elevare, ac in divinam caliginem introducere voluerit, tunc illis pro tunc velut inutilibus dimissis Domini ductum sequantur, ut infra declarabitur. Quod autem sit necessarium viro spirituali sacras hujusmodi notitias, puta sanctorum, et inter eos Beatissimæ Virginis Mariae, et præsertim sacratissimæ humanitatis Christi, in memoriae sacrario conservare, docent communiter sancti Patres, mystici doctores, imo et Ecclesia Catholica, dum illorum sacras imagines non solum venerandas, sed etiam considerandas proponit, ut earum primo intuitu, et frequenti postea recordatione, mens sursum in cœlestium meditationem ac divinorum contemplationem assurgat; nec possunt esse inutiles, et multo minus nocivæ viris quantumcumque contemplativis, non enim altissima Divinitatis in caligine contemplatio potest esse pro hoc

statu mortalis vitæ continua. Unde illa recedente debet anima sanctas hujusmodi notitias de memoriæ sacrario reducere, ut in tempore necessitatis earum pia meditatione proficiat. Propterea B. P. N. Joannes a Cruce loco citato, cum aliis prædictis notitiis memoriam purgandam esse docuisse, monet tamen advertendum esse, quod studium et diligentia affectatæ oblivionis aut exclusionis notitiarum naturalium, nunquam de Christo vel de sacratissima ejus humanitate debet intelligi: nam licet aliquando in sublimitate contemplationis ac simplici Divinitatis intuitu anima non recordatur ipsius, quia Deus quasi propria manu ad confusam, caliginosam, ac eminentissimam illam speculationem spiritum elevavit, adhibere tamen diligentiam et studium, ut ejus obliviscatur, nullo modo ipsi convenit; nam ejus consideratio et amorosa meditatio plurimum ad omne bonum spirituale proderit, et ea mediante facilius ad altissimum unionis gradum ascendetur. Et certe clarum ac evidens est, quod quantumcumque res aliæ visibles et corporales huic unioni præstant impedimentum, propter quod debent excludi a memoria; non tamen in eorum numero computandus est ipse Dominus, qui propter nostram salutem descendit de cœlis, qui est veritas, porta, et via ad omne bonum. In aliis autem rebus totalis procuretur abstractio et oblivio, ita quod, quantum fieri poterit, nulla remaneat impressa memoriæ earum notitia, vel imago creata, non secus ac si non essent in mundo, ac memoria relinquatur libera, et expedita soli Deo recipiendo, ut ita ab omnibus creatis vacua possit Deo possesso repleri. Quod tamen juxta superius dicta pro triplici notitiarum differentia debet intelligi.

## ARTICULUS II.

QUIBUS NOTITIIS NATURALIBUS PRÆCIPUE PURGANDA EST  
MEMORIA.

Non aequaliter omnes notitiæ naturales rerum creatarum, in memoria conservatae, profectui spirituali nocent, nec aquale præstant unioni divinæ impedimentum; sed aliquæ plus animæ nocent, ac majus dictæ unioni præstant impedimentum, ex his etiam quæ cum statu gratiæ sunt compossibilis, quia scilicet habitæ magis

occupant memoriam, et sic absorbent, ut difficulter deo recordari possit, propter nimium earum rerum affectum, qui cultam consequitur notitiam. Propterea harum præcipue rerum notitiis naturalibus purganda est memoria, ut etiam nimio earum amore purgetur affectus. De his plura sigillatim forent dicenda, sed tamen hic breviter simul expedientur.

Debet igitur primo purgari memoria naturali patriæ, parentum, et aliorum affinium notitia, ut sic ab inordinato eorum affectu liberetur appetitus: quod facile fiet, si quis sibi persuadeat terram esse locum exilii, et cœlum esse patriam, et quod non habemus hic permanentem civitatem, sed futuram inquirimus, quod inter homines sumus advenæ et peregrini, ac cives sanctorum in cœlesti Jerusalem, et domestici Dei in regno cœlorum; si quis juxta Christi præceptum non vocet sibi patrem super terram (inordinato scilicet affectu) recordatus quod unus est nobis pater in cœlo, quem sæpius in oratione dominica reverenter invocamus, dicentes: « Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. » Cujus proinde nos obsequio totaliter mancipare debemus, cui soli propter seipsum, aliis autem carnaliter etiam cognatis propter ipsum solum placere debemus: nam « sicut eos qui nobis carnis cognatione conjuncti sunt, et quos proximos novimus diligere debemus, quandiu nobis in via salutis non obstant, sic quando eos in via Dei patimur adversarios, debemus odisse, ac fugiendo nescisse, » ut ait S. Gregorius homilia 37, in Evangelia. Propterea Christus Dominus, Lucæ 14, dixit turbis: « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. » Hoc S. Franciscus mirabilis monstravit exemplo, dum patrem in via salutis et evangelicæ perfectionis sentiens adversarium, bonis cessit paternis, et rejectis etiam vestibus lætanter dixit, sibi in posterum majorem facultatem fore dicendi: Pater noster qui es in cœlis. Hæc patriæ, parentum et cognitorum notitia sic profectui spirituali animæ ad divinam unionem tendentis nocere potest, et ordinarie nocet, ut, cum Deus sanctum Abraham in patrem fidei, et in patriarcham electi populi designasset, volens ipsum perficere, sibique specialiter unire, de patriæ solo in longinquam traduxit regionem, dixitque ei: « Egrede te de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni

in terram quam monstrabo tibi. » Et Dominus in Psalmis vocans animam ad unionis statum, sic ait : « Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliuiscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet Rex decorum tuum. »

Debet secundo purgari memoria naturali voluptatum et deliciarum notitia, ut etiam earum affectu purgetur appetitus ; sola quippe via crucis ad perfectionem ac divinam unionem adducit. Propterea magister veritatis suis ait discipulis: « Qui non bajulat crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. » Et sponsa dilecti sui desiderans unionem ait : « Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. » Ne credant, qui delicias et voluptates etiam fidelibus licitas sectantur, quod ad divinam unionem pertainent : non invenitur divina sapientia in terra suaviter viventium. De quibus ait Apostolus ad Philippenses 3: « Multi ambulant, quos saepe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi ; quorum finis interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt ; nostra autem conversatio in cœlis est, unde etiam salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum-Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua etiam possit subjecere sibi omnia. » Quasi diceret: inimici crucis Christi, quantumcumque se fideles et devotos jacent, non ad divinam unionem ac vitæ perfectionem unquam attingent, imo finis eorum erit interitus, et prætensa gloria erit in confusione ipsorum, quia proprius venter est Deus eorum, cum ipsum oblatis omnibus deliciis, et concessis ultiro voluptatibus adorent, quasi terrena sapientes : sed nostra conversatio in cœlis est, quia vere sumus amici crucis Christi, et per ejus viam ad divinam tendimus unionem ; propterea de cœlis salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum-Christum, qui nos sibi stricto vinculo perfectæ charitatis uniendo, reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, per quamdam nostri in ipsum transformationem, secundum scilicet mirabilem illam amoris operationem, qua etiam possit subjecere sibi omnia cordis desideria.

Si cæterarum omnium rerum creatarum notitiis debet purgari memoria, ut jam dictum est, et mox amplius dicetur, multo magis voluptatum et deliciarum notitia purgari debet : quia, juxta communem sanctorum Patrum doctrinam, debemus eas

vincere, non resistendo, sed fugiendo. Cujus ratio est manifesta : hæ quippe sunt objectum sensualitatis, quæ si earum excitetur præsentia, propter connaturalem quodammodo sensitivæ partis ad rationalem in natura corrupta rebellionem, sic exardescet in earum amore ac desiderio, quod per imperium rationis temperari non poterit; plus enim sensibile ac præsens objectum movet, quam intellectuale absens, si naturaliter loquamus post naturæ corruptionem, ut ipsa constat experientia.

Debet tertio purgari memoria naturali divitiarum et commodatum inde consequentium notitia, ut etiam earum affectu purgetur appetitus. Cum enim pecuniae omnia obedient, ut dicit Spiritus Sanctus, divitiae sunt, ut plurimum, omnium malorum instrumenta. Propterea Apostolus suum instruens Timotheum, Epist. I, Cap. 6, sic ait : « Est quæstus magnus pietas cum sufficientia, nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus ; habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus : nam qui volunt divites fieri, incident in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem; radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. » Et post pauca subdit : « Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum; bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. » Quibus verbis Apostolus non solum dissuadet desiderium et superfluum cogitatum divitiarum his qui eas non possident, si ad perfectionem velint pervenire, docens esse contentos necessariis ad victum et vestitum, sed etiam instruit divites non superbe sapere, nec sperare in divitiis, sed in Domino ; quod fieri non posset, si divitias cum sollicitudine ac nimio affectu possiderent. Tantamque vult Dominus esse divitiarum oblicationem in electis servis suis, ut eis in Apostolorum persona dixerit : « Nolite solliciti esse dicentes : quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt ; scit enim pater vester quia his omnibus indigetis : querite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis ; nolite ergo solliciti esse in crastinum, crastinus enim dies

sollicitus erit sibi ipsi. » Et prius suam erga dilectos famulos suos specialem providentiam demonstrat, dicens quod si volatilibus, non serentibus nec metentibus, de victu providet abundantiter, et tam gloriose de vestitu liliis non nentibus; quanto magis de utroque providebit iis qui toto cordis affectu divinæ majestati suæ deservient! Unde vult, quod totaliter in ipso fidentes, etiam de necessariis ad victimum et vestitum non cogitent, sed cogitatum suum in Domino jacent qui eos enutriat. Et hoc ideo, quia non potest quis cogitare de divitiis acquirendis, quin sit valde in hoc sollicitus; et haec sollicitudo mentem sic occupat, ut non possit libere Deo servire, et multo minus divinæ contemplationi vacare, ac Deo per intimam unionem firmiter adhærere.

Debet quarto purgari memoria naturali dignitatum et honorum notitia, ut etiam eorum affectu purgetur appetitus. Hanc doctrinam Christus Dominus suos docuit discipulos, volens eos humilitate et non dominatione crescere. Et primo, cum sancti Jacobus et Joannes primas sessiones in regno cœlorum postulassent, severe et graviter eos arguit, dicens: « Nescitis quid petatis; » et exhortans ad tolerantiam passionum et contemptus, subdit: « Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? » Et cum facta fuisset contentio inter apostolos, quis eorum videretur esse major, dixit eis Dominus, Lucæ 22: « Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui predecessor est, sicut ministrator. » Et exemplo sui probans, qui cum Deus esset, exinanivit semetipsum, subdit: « Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. »

Debet tandem purgari memoria naturali sacerdotalium negotiorum notitia, quibus potest appetitus implicari: quia, ut ait Apostolus, « nemo militans Deo implicat se negotiis sacerdotalibus, ut ei placet cui se probavit. » Et similiter debet purgari curiosis aliis et inutilibus notitiis, quas quisque in seipso experietur esse impedimento ad contemplationem rerum cœlestium, et ad divinam unionem: juxta enim cujusque dispositionem et inclinationem, hæ vel illæ rerum creatarum notitiæ mentem occupant aut non occupant, mentem distrahunt aut non distrahunt, magis aut minus occupant et distrahunt. Qui igitur advertit aliquas notitiias sibi plurimum

impedimenti ad internam recollectionem afferre, mentemque suam valde distrahere, plus debet in purganda illis memoria studere, quam alius qui tantum damnum ex hujusmodi notitiis non patitur, quamvis alias sint de rebus licitis: quid enim refert, quod mens gravioribus aut levioribus detineatur vinculis, si ad Deum non possit elevari sursum, sed inferius detineatur? Sicut parum refert avi captæ, quod fortiori vinculo vel filo captiva detineatur, si non possit avolare, et pristinam libertatem acquirere; in hoc solum est differentia, quod in utroque casu vincula leviora facilius disrumpuntur, et libertas mentis sicut et avis potest facilius acquiri.

### ARTICULUS III.

#### MULTÆ PROVENIUNT ANIMÆ UTILITATES EX PURGATIONE PRÆDICTA MEMORIÆ, ET MULTA DAMNA EX DEFECTU IPSIUS.

Bona, que proveniunt ex aliquo rerum exercitio, juxta sui conditionem ad tale movent exercitium. Et similiter dicendum de malis quæ hoc vitantur exercitio. Bonum enim acquirendum directe movet voluntatem ad opus, malum vero fugiendum indirecte. Quamvis autem bonum honestum sit secundum se præcipuum, ac bono delectabili et utili præferendum, propter infirmitatem tamen subjecti, saepius bonum delectabile vel utile movet efficiacius quam bonum honestum, ut ipsa constat experientia. Unde, ut anima contemplativa totis procuret viribus memoriam naturalibus rerum cretarum purgare notitiis, opus est proponere multas, quæ ex tali purgatione proveniunt, utilitates, et multa damna quæ per illam vitantur, et ex defectu illius accidentur. Hæc duo simul contraria proponuntur, quia contrariorum eadem est doctrina, et contraria juxta se posita magis elucescent.

Quantum igitur ad utilitates, quæ proveniunt animæ dum memoriam naturalibus rerum cretarum purgat notitiis, prima est, quod anima summa fruitur tranquillitate, et pace spiritus intima. Cujus ratio manifesta est: quia per hanc notitiarum naturalium purgationem tollitur causa turbationis et alterationis animæ, scilicet ipsæmet notitiæ rerum cretarum, quibus anima turbatur et

distrahitur circa plurima, cum tantum unum sit necessarium, ut scilicet cum Magdalena sedeat ad pedes Domini, et audiat verbum ipsius.

Secunda est, quod anima, mediante hujusmodi purgatione, fruitur puritate conscientiae, quae per inordinatas rerum creatarum notitias, et per indebitum ad eas affectum ex earum notitiis provenientem, fedatur et maculatur: sicut enim in materialibus ex contactu rei sordidæ macula contrahitur, sic ex indebito affectu et contactu voluntatis ad res creatas accedit macula spiritualis. Puritas autem conscientiae maximum est bonum, non tantum utile, sed etiam delectabile. Propterea vocat Apostolus juge convivium puræ conscientiae testimonium.

Tertia est, quod per hanc purgationem activam memoriae ex naturalibus rerum creatarum notitiis, se liberat anima periculo et occasione multarum dæmonis suggestionum, tentationum, ac internorum motuum, quibus plurimas et varias potest incurrere impuritates conscientiae, ut amplius ex dicendis constabit.

Quarta est, quod anima, mediante hac purgatione memoriae ex naturalibus rerum creatarum notitiis, redditur apta et disposita ut immediate doceatur a Spiritu Sancto, qui se aufert a cogitationibus quae sunt sine intellectu, et munda replevit Apostolorum corda. Et certe non potest Deus hoc memoriae vacuum pati, statim ipsam seipso replebit: si enim Deus in ordine naturæ non patitur vacuum, nec etiam illud patietur in ordine gratiae. Cum ergo videbit memoriam notitiis creaturarum vacuam, divinis illam notitiis complebit. Unde quantum potest anima, procuret non novas acquirere creaturarum notitias, quae potius obesse quam prodesse possunt; imo, si quas habet hujusmodi, memoriam illis purgare studeat. Quod si omnino non possit hujusmodi carere notitiis, sic tamen eis utatur, ut ex quocumque rerum eventu non moveatur, aut saltem non perturbetur; nam, ut ait Psalmista, Psal. 38: « In imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur; » et sequatur judicium ac consilium Salomonis, Eccles. 3, dicentis! « Cognovi quod non esset melius nisi lactari, et facere bene in vita sua: » sic faciet quisquis perpendet et intime penetrabit, quod quicquid accidit, Deo volente vel permittente accidit, et quod ad majorem semper Dei gloriam cadit, quantumeumque malum appareat: debet quidem malum displicere cum accidit, sed non debet mentem perturbare.

Quantum autem ad damna, quæ proveniunt animæ ex defectu prædictæ purgationis memoriae, quando scilicet quis vult naturales rerum creatarum notitias conservare, tria convenienter assignantur, quæ refert B. P. N. Joannes a Cruce, Libro 3 Ascensus montis Carmeli, et explicando manifestat Cap. 2, 3 et 4. Primum est, quod anima tales conservans notitias, mediantibus illis ac discursibus inde formatis, cadit in multos defectus et imperfectiones, ut falsitatis, judicii temerarii, desiderii inordinati, jacturae temporis, et similiūm, quibus ipsa anima diversimode fœdatur et corruptitur. Quod cadat in varios defectus falsitatis mediantibus hujusmodi notitiis et discursibus, manifestum est, cum sæpius sit necessarium, quod ipsi discurrēti et consideranti, verum appareat falsum, certum appareat dubium, et vice versa; difficulter namque in rebus naturalibus veritas attingitur: e quibus omnibus seipsam liberat, si memoriam talibus purget notitiis. Quod similiter in multis cadat imperfectiones, constat ex eo quod qui passim attendit ad ea quæ videt, audit, olfacit, gustat, et tangit, necessario percipit ex illis varios affectus doloris, timoris, odii, vanæ spei, vane complacentiæ, vel vanæ gloriæ; qui omnes affectus seu passiones sunt ut plurimum imperfectiones, et aliquando certa peccata venialia, quandoquidem perfectam impediunt animæ puritatem, et purissimam ejus cum Deo unionem. Quod autem hujusmodi generentur appetitus, manifesta patet experientia; quisque enim in seipso quotidie experitur, quomodo juxta diversitatem notitiarum et discursuum, quos de pluribus rebus ac eventibus format, sentit seipsum nunc dolore affligi, nunc timore premi, nunc odio accendi, nunc vana spe moveri, nunc vana complacentia delectari, nunc vana gloria extolli; imo solum velle conservare rerum notitias et discursus, potest esse motivum et incitamentum hujusmodi motuum. Quod etiam in judicia temeraria sæpius incidat, evidenter concluditur: qui enim notitias rerum in memoria conservat, facile de aliorum dictis aut factis discurrit sive bonis sive malis, in quibus aliquando bonum judicatur malum, et malum bonum; quibus vix poterit liberari, qui notitiis hujusmodi memoriam non purgat. Et quamvis fieri possit, quod, dum hujusmodi defectus ocurrunt, majori ex parte vitentur, si ad eos vitandos invigilet anima auxiliis divinæ gratiae præventa et roborata, fieri tamen non potest, quod omnes vitentur, si non procurat anima memoriam naturalibus rerum

creatarum notitiis purgare. Unde in multis remanebit fœdata et impura; in ipsis namque notitiis multæ miscentur et latent imperfectiones, et aliquæ ita subtileæ et delicateæ, quod incautæ animæ vix apparentes aliquam imprimunt impuritatem. Et radix istius est: quia, juxta communem Theologorum doctrinam, licet cum ordinariis divinæ gratiæ auxiliis possit quis singulos morales defectus vitare, non tamē omnes absque speciali privilegio, qui dum uni vitando sollicite attendit, in contrarium plerumque cadit. Propterea dicitur quod septies (sive pluries) in die cadit justus. Et hoc privilegium soli Beatissimæ Virgini inter puras creaturas concessum fuit. Et quamvis concederetur, quod posset quis ex auxiliis divinæ gratiæ non tantum singulos in particulari, sed etiam omnes hujusmodi defectus vitare, certius adhuc et tutius est, imo et facilius, per viam purgationis prædictæ illos vincere, quin potius prævenire; sic enim simul omnes excluduntur, et in sua radice simul ac semel extirpantur, succisis namque talibus notitiis naturalibus rerum creatarum pullulare non poterunt.

Secundum damnum est, quod mediis hujusmodi notitiis potest diabolus animam subjcere, et in ea subtiliter operando multum lucrari: potest enim multas subministrare notitias, et eas multiplicare in anima earum cupida, Deo justo permittente judicio in penam curiositatis ipsius; sicque animam pluribus fœdabit impuritatibus superbiae, avaritiae, luxuriæ, gulæ spiritualis, invidiæ, iræ, acediæ; et in ea suscitabit odium injustum, amorem vanum; ac multis et miris modis eam decipiet. Et insuper sic in imaginatione notitias imprimit, quod falsæ videantur veræ, et veræ videantur falsæ. Tandem major pars deceptionum, malorum, et illusionum, quæ causat dæmon in anima, hac via notitiarum et apprehensionum naturalium subintrat in animam. Unde, si anima prudenter hujusmodi notitiis ostium memoriae claudat, ostium etiam claudet prædictis illusionibus dæmonis, et ab ejus damnis ac variis nocendi modis liberam se custodiet. Certum est enim, quod nihil potest dæmon in anima, nisi mediantibus potentiarum ejus operationibus, et consequenter mediantibus speciebus et notitiis sensibilibus, a quibus, tanquam a primis motivis, potentiarum operationes dependent: propterea, si omnibus illis spoliatur et purgetur memoria, nihil amplius potest diabolus, cum non habeat unde in animam irrepatur. « Velle, sub jungit idem B. P. N., ut personæ spirituales tandem conciperent et

viderent, quot damna causant dæmones in anima, mediante memoria, quando scilicet naturalibus rerum creatarum notitiis uti volunt; quot tristitias, quot afflictiones, et vanas complacentias suscitant in ea circa r̄es quas considerant, quot etiam impuritates in ea relinquent; et tandem mentem distrahunt a summa illa recollectione et quiete, qua debet anima secundum omnes suas potentias soli bono Divinitatis incomprehensibili inhærere suaviter, ab omnibus aliis sensibilibus et apprehensibilibus separata. »

Tertium damnum est, quod hujusmodi naturales rerum creatarum notitiæ possunt impedire bonum morale animæ, et ipsam bono spirituali privare. Quod impedian bonum morale, probatur ex eo quod hoc bonum consistit in passionum moderatione, et in appetitus mortificatione; ex quibus sequitur tranquillitas, pax et requies animæ, quod ad bonum morale pertinet: non potest autem anima perfecte passiones moderatas habere, nec appetitum debite mortificatum, nisi separando et excludendo a se ea unde affectus nascuntur. Cum ergo non nascantur in anima turbationes, nisi mediis memoriae notitiis et apprehensionibus, illis seclusis et oblivioni traditis, non est qui pacem turbet. et appetitum moveat; nam, ut vulgo dicitur, quod oculus non videt, cor non desiderat. Hoc singulis experimur momentis quod quoties anima de aliquo cogitat, juxta naturam apprehensionis diversimode manet circa illud mota, et parum aut multum alterata: si namque fuerit ipsi grave et molestum, motum tristitiae vel odii percipit; si vero fuerit dulce et gratum, motum gaudii vel desiderii colligit: propterea in harum apprehensionum mutatione succedit in anima turbatio; nunc enim gaudet, nunc tristatur, nunc odit, nunc amat, nec in eodem statu semper manet; unde non potest tranquillitate morali frui, nisi sollicite procuret omnes rerum creatarum apprehensiones a se expellere. Quod etiam hujusmodi notitiæ privent animam bono spirituali, clare probatur ex dictis: anima siquidem, alterata et turbata passionibus et inordinatis affectibus, quatenus talis, non est capax boni spiritualis, quod non imprimitur nisi animæ pacifice, et ab omni motu passionum tranquilla. Et insuper, dum distinctis rerum creatarum vacat notitiis, non potest, apprehensibilibus intenta, Deo incomprehensibili suaviter attendere; ad Deum siquidem, in caligine contemplandum, debet potius tendere non comprehendendo, quam comprehendendo, et debet commutabile ac comprehensibile commutare in incommutabile ac incomprehensibile.

## ARTICULUS IV.

NOTITIIS SUPERNATURALIBUS DISTINCTIS PURGANDA EST  
MEMORIA.

Eas vocamus supernaturales notitias, quæ medio supernaturali acquiruntur, sicut eas vocamus naturales notitias, quæ medio naturali acquiruntur. Tot autem sunt species supernaturalium notitiarum, quot et naturalium; cum ambae potentissimis iisdem acquirantur, quamvis diverso medio vel modo. Et, licet de istis sit fusius agendum infra, 2 P. Tract. 3, Disc. 4, hic tamen aliqua prænotare necessarium est ad complementum doctrinæ.

Sicut igitur in ordine naturali notitiæ seu apprehensiones multæ sunt et diversæ, juxta diversitatem sensuum quibus acquiruntur; sic et in ordine supernaturali. In utroque ergo notitiæ seu apprehensiones acquiruntur primo, per quinque sensus externos, scilicet visum, auditum, odoratum, gustum, et tactum: unde quædam sunt visiones, quædam auditiones, quædam olfactiones, quædam gustus, quædam tactus; hujusmodi siquidem operationes tam via naturali ordinarie, quam via supernaturali extraordinarie succedunt. Deinde, sicut in ordine naturali sunt aliae notitiæ seu apprehensiones magis internæ per sensus internos, quæ communiter dicuntur imaginariæ; sic etiam contingit in ordine supernaturali, in quo sunt visiones imaginariæ. Denique in utroque ordine sunt aliae notitiæ seu apprehensiones maxime internæ, scilicet intellectuales. Supernaturalium autem apprehensionum præcipuae sunt quatuor species: Visio scilicet, tum corporea, tum imaginaria, tum intellectualis; Revelatio, tum ut est declaratio alicujus mysterii supernaturalis in ordine ad fidem, tum ut est manifestatio alicujus divinæ veritatis; Locutio, tum ut importat verba successiva, tum ut importat verba formalia, tum ut importat verba substantialia; et Tactus internus animæ.

Quamvis autem circa has omnes et singulas apprehensiones sive notitias supernaturales sigillatim et in particulari loco citato dicetur qualiter anima se debeat in eis gerere, nunc tamen in communi est instruenda. Dicimus igitur, quod anima volens secure in via

perfectionis incedere, et certo ad divinam unionem pertingere, sic se debet circa supernaturales notitias et apprehensiones gerere, ut vel in memoria conservet, vel eis memoriam purget.

Quando ergo Deus supernaturaliter animæ communicat generalem quamdam et confusam sui notitiam, quæ est manifestatio divinae veritatis in caligine, qualis ambulantibus per fidem et in ænigmate potest communicari; vel quando Deus animæ loquitur verbis substantialibus; vel quando per intimum illapsum in reali presentia sic eam in intimo sui centro tangit, ut ipsa Deo præsente quodammodo fruatur, debet ipsa anima notitias inde procedentes in memoriae sacrario conservare, quantum potest, et in ordine ad earum conservationem debet omnes alias, et maxime incompossibilis, istis excludere; quia in istis consistit unio divina ad quam tendit, et quæ pro hoc statu mortalis vitæ haberi potest.

Quantum autem ad omnes alias supernaturales notitias, quandocumque communicentur, sive per visiones, sive per revelationes, sive per locutiones, quantumcumque certa foret anima eas a Deo procedere, debet eis memoriam purgare modo statim subjiciendo. Nec quidquam inde detrimenti proveniet ipsi: nam dato et concessso quod veræ et bonæ sint velut a Deo procedentes (si namque forent malæ a diabolo procedentes, plurimum damni animæ curiosæ possent afferre, ut infra dicetur), statim ac communicantur, effectum habent in anima quem Deus pretendit, independenter ab ejus industria; et aliunde non vult Deus quod illis adhæreat anima tanquam proprietaria, sed quod illis receptis, statim, illis relictis, ad divinam unionem tendat, quæ non in distincta aliqua notitia, sed in caliginosa Dei contemplatione seu in notitia ipsius generali et confusa consistit, pro hoc statu viatorum.

Cum igitur, ut suo loco dicetur, solum per exercitium theologicarum virtutum anima Deo uniatur secundum omnes suas potentias (sicut per gratiam sanctificantem unitur ei secundum suam substantialiam), per exercitium quidem fidei secundum intellectum, per exercitium spei secundum memoriam, et per exercitium charitatis secundum voluntatem, certum est quod memoria non potest aptius et melius disponi ad divinam unionem per exercitium spei quam prædictis ipsam notitiis purgando: nam, ex una parte, objectum spei est Deus ipse nondum possessus, summum creaturæ rationalis bonum; ex alia vero parte, quanto minus anima de rebus aliis possidet, tanto

magis habet capacitatis et aptitudinis ad sperandum illud summum bonum, quod non possidet, et consequenter perfectiorem habet spem; manifestum est enim e contrario, quod quanto plus anima de rebus aliis possidet, tanto minus habet capacitatis et aptitudinis ad sperandum illud summum bonum, et consequenter minus perfectam habet spem: anima quippe, rebus aliis praoccupata, non potest Deum possidendum in se recipere (qui solus eam replere et satiare potest, cum tamen cætera replere eam non possint, sed tantum occupare), maxime quia talis receptio ac possessio est per cognitionem et amorem fruitivum, qui rerum aliarum notitiis distrahuntur ad alia cognoscenda et amanda. Unde, quanto magis anima seipsam Deo servabit integrum, spoliando et privando memoriam notitiis omnium aliarum rerum, quæ non sunt Deus in se ipso, vel Deus humanitus, cuius præsentia seu recordatio plurimum prodest, cum sit via, veritas, vita, dux, et author bonorum omnium, tanto magis ipsammet memoriam in Deo constituet; et quo magis vacuum aliis habebit, eo confidentius sperare poterit quod Deus ipsam sua divinitate replebit.

Debet igitur anima, quæ in totali et pura spe divina vivere ac quiescere desiderat, quoties distinctæ notitiae vel imagines occurruunt, non eis attendere, sed statim mentem in Deum elevans eas excludere, non amplius in earum consideratione immorando, quam forte proprii necessitas officii, vel alia justa causa charitatis, obedientiae et similium requiret; et tunc adhuc advertere debet, ne gaudium et affectum, quem soli Deo servare debet, in eis collocet, nam alias posset inde damnum aliquod vel impedimentum animæ ad divinam unionem provenire.

Sicut ergo sacras exterius imagines ita respicimus, et adoramus, ut non in earum curiosa speculatione sistamus, sed tantum illis tanquam motivis utimur, ut mentem in sanctos ibidem representatos, et inde ad Deum velut ad terminum nostre devotionis elevemus; sic prædictas debemus respicere notitias, etiam supernaturales et sanctos, quæ vivæ sunt imagines, ut in eis non sistamus, sed statim ac occurruunt, illis ut motivis utentes, ac relictis ad Deum contemplandum in divina caligine properemus. Nam si quis objectas sic intueretur imagines, ut earum artificium et delineamenta vellet contemplari, et nunquam de pictura mortua ad vivum prototypum transire, multum deciperetur, nullam utilitatem consequeretur, nec intentioni

Ecclesiæ satisfaceret: simili modo, si quis internas rerum creatarum imagines sive notitias sic vellet intueri, ut non statim mediis illis ad Deum ascenderet, periculosius erraret, propter multa damna quæ possunt inde procedere, ut articulo sequenti dicetur; nec intentioni Dei divinitus eas communicanti corresponderet, qui solum communicat ut suum causet effectum, et illis statim relictis anima ad Dei contemplationem ascendat.

Concludamus dicendo quod, quando notitiae supernaturales sunt alicujus veritatis divinæ sive perfectionis increatae, debent in memoria conservari; quando vero sunt rerum creatarum, si advertat anima se fructum aliquem ex earum recordatione percipere, poterit earum recordari, non ut eis adhæreat, sed ut mediantibus illis renovet et accendat amorem Dei in se, ac majorem ejus notitiam acquirat; quod si nullum ex earum recordatione fructum percipiat, non curet earum recordari, imo procuret non recordari, et eis totally memoriam purgare.

## ARTICULUS V.

NOTITIÆ SUPERNATURALES POSSUNT ANIMÆ MULTA CAU-  
SARE DAMNA, SI EIS ADHÆREAT.

Multo plura et majora damna possunt animæ curiosæ et incautæ supernaturales notitiae, quam naturales rerum creatarum causare, ut fuse probat B. P. N. Joannes a Cruce, Libro 3 Ascensus montis Carmeli, Cap. 7 et sequentibus, ex quibus hic aliqua colligemus. Dicit igitur, quod si anima dictis supernaturalibus notitiis rerum creatarum curiosius adhæreat, quinque genera damni spiritualis incurret. Primum est, quod sæpius decipietur in suis judiciis, unum scilicet accipiendo pro alio. Secundum est, quod in proxima manet occasione cadendi in præsumptionem aliquam aut vanitatem. Tertium est, quod diabolus facultatem et commoditatem habet ipsam decipiendi mediis hujusmodi notitiis et apprehensionibus. Quartum, quod impeditur unio Dei in spe. Quintum denique, quod regulata et directa talibus notitiis non condigne judicat deo secundum ejus eminentiam, sed admodum defectuose juxta limi-

tatam conditionem talium notitiarum : quæ singula suo ordine breviter demonstrantur.

Quantum ad primum genus damni spiritualis, certum est quod qui dictis notitiis firmiter adhærebit, supra ipsas reflectendo, sæpius in suis judiciis decipietur : si namque circa res naturales in imaginatione repræsentatas vix certum potest formari judicium, multo minus tale poterit formari judicium circa res supernaturales, quæ nostram excedunt capacitatem et rarius accidentur. Unde judicabit aliquando quod a Deo procedant, et solum procedunt ab imaginatione. Aliquando judicabit quod procedant a dæmone, et procedunt a Deo, vel e contra. Et aliquando circa proximum judicabit esse moraliter malum quod est bonum, vel esse bonum quod est malum. Aliquando judicabit esse falsum quod est verum, et esse verum quod est falsum. Quamvis autem circa veritatem rei non decipiatur, decipietur tamen circa qualitatem ac aestimationem ipsius : circa qualitatem quidem, judicando illud quod habet in imaginatione talem esse rem, et erit multum diversa, secundum illud Isaiae 5. « Ponentes tenebras in lucem, et lucem in tenebras ; amarum in dulce, et dulce in amarum ; » circa aestimationem vero, judicando parum esse quod est multum, et esse multum quod est parum. Et dato quod in uno secundum omnes ejus circumstantias recte judicet, in alio decipietur ; et licet hoc damnum deceptionis in judicando non incurrat, quia suspendit judicium, aliquod tamen aliud damnum ex modo enumerandis incurret, si dictis afficiatur notitiis. Debet igitur anima, si nolit in judiciis suis decipi, non velle discutere quidnam sit illud quod experitur supernaturaliter in seipsa, quenam erit talis aut talis visio, talis aut talis revelatio, talis aut talis locutio, talis aut talis notitia : non procuret hæc discernere vel scire ; nec multum de illis curet, nisi ut suo directori referat, per quem suadeatur ad purgandam hujusmodi supernaturalibus notitiis memoriam, et simul instruatur qualiter circa ipsas se debeat habere cum tali nuditate spirituali ac purgatione ; cum hæc omnia non ita possint animæ prodesse in ordine ad divinam unionem, quantum proderit minimus actus vivæ fidei, vel firmæ spei.

Quantum ad secundum genus damni spiritualis, certum etiam est quod hujusmodi notitiæ supernaturales ordinarie dant occasionem animæ cadendi in præsumptionem aliquam aut vanitatem, si

de illis curet aut plurimum aestimet : nam, sicut liber est et securus a tali periculo qui, nihil presumptione dignum in se videns, de illis non curat; sic e contrario qui communicationes illas supernaturales multum estimat, facile credit se amicum Dei esse, cum sibi talia communicet, et simul de seipso quid magnum presumet. Et quamvis possit has divinas communicationes non suis meritis, sed purae Dei misericordiae ac liberalitati attribuere, ipsique gratias referre, solet tamen quedam satisfactio de illis, et occulta etiam suiipsius complacentia remanere, unde spiritualis superbia resultat animae incultae. Potest hoc manifeste demonstrari, si dispositionem ipsius consideremus : contingit enim saepius commoveri, indignari, et irasci, dum videt alios suum reprobare spiritum, vel non sic approbare, similiter dum audit eosdem aut etiam majores aliis favores divinitus communicari : qui motus inordinati nascuntur ex propria aestimatione et occulta superbia, quam tamen vix advertit donec multum radicata similes malos producit effectus; licet enim quamdam habeat propriæ miseriae notitiam, non tamen propterea vere dicitur humilis, humilitas namque non potest cum aestimatione sui, et cum satisfactione ac complacentia proprii spiritus consistere, ut appareat in pharisaeo, qui quamvis Deo gratias ageret de beneficiis ab eo receptis, ac de bonis operibus ejus gratia elicitis, rejicitur tamen ut superbus, quia sibi in eisdem operibus plus nimio complacebat, præferens se publicano ipsumque despiciens tanquam inferiorem. Unde, licet verbis hanc pharisai superbiam exterius non exprimat, interius tamen in corde fovet eamdem, aut forte majorem. De quo superius multa dicta sunt, dum ageretur de vitiis et imperfectionibus, quibus aliquando viri spirituales abundant, antequam tam active quam passive purgentur. Ad vitandum igitur tam pestiferum, et in oculis divinæ majestatis tam abominabile damnum, duo considerari debent : primum, quod virtus non consistit in hujusmodi notitiis supernaturalibus, aut motibus quantumvis sublimibus harum communicationum sensibilium, imo potius consistit in eo quod non percipitur, in profunda scilicet humilitate, in formali suiipsius contemptu, et in vero humiliationis desiderio, quo quis appetat ab aliis pati et contemni propter Dominum ; secundum est, quod omnes visiones, revelationes, ac sensibilis gratiae motus non aequaliter in valore minimum humilitatis actum, quæ charitatis habet effectus : non enim curat quæ sua sunt, sed quæ aliorum ;

non cogitat quis per eam malum, nisi de seipso; nec cogitat de seipso bonum, sed de aliis. Ex quo sequitur, quod ad vitandum hujusmodi damnum, purganda est memoria notitiis supernaturalibus, unde tale damnum posset emanare.

Quantum ad tertium genus damni spiritualis, satis constat ex hactenus dictis, quantum potest diabolus in anima causare malum mediantibus notitiis supernaturalibus: potest enim primo eam decipere et illudere transfigurando se in angelum lucis, falsum pro vero, malum pro bono sub occulto et efficaci dolo proponens; potest secundo circa veras et bonas communicationes a Deo procedentes eam multipliciter tentare, sensibilem aut spiritualem erga illas affectum excitando motibus inordinatis; nam si anima tales aestimat notitias, et sibi in illis complaceat, facile erit diabolo inordinatum ejus appetitum et affectum circa illas augere, et sic in vitium gulæ spiritualis eam inducere: quod ut facilius et felicius exequatur, solet gustum, saporem et delectationem in sensu interiori circa res etiam divinas subministrare, ut sic affectum suaviter attracta anima potius ad illam sensibilem devotionis dulcedinem, quam ad amorem Dei verum attendat, vel saltem non sic ad amorem attendat, et plus illas apprehensiones aestimet, quam paupertatem ac vacuum spiritus, quod exigunt virtutes theologales, fides, spes, charitas. Unde paulatim eam decipiet, suas falsitates pro veritatibus suggesto; cæcæ siquidem animæ jam falsitas non appareat falsitas, nec malum appareat malum, sed tenebras judicat esse lucem, et lucem tenebras. Inde multa sequuntur inconvenientia, tam circa naturale, quam circa morale ac spirituale. Totum hoc animæ contingit, quia statim a principio supernaturalibus notitiis juxta superius dicta memoriam non purgavit, nec consequenter purgavit affectum earum desiderio: quod, cum prima facie non tantum appareat esse malum, non procurat vitare, et sic imperceptibiliter crescit; quia, ut vulgo dicitur, parvus error in principio fit magnus in fine. Propterea, ad vitandum hoc tam grande damnum, quod animæ potest a diabolo provenire, convenit, imo necessarium est, quod ipsa nolit in hujusmodi notitiis affectum et gustum constituere, si namque eis adhæreat, sensim cæcabitur et cadet; gustus namque, delectatio et complacentia paulatim emolliunt et excæcant animam, ut videtur indicare David, Psalmo 138, dicens: « Et nox illuminatio mea in deliciis meis. »

Quantum ad quartum genus damni spiritualis, jam saepius dictum est, omnino necessarium esse, ad hoc ut anima perfecte possit per spem uniri Deo, quod renuntiet omnibus quae possidet et possidere potest per memoriam : quia, ut spes sit perfecta, et tota-liter de Deo, nihil praeter Deum esse debet in memoria; et cum nulla species sive figura memoriae impressa sit Deus, aut Deo similiis, inde est, quod si velit anima talem aliquam speciem in memoria retinere, eique adhaerere, ponet impedimentum unioni divinae, ad quam aspirat, tum quia per illam occupatur et implicatur, tum quia per ejus possessionem amittit spei perfectionem. Necessarium est igitur, ut anima procuret esse nudam ac perfecte purgatam omni notitia supernaturali distincta, ut non impedit sui cum Deo unionem secundum memoriam in spe perfecta.

Quantum ad quintum genus damni spiritualis, etiam patet evi-denter, quod si velit anima notitias supernaturales distinctas in memoria retinere, eisque uti in ordine ad divinam unionem, absque dubio defectuosum et indignum de divino Esse, ejusque eminentia simpliciter in eis comprehensibili, judicium formabit. Et quamvis non expresse judicet Deum esse aliquid eorum quae concipit, aesti-mare tamen has notitias, sibique in eis complacere, facit quod anima non sic Deum aestimat nec tam alte de ipso sapit, quantum fides docet, dicens ipsum esse incomparabilem et incomprehensibili-lem : nam anima totum a Deo tollit quod concedit rebus creatis ibi reluentibus, et insuper eas quodammodo comparat Deo, notitias earum aestimando ; quod divinæ præjudicat perfectioni; certum namque est quod nec ulla creatura, cœlestis aut terrena, nec ulla species aut notitia supernaturalis distincta, quantumcumque subli-mis, potest Deo comparari, vel aliquam cum divino Esse propor-tionem habere, cum Deus ipse non cadat sub ullo genere vel specie, et anima pro hoc statu mortalis vitæ nihil distincte concipiatur, quod sub aliquo genere et specie non cadat. Propterea dicitur tum Isaiæ 64, tum 1 Cor. 2, quod « nec oculus vidit, nec auris audivit nec in cor hominis ascendit quod præparavit Deus diligentibus se, » scilicet ipsem Deum ut est in seipso. Unde solum per fidem for-mans anima conceptum de Deo generalem et confusum, de ipso condigne judicat, quantum patitur mortalis hujus vitæ status. Debet igitur anima distinctas omnes rerum creatarum notitias supernaturales non aestimare, dum ad Dei ipsius contemplationem

aspirat; debet illas excludere, ut mentis oculos per fidem et spem perfectam in Deum possit erigere; et certum est quod solum per virtutes theologicas, ut saepius dictum est, poterit secundum omnes suas potentias Deo uniri. Qui praedictis rerum creatarum notitiis supernaturalibus afficitur et adhaeret, quamdam Deo creatori irrogat injuriam, quod familiari B. P. N. Joannes a Cruce declarat exemplo: « Si quis enim ad alicujus regis curiam introductus, hinc inde ad considerandos ejus servos aut clientes diverteret oculos, tanto minus judicaretur regem aestimare, quanto plus ipso non inspecto servos contemplaretur; et licet non formaliter regem despiceret expresso mentis judicio, facto tamen illo virtualiter convincitur ipsum despicere, nam quanto plus aestimationis et admirationis servis attribuit, tanto virtualiter ac interpretative detrahit a rege, quem summe judicaretur aestimare, si servis et aliis omnibus contemptis nec etiam aspectis, in solo rege contemplando totaliter occuparetur. »

Certe magnam anima, per activam memoriae purgationem ex distinctis supernaturalibus notitiis, consequitur utilitatem, dum illa mediante praedicta omnia vitat damna spiritualia; sed insuper multas alias inde colligit utilitates. Primo remanet quieta et pacifica, quamdiu talibus notitiis est libera. Secundo liberatur perplexitate judicii de veritate vel falsitate earum, et quomodo se debeat in eis gerere quando sunt verae vel falsae. Tertio liberatur ab inquietudine ac multa temporis jactura, quam communicando eas suis directoribus incurrit; nullo quippe circa eas indiget examine, si juxta superius dicta debeat omnes excludere et eis memoriam purgare. Unde melius et utilius tunc tempus insumet, si voluntas in amando Deum exerceatur, si paupertas spiritualis et totalis nuditas in harum supernaturalium notitiarum exclusione procuretur.

Non deerunt forte, qui tantam spiritus paupertatem ac nuditatem reprobent, dicentes quod, si Deus hujusmodi notitiis supernaturales communicat, hoc facit ut mediis illis anima ipsi uniatur. Unde male facit, et divinam unionem impedit, qui illas recusat; imo superbiam sapit, haec Dei dona rejicere, quasi posset anima virtute propria et absque hujusmodi divinis auxiliis ad Dei unionem pertingere. Quod si securum est, notitias naturales moraliter bonas in memoria conservare, securius adhuc et melius erit,

notitias supernaturales a Deo procedentes etiam conservare, cum iste sint pretiosiores illis et multo nobiliores; constat enim ex ipsis terminis quod supernaturale nobilior est naturali, et ordo gratiae nobilior est ordine naturae, præsertim cum sponsus dicat sponsæ, Canticorum 8: « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; » quod non aptius fit quam mediis hujusmodi notitiis supernaturaliter animæ communicatis ipsius Dei memoriam conservare. Et aliter facere, est divini illius sponsi suavem extinguere memoriam, ac simul spiritus fervorem; quod maxime prohibet Apostolus, 1 Thessal. 5, dicens: « Nolite spiritum extinguere. » Et solum invigilandum est, et exacte traditis ab Ecclesia documentis ac certis indicis examinandum, an hujusmodi notitiæ sint a bono vel a malo spiritu procedentes.

Quamvis, ex hactenus dictis, et ex alibi dicendis constet, quid circa propositas objectiones dicendum sive respondendum sit, hic tamen breviter ad singulas respondetur, ad majorem doctrinæ traditæ evidentiam. Dicendum igitur, quod quidem Deus has supernaturales notitias animæ communicat, ut eam mediis illis disponat et præparet ad divinam unionem; non tamen male facit, aut divinam impedit unionem qui illas recusat conservare; quin potius bene facit, et magis ad divinam disponitur unionem: nam, ut dictum est, statim ac communicantur a Deo, suum assequuntur effectum ad quem dantur, cui nec obstat, nec cooperatur animæ industria. Nec illas Deus hoc fine communicat, ut anima illis afficiatur, sed ut humiliter tanquam indigna recusans, illis relictis, ad Deum ipsum in confusa contemplatione mentem elevet; unde, si vellet in his immorari, non solum prædicta damna infallibiliter incurreret, sed etiam divina voluntati contrairet. Nec haec Dei dona rejicit anima motu superbiæ, quasi credat se propria virtute et absque hujusmodi divinis auxiliis posse ad Dei unionem pertingere; imo rejicit ea motivo humilitatis, quasi cum S. Petro diceret Domino: « Exi a me, Domine, quia peccatrix sum; » et alias judicat hujusmodi dona suum statim sortiri effectum in ordine ad divinam unionem, ut dictum est, et suiipsius affectum circa ea non esse necessarium, at nocivum. Est autem magnum inter naturales notitias moraliter bonas, et supernaturales a Deo procedentes discrimen; nam, quamvis istæ sint pretiosiores ac nobiliores, illæ pertinent ad ordinariam

hominis directionem, unde vix possunt ullum damni spiritualis periculum afferre, et necessariae sunt absolute ad hoc ut anima, malis moraliter notitiis jam exclusis, de rebus divinis cogitet, et sic ad Dominum tendat, illisque saepius consideratis in meditatione exardescat ignis (non enim semper divinae contemplationis infunditur gratia); sed notitiae supernaturales distinctae pertinent ad extraordinariam hominis directionem, unde possunt multiplex damni spiritualis periculum afferre, nec necessarius est, imo nocivus erga eas affectus, in ordine ad divinam unionem, ut explicatum est. Unde securum est illas conservare, non autem istas. Quantum ad illud quod adducitur ex Canticis, dicendum quod signaculum sponsi super brachium et cor sponsæ, est dilectio charitatis quæ viget in corde et apparet in opere, quia semper operatur magna si est; nec anima recusando dictas supernaturales notitias extinguit spiritum, imo conservat illum, dum procedit eo modo quo Deus vult eam procedere. Sic autem procedens anima, non tenetur multum temporis insumere ad examinandas supernaturales notitias, an ex bono an ex malo spiritu procedant : quia, si ex bono procedunt, ipsi proderunt; si ex malo, non ei nocebunt; quod si eis afficeretur, ex quocumque spiritu procederent, semper nocerent, magis tamen aut minus.

Notandum est, quod hujusmodi notitiae supernaturales, vel sunt sensibiles sive in parte sensitiva receptæ, vel intellectuales pure sive in parte intellectiva communicatae : illæ sunt magis periculosæ quam istæ, cum illæ possint facilius vel a dæmone fingi, vel ab imaginatione formari, quod istis non contingit tam facile ; et istæ sic firmiter intellectuali memorie imprimuntur a Deo, ut saepius ipsarum recordetur anima, absque propria etiam industria, et semper ex ipsis mirabiles colligit fructus amoris divini, cæterarumque virtutum ; nec unioni divinae possunt sic obstare sicut aliæ imaginariae, imo plurimum ad eam conduceant. Quomodocumque contингant notitiae supernaturales, et ubicumque recipientur, anima juxta superiorius dicta mentem ex illis ad Deum elevet, dum ipsis recordatur, et nolit circa corticem illarum immorari, nec procureret earum recordari, maxime si fuerint imaginariae ; cum enim opus fuerit, absque ulla animæ industria Deus eas excitabit in memoria.

## ARTICULUS VI.

OMNIBUS NOTITIIS PARTICULARIBUS PURGANDA EST PARS  
COGNOSCITIVA, DUM ANIMA AD DIVINAM CONTEMPLATIONEM  
ELEVATUR.

Notitiae, sive naturales, sive supernaturales, possunt esse in parte cognoscitiva, vel in actu vel in habitu : sunt in actu, quando considerat eas anima per potentiam cognoscitivam; sunt in habitu, quando remanent impressæ in memoria, transacta earum consideratione. Jam in precedentibus articulis sufficienter dictum est, qualiter anima circa tales notitias se debeat habere, quibus se debeat purgare quantum ad memoriam, et quas debeat conservare ; nunc restat dicendum qualiter circa illas se debeat habere quantum ad actualem cognitionem, ut sic completa tradatur doctrina, circa purgationem activam partis cognoscitivæ.

Dicimus igitur, quod cum anima ad supernaturalem Dei contemplationem, quæ pro mortalis vita statu in generali et confusa ipsius Dei notitia consistit, misericorditer elevatur (cujus infallibilia signa tradentur inferius), debet statim omnes notitias particulares et distinctas, sive naturales, sive supernaturales, dimittere, et tunc Deo loquenti et instruenti suaviter attendere. Hoc breviter nunc probandum est, fusius enim infra tum authoritate tum ratione demonstrabitur. S. Bonaventura, Libro 1 de Profectu religiosorum, loquens ad intentum nostrum, sic ait : « Perfectio memoria est, ita hominem in Deum esse absorptum, ut etiam suiipsius et omnium quæ sunt obliviscatur, et in solo Deo, absque omni strepitu volubilium cogitationum atque imaginationum, suaviter quiescat. » Et Gilbertus Abbas, Serm. 1, in illud, « per noctem quæsivi quem diligit anima mea, » ait: « Quid si ad inventionem dilecti et nox operatur? Cooperatur plane, et accommodate satis. Sicut in lectulo sanctæ quietis accipis otium, sic oblivionem quamdam intellige in nocte. Nec Salomon vult te scribere sapientiam, nisi in tempore otii; nec Paulus in anteriora extenditur, nisi prius eorum qua retro sunt oblitus. In umbra rerum visibilium oblivionem aliquantam accipe, in

nocte omnimodam. Quis mihi dabit sic advesperascere? Dilectio ipsa hanc noctem inducit, quæ reliqua omnia nec respicit nec notare putat, dum ad illum quem diligit intenta suspirat. »

Hujus doctrinæ ratio est manifesta: nam contemplatio divina, licet non sit pura passio, sicut aliqui dicunt, est tamen operatio mentis quietissima et suavissima, qua vacat anima Deo sibi præsenti cum amorosa attentione. Cui actioni seu operationi non solum non potest anima proprio studio cooperari, sed etiam, si tunc vellet operari propria industria, pacificam et quietissimam illam operationem ac divinam communicationem incitatis suis actibus perturbaret, ac prorsus impediret: nam certum est quod, si vellet anima juxta naturalem suarum potentiarum capacitatem operari, et maxime considerando, divinum illud opus inverteret, suamque pacem inquietaret. Tunc otio potentiarum, cum simplici rerum cœlestium intuitu et dulei consensu, ac fruitivo amore, non multiplici earum consideratione vel exercitio opus est; sicut enim tunc animæ divina generalis notitia passive communicatur, sic debet passive tantum, modo explicato, se gerere, absque ulla operatione interna vel externa.

Si passive et pacifice se habeat anima, communicatam sibi Spiritus Sancti gratiam, ac data conservabit charismata, quia Deo suaviter loquenti ac mirabiliter in seipsa operanti attendit; sin autem velit tunc propria industria connaturaliter operari, Dei spiritum extinguit; interna quippe pax animæ, ad divinam contemplationem et communicationem requisita, quavis operatione naturali turbatur. Nam ut anima operetur connaturaliter per intellectum, vel reflectat super ea quæ divinitus patitur, necesse est quod formet aliquam imaginem aut notitiam, quam consideret; et tamen, cum haec distincta imago seu notitia de novo formata non possit exprimere quæ tunc Deus animæ contemplando proponit, sequitur quod haec connaturalis animæ contemplatio supernaturem illam contemplationis infusæ distrahat, aut impedit operationem qua Deus ei substantiam spiritus communicat. Unde, cum supernaturalis contemplatio sit præmium ac finis connaturalium intellectus operationum, si, quando divinitus conceditur et in ea divini spiritus substantia communicatur, nollet anima in Deo suo suaviter quiescere, sed operari vellet connaturaliter speciem aliquam considerando; vel super ea quæ contemplatur reflectendo, se haberet ad in-

star illius qui perveniens ad finem viæ, de novo vellet incedere, vel ad instar alterius qui perfectum opus vellet iterum incipere, et consequenter semper laborem viæ sustineret, et nunquam termini quiete potiretur; opus perfectum impediret, et nihil perfecti faceret, quia non potest seipsa pertingere ad illud obtainendum quod ei liberaliter a Deo conceditur. Dicat igitur imitando sanctum Prophetam Abacuc: « Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplabor quid dicatur mihi. » Quasi diceret: ero vigilans custodiendo potentias meas, non procedam in connaturalibus meis operationibus; et ita contemplabor quid mihi supernaturaliter ostenditur, revelatur, aut dicitur; ac fruar divinis communicationibus.

Quod si quis dixerit, quod anima penitus erit otiosa, nullumque bonum consequetur, si non considerat quae tunc sibi communicantur, imo distractionem ac languorem patietur, nisi memoriam Dei saepius excitet, et multiplicatis virtutum actibus erga eum afficiatur, respondetur, quod maximum ex eo potentiarum silentio bonum adveniet: divinam scilicet sapientiam dulciter gustabit, que mundo se communicat, dum medium silentium tenent omnia, et nox in suo cursu medium iter habet; et est impossibile, quod ullum accidat malum, aut ulla distractio et similis imperfectio, si memoria, ceteris omnibus purgata et vacua, solo Deo repleatur. Tunc solum multas anima distractiones incurrit, ac celestibus privatur bonis, quando memoriam, terrenis aperiens, divinis considerationibus claudit. Sileat igitur anima in seipsa, solique Deo suaviter attendens dicat: « Loquere Domine, quia audit ancilla tua. » Vult celestis sponsus quod soror ejus sponsa « sit hortus conclusus, fons signatus. » Si caeteris anima notitiis clausa fuerit, et a Deo signata, penetrabit ad ipsam suavissimus ille Dominus, qui januis clausis intravit ad discipulos; eamque pace perfundet, quam mundus dare non potest; ejus potentias, intellectum, memoriam et voluntatem divinis charismatibus implebit: expectet patienter ab omnibus aliis evacuata, et credat quod bonum ejus adveniet et non tardabit. Notandum tamen quod, quando contemplationis exercitium transierit, et anima piis poterit meditationibus ac sanctis discursibus vacare, optimum erit quod se illis occupet; si quiete illis vacare non potest, maneat in dicto silentio, et postulet a Domino qui dat omnibus affluenter.

Poterit forte quis dicere, quod ex tam rigida purgatione partis cognoscitivæ naturalis usus cognoscendi destruatur, quod maneat homo absque memoria, absque discursu, imo naturalium oblitus operationum, quod tamen Deus non prætendit, qui non destruit naturam sed perficit. Respondetur, quod quidem in principio, quanto memoria magis ad divinam accedit unionem, tanto minus supra distinctas reflectit notitias, quia tunc in Deo totaliter absorbetur; sed quando jam ad statum unionis pervenit, ita quod eum habitualliter quodammodo possidet, non similem patitur abstractionem et oblivionem circa morales ac naturales opérations, imo tunc anima in rationabilibus ac necessariis operationibus majorem exercet perfectionem, omnes siquidem ejus operationes sunt in hoc statu quodammodo divinæ, ut suo loco dicetur: cum enim spiritu Dei, per intimum illapsum præsentis, agatur secundum omnes suas potentias, ipse est qui movet et dirigit eas ad operandum. Docet igitur Dominus animam et instruit de his quæ scire debet, et removet ea quæ debet ignorare, facit recordari eorum quæ conveniunt suo statui, et oblivisci eorum quæ statum ipsius dedecent; facit amare quæ propter Deum et in Deo sunt amanda, et odisse quæ sunt odio habenda: quia talem animam velut sibi consecratam suæque divinæ voluntati totaliter traditam in omnibus regit et gubernat.

Non potest quidem anima, etiam divinæ gratiæ auxiliis præventa, tam perfectam sua industria partis cognoscitivæ purgationem efficere, cum in ea debeat naturalem modum cognoscendi evacuare, et supernaturem acquirere; potest tamen se ad illam disponere ac præparare, ut illam, inchoatam active ab anima, in nocte obscura perficiat Deus, anima passive se habente.

## DISCURSUS III.

DE MEDIO PURGATIONIS ACTIVÆ IN PARTE COGNOSCITIVA.

Cum ex dictis constet quibus debeat partem cognoscitivam purgare, qui se divinæ præparat unioni, nunc ad exercitium talis purgationis accedentes, medium proponimus quo fieri debet. Tale medium est oratio, præcipue mentalis secundum omnes partes quas includit: necesse quippe est, ad active purgandam partem cognoscitivam, saltem in ipso conversionis principio, quod vanas apprehensiones, et nocivas ac inutiles notitias excludat e memoria; quod aptius fieri non potest, quam pias meditationes et sanctos discursus formando in orationis exercitio, ut sic advenientes bonæ cogitationes excludant malas præexistentes, et sic mentem repleant ac firment, ut malas recipere nequeat et nolit. In reliquo igitur hujus tractatus agetur de oratione, præsertim mentali. In præsenti quidem discursu declarabitur ejus natura, in sequenti vero proponetur ejus materia circa quam versatur.

### ARTICULUS I.

QUID SIT ORATIO, PRÆSERTIM MENTALIS.

Oratio diversimode definitur a sanctis Patribus. Sic a Basilio: « Oratio est boni cuiuspiam petitio, quæ ad Deum a piis effunditur. » Ab Augustino, in libro de Verbis Domini, sic definitur: « Oratio petitio quædam est. » Et, Serm. 230 de tempore, dicitur « Ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium. » A Damasceno, Libro 3 de Fide, Cap. 24, dicitur oratio esse « Ascensio mentis in Deum, sive petitio decentium a Deo. » A Chrysostomo, Homilia 30 in Genesim, oratio dicitur esse « colloquium cum Deo. » Tandem definitur apte ex doctrina D. Thomæ 2. 2, Quæst. 83, quod est « desiderii coram Deo explicatio, ut aliquid ab ipso impetremus. » Ad eujus definitionis evidentiam, sciendum est

quod circa orationem tres actus possunt considerari : primus est actus desiderii alicujus boni obtinendi, vel mali vitandi, seu a nobis seu ab aliis ; secundus est practica hujus desiderii explicatio facta Deo, a quo tale bonum est obtainendum, et per quem tale malum est vitandum ; quæ explicatio desiderii non est per modum imperii, sed potius per modum deprecationis, cum Deus non sit inferior, cui possit imperari, sed superior, quem debeamus deprecari ; tertius est adimpletio talis desiderii et deprecationis, per collationem boni desiderati, vel per ablationem mali. Primus actus est prævius ad orationem. Tertius est effectus orationis. In secundo consistit essentialiter oratio, prout de ea disserimus in præsenti tanquam de actu religionis.

Oratio non est actus appetitivæ virtutis, sed rationis practicæ et non speculativæ, quamvis annexos habeat actus tam virtutis appetitivæ quam rationis speculativæ, ut constat ex adductis definitionibus : cum enim sit petitio sive deprecation ad aliquid obtainendum, non solum est locutio interna Deo facta, verum etiam est ordinatio ipsius actus ad illud aliquid obtainendum ; manifestum est autem quod tam locutio interna quam ordinatio est actus rationis, et non virtutis appetitivæ. Et cum sit aliquo modo causativa illius quod petit, scilicet per modum petitionis et deprecationis respectu superiorum vel æqualium, est actus rationis practicæ et non speculativæ ; in hoc enim differunt ratio speculativa et ratio practica, quod ratio speculativa solum est apprehensiva rerum, ratio vero practica non solum est apprehensiva, sed etiam aliquo modo causativa. Quod autem oratio habeat annexos actus tam virtutis appetitivæ quam rationis speculativæ, constat ex adductis sanctorum Patrum definitionibus, et maxime ex ultima S. Augustini, ubi tam actus essentialis orationis, quam alii annexi exprimuntur. Per hoc enim quod dicitur, Ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, denotatur actus rationis speculativæ ; per hoc quod dicitur, Desiderium invisibilium, denotatur actus virtutis appetitivæ ; et per hoc quod dicitur, Inquisitio supernorum, non quidem speculativa, sed practica ut est petitio inquisitiva, denotatur actus essentialis orationis. Hæc doctrina traditur a D. Thoma, 2. 2, Quæst. 83, Art. 1; et Articulo 3, probat quod oratio est actus religionis : ad religionem enim proprie pertinet reverentiam et honorem Deo exhibere ; et ideo omnia illa, per quæ Deo reverentia exhibetur, pertinent ad reli-

gionem : per orationem autem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subjicit, et profitetur, orando, se eo indigere sicut authore suorum bonorum.

Unde quatuor ad orationem concurrunt. Primum est, quod oraturus experientia cognoscat in se aliquem defectum, vel indigentiam alicujus rei. Secundum est, quod velit defectum et indigentiam illam excludere consequendo rem qua indiget. Tertium est, scire quod solus Deus est qui principaliter nostris potest succurrere necessitatibus. Quartum tandem est, se Deo subjicere petendo remedium malis occurrentibus, et bonorum collationem. Manifestare igitur hanc nostram mendicitatem Deo cum humilitate, petendo et sperando remedium, est formalis actus orationis.

Nihil nobilius oratione, ut docent communiter sancti Patres. Augustinus, Tract. de Miseric., ait : « Quid est oratione præclarus ? Quid vitæ nostræ utilius ? Quid animo dulcius ? Quid in tota nostra religione sublimius ? » Gregorius Nyssenus, de Oratione Dominica, ait : « Nihil, ex his quæ per hanc vitam coluntur et in pretio sunt, orationi præstat. » Et Chrysostomus, Libro de Orando Deo, dicit : « Considera quanta tibi est commissa felicitas, quanta gloria attributa, orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare. Quæ nobilitas orationis ex eo colligitur, quod angeli præsunt fidelium orationibus, et eas quotidie Deo offerunt, et in conspectu angelorum psallimus Deo, ut habetur in scriptura. »

Si oratio est nobilissima, cunctis etiam est utilissima, imo necessaria ad æternam salutem, non solum secundum quid et ad melius esse, sed etiam simpliciter, tam necessitate medii, quam necessitate præcepti, quod in pluribus obligat eventibus. Quod sit utilissima, demonstratur auctoritate sacrae Scripturæ et sanctorum Patrum. Christus Dominus, Matthæi 7, utilitatem orationis prædicans, ait : « Petite et accipietis, quærите et invenietis, pulsate et aperietur vobis ; omnis enim qui petit accipit, et qui quærerit invenit, et pulsanti aperietur. » S. Augustinus mira dicit circa utilitatem orationis ; dicit enim quod « oratio justi clavis est cœli, ascendit precatio, et descendit Dei miseratio. » Et alibi dicit quod « recte novit vivere, qui recte novit orare. » Et alibi docet quod « sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiss et orationibus inferior homo nutritur. » Quod oratio sit necessaria ad æternam salu-

tem, docet non solum sacra Scriptura, sed etiam communiter sancti Patres. Cyprianus, in expositione orationis dominicæ, sic ait: « Qui fecit vivere, docuit et orare, benignitate ea qua scilicet et cætera dare et conferre dignatus est, ut dum prece et oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur. » Gregorius, Libro 9 Moralium, Cap. 14, ait: « Preci itaque innitendum est, cum recta agimus, ut omne quod juste vivimus, ex humilitate condiamus. Propterea sanctus rex Josaphat dicebat: « Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad Te. » Et merito, nam, ut dicitur in Psalmo, misericordia Dei nostram concomitatur orationem, ita ut sint inseparabilia: « Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me. » Unde sic inculcatur in sacra Scriptura fidelibus oratio: Ecclesiastici 18, dicitur: « Ne impediatis orare semper; » Lucæ 18, « Oportet semper orare, et nunquam deficere; » Ad Coloss. 4: « Orationi instate, vigilantes in ea; » 1 Thessal. 5: « Sine intermissione orate; » Et Jacobi 5: « Orate pro invicem, ut salvemini. » Ad ostendendum hanc necessitatem maximam, tam medii quam præcepti, de oratione sic loquitur Chrysostomus, Libro 1 de Orando Deo: « Quemadmodum corpus hoc nostrum, si non adsit anima, profecto mortuum est ac fastidum; sic anima, nisi seipsam incitet ad orandum, mortua est ac misera, ac graviter olens. »

Quia disserimus in praesenti de oratione, tanquam de medio quo pars cognoscitiva nocivis et inutilibus purgatur notitiis, non solum impetrative, per hoc quod orationis efficacia divinæ gratiæ impenetrantur auxilia, ut a prædictis liberemur notitiis, sed etiam formaliter, et hoc præcipue, per hoc quod in oratione admissæ celestes notitiæ removent alias: inde est, quod, præmissis his paucis quæ de natura orationis in genere, de ejus nobilitate, utilitate ac necessitate dicta sunt, accedendum est ad orationem mentalem, quæ maxime prædictum causat effectum.

Dividitur igitur oratio ex parte actus, in mentalem et vocalem: mentalis interno mentis actu perficitur, vocalis externa voce exprimitur. Utraque consistit essentialiter in petitione, ut jam dictum est. Mentalis oratio alia est naturalis et ordinaria, alia vero supernaturalis et extraordinaria. De supernaturali et extraordinaria secundum diversos ejus gradus, tanquam propria proficientium et perfectorum, agetur tum secunda tum tertia parte hujus operis,

cum sit perfecte illuminativa et unitiva mentis cum Deo. Unde solum restat hic agendum de naturali et ordinaria.

Sed quia plurimi, tum sanctorum Patrum, tum aliorum mysticæ Theologiae Doctorum, inveniuntur tractatus, paucis totam hanc materiam in præsenti comprehendemus, quasi cunctis perviam, et communiter tritam, maxime quia toto hoc opere multa traduntur documenta, oblatis occasionibus, quæ ad ejus acquisitionem et exercitium instruant incipientes, quorum propria est. Sic autem dicitur naturalis, ut tamen ad ejus desiderium, acquisitionem et exercitium divinæ gratiæ requirant auxilia; sed illis divinitus concessis potest desiderari, acquiri proprio studio, et communiter exerceri, cum tamen alia beat supernaturaliter infundi, et gratuito infundatur ei, cui Deus voluerit misericorditer communicari; quamvis enim anima ad eam recipiendam se disponat, ad ejus tamen infusionem active non concurrit.

Oratio mentalis ordinaria sex habet partes vel quasi partes, id est sex actus ad illam vel prævie vel simultaneæ concurrentes, videlicet : præparatio, lectio, meditatio, gratiarum actio, oblatio, et petitio, ad quam velut ad essentiam orationis cæteri præmittuntur actus. Ad fructuosam igitur orationem requiritur, quod qui salutari se tradit ejus exercitiq; prædictas omnes ordine prædicto partes exequatur, saltem in principio, quando mens, ab humanis ac terrenis recedens notitiis, nondum est divinis et piis considerationibus assueta, ut sic gradatim procedens justo temporis spatio vacet internæ collectioni, et cœlestibus occupata discursibus claudatur terrenis distractionibus. Sed ubi fuerit in hoc spirituali exercitio satis firma et proiecta, poterit juxta impetum et ductum Sancti Spiritus nunc uni, nunc alteri tantum parti vacare; curet tamen ne hoc exercitium in sola consumatur speculatione, necesse est ut excitatus inde affectus spiritualis convivii particeps efficiatur.

In sequentibus igitur articulis explicabimus sigillatum, breviter tamen, propositas orationis mentalis partes, et in eis utiliter exercendis animam dirigemus, ut sic paulatim hoc exercitio spirituali quoad partem cognoscitivam purgata purgatione activa, sive propria industria, disponatur ad supernaturem cœlestium ac divinorum contemplationem, et ad intimam unionem cum Deo præparetur. Licet autem Deus statim a principio donum orationis

et contemplationis, imo et divinæ unionis interdum speciali privilegio concedat aliquibus, tunc tamen eos via dicit extraordianaria : hic ordinariam et communiter tritam demonstrabimus.

## ARTICULUS II.

### DE PRÆPARATIONE AD ORATIONEM MENTALEM.

Duplex est præparatio ad orationem mentalem, una remota, altera proxima. Præparatio remota consistit, tum in fuga distractiorum, et omnium eorum quæ recollectionem internam turbare queunt, tum in continuato præsentia Dei exercitio, tum in puritate vitæ ac munditia cordis cum intima compunctione, et in hoc maxime. Hæc tria dicuntur remote mentem præparare ad orationem, quia multum præcedunt exercitium orationis, et mediat aliis actus qui dicitur præparatio proxima.

Quod ad remotam præparationem necessaria sit fuga distractiorum, et omnium eorum quæ recollectionem internam turbare queunt, ipso lumine rationis suadetur : certum enim est, quod tempore orationis mens debet esse in seipsa collecta, et ad Deum elevata, quia tunc res divinas et coelestes considerare debet; nisi vero prius distractiones fugiat, et aliis occupetur, sine dubio tempore orationis animæ ipsis assuetæ facile occurrent, et eam ad usitatam sui considerationem sensim allicant. Et quamvis tunc illis anima nolle adhaerere, ab illis tamen compellitur et quasi captiva tenetur. Si namque viri sancti rebus externis occupati necessitate officii, vix earum notitiis possunt tempore orationis liberari, licet summa cum diligentia tunc earum procurent oblivisci, et ad hoc divinum auxilium implorent, ut dicitur de S. Bernardo qui chorum intrans externis occupationibus præcipiebat, ut ipsum redeuntem foris expectarent, quid illis succedet, qui voluntarie et absque necessitate frequenter et ordinario vacant inutilibus? « Solus ille, ait Anselmus, semper quietem mentis habet, qui a se mundi euras abjecerit. »

Quod ad eamdem præparationem remotam necessarium sit continuatum præsentia Dei exercitium, sic facile probatur: oratio mentalis est mentis ad Deum elevatio; dum enim mentaliter orat

anima, cum Deo conversatur, ipsum quodammodo præsentem intuetur, ipsum familiariter alloquitur: non potest autem facile sic elevari ad Deum, nisi repetitis frequenter actibus talem acquirat facilitatem ac consuetudinem; si namque ad facile connaturalium operum exercitium requiritur multiplicatio actuum, quibus acquiratur habitus, ut inductione generali et communi philosophorum doctrina constat, qui dicunt ex multiplicatione actuum, et non ex unico actu (nisi fuerit admodum excellens et heroicus qui statim naturam subordinet, et victor trahat ad operandum), habitum acquiri, quo facile, constanter et delectabiliter natura operetur in determinata materia, circa quam prius difficulter, rarius et cum repugnantia operabatur, quanto magis ad facile, constans et delectabile mentalis orationis exercitium requiritur multiplicatio actuum, quibus orandi habitus acquiratur, cum tale exercitium non sit connaturale, sed elevatum supra naturam corruptam, quæ potius sensibilibus et externis quam intellectualibus et internis propria inclinatione adhæret! Hæc autem multiplicatio actuum consistit in exercitio præsentiae Dei continuato, quo tandem acquisito, tam facile Deum anima sibi proponit ante oculos, tamque delectabiliter cum ipso mentaliter præsente conversatur, ut vix aliud in die cogitet, et nocte dormiens in ipso vigilet, juxta illud: « Ego dormio, et cor meum vigilat. » Anima igitur præsentiae Dei assueta, dum mentaliter orare voluerit, statim ad Deum elevatur, ibique juxta morem suum pacifica manet.

Quod denique ad hanc præparationem remotam maxime sit necessaria puritas vitæ ac munditia cordis cum compunctione, docet Richardus de S. Victore, Libro 4 de Contemplatione, Cap. 6, dicens: « Puto ergo in hoc opere opus esse intima potius compunctione, quam profunda investigatione; suspiriis, quam argumentis; crebris potius gemitus, quam copiosis argumentationibus. Scimus autem, quia cordis intima nihil adeo purgat, mentisque munditiam nihil adeo reparat, nihil sic ambiguitatis nebulas detergit, serenitatemque cordis adducit, quam profunda et intima animæ compunctio: « Beati, inquit Scriptura, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Studeat ergo cordis munditiae, qui cupit Deum videre, qui in divinorum contemplationem festinat assurgere: non enim facile est, nec leve, humanum animum angelicam formam induere, et in supermundanum quemdam et vere plusquam humanum habitum

transire, spirituales pennas accipere, et se ad summa levare. Ad hæc ergo quis idoneus? Quis ad hæc opera dignus artifex invenitur, nisi eum divina gratia præveniat et subsequatur? Longe enim hæc contemplatio (videlicet sanctissimæ Trinitatis, de qua specia-liter agebat) omnem corporeæ similitudinis proprietatem excedit: quare non solum longe est ab imaginatione, sed omni quoque ratione superior. » Ratio hujus est dupli ex capite manifesta. Primo, quia Deus summe bonus se maxime communicat iis, quos suis communicationibus aptos ac dispositos invenit: nihil autem ita disponit et præparat divinis communicationibus, ac puritas vitæ et munditia cordis cum intima compunctione; in subjecto quippe taliter affecto nihil hujusmodi communicationibus repugnat, quin potius omnia eis congruunt. Secundo, quia justum et condignum est, ut qui reliquo tempore Deum contemnit, voluntarie in multis offendit, ab ipso repulsam patiatur, ac omnino despiciatur, dum in oratione postmodum ad eum recurrit.

Præparatio proxima multos involvit actus, sed præsertim reverentiae ex parte divinae majestatis, et humilitatis ex parte ejus qui se ad orationem præparat. De hac præparatione disserens V. P. N. Joannes a Jesu-Maria, Tractatu de Oratione, sic ait: « Proxima præparatio in majestatis divinae magnitudinis, ac proprie vilitatis consideratione consistit, ut se nimirum homo per affectus reverentiae et amoris erga divinam majestatem, et per affectus humilitatis, semetipsum despiciendo, ac de peccati vilitate dolendo disponat. Et hunc oratus præferre affectum, cum sese ad orandum componit, debet; uti publicanum Evangelicum fecisse legimus, cuius oratio Domino Deo tantopere placuit. »

Dum igitur instat tempus orationis, elevet oratus oculos mentis ad Deum; supereminenteriam ejus divinam majestatem, quam angeli trementes præ reverentia desiderant prospicere, præsentem ubique consideret; et simul summam vilitatem suam intueatur. Et considerans quid sit Deus, et quid ipse, miretur Dei bonitatem et patientiam, qui se miserrimum peccatorem ante suum conspectum in numero servorum suorum admittat, cum tamen ob sua delicta tunc mereretur in inferno cruciari, ubi plures sunt, qui non toties, nec tam graviter divinam ejus majestatem offenderunt, dicat mirabundus: cur non ego sicut illi? cur non illi sicut ego? et concludat cum Apostolo: « Gratia Dei in me vacua non fuit, gratia Dei sum

id quod sum; » cum illi suis demeritis ac justo Dei judicio pervernerint ad locum tormentorum, ubi sunt. Repetat saepe cum profunda humilitate ac intima compunctione, ad imitationem sancti Francisci: « Quis es Domine, et quis sum ego, ut audeam accedere et stare coram te? » Vel fusius dicat cum S. Augustino, Soliloquiorum Cap. 2: « Miser ego, quando poterit obliquitas mea tuae rectitudini adaequare? Tu, Domine, diligis solitudinem, ego multitudinem; tu silentium, ego clamorem; tu veritatem, ego vanitatem; tu munitiam, ego immunitiam sequor. Quid plura, Domine? Tu vere bonus, ego malus; tu pius, ego impius; tu sanctus, ego miser; tu justus, ego injustus; tu lux, ego cæcus; tu vita, ego mortuus; tu medicina, ego æger; tu gaudium, ego tristitia; tu summa veritas, ego universa vanitas, ut omnis homo vivens. Heu quid igitur, ô Creator, dicam? Audi, ô Creator: creatura tua sum, jam perii; creatura tua sum, jam morior: factura tua sum, jam ad nihilum redigor; plasma tuum sum, manus tuae, Domine, fecerunt me, plasmaverunt me; manus, inquam, illæ, quæ affixaæ clavis sunt pro me: opus manuum tuarum, Domine, ne despicias; vulnera manuum tuarum precor ut aspicias. Ecce in manibus tuis, Domine Deus, descripsisti me: lege ipsam scripturam, et salva me. En ad te suspiro creatura tua: Creator es, recrea me. En ad te clamo factura tua: vita es, vivifica me. En ad te respicio tuum plasma: plasmator es, restaura me; parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, ut possit alloqui Deum factorem suum? Parce mihi colloquenti tibi; ignosce servo tuo, qui præsumit loqui tanto Domino: legem non habet necessitas, dolor me compellit dicere, calamitas quam patior cogit me exclamare. Aegrotus sum, ad medicum clamo; cæcus sum, ad lucem propero; mortuus sum, ad vitam suspiro. Tu es medicus, tu lux, tu vita: Jesu Nazarene, miserere mei. Fili David, miserere mei. Fons misericordiae, audi quid ad te clamat infirmus. Lux quæ transis, expecta cæcum, præbe ei manum ut ad te veniat, et in lumine tuo videat lumen. Vita vivens, revoca mortuum. Quid sum ego, qui loquor tecum? Væ mihi Domine, parce mihi Domine: ego cadaver putridum, esca vermium, vas fœtidum, cibus ignium. Quid sum ego, qui loquor tecum? Væ mihi Domine, parce mihi Domine: infelix ego homo, homo, inquam, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis; homo, inquam, vanitati similis factus, comparatus jumentis insipientibus,

et jam similis factus illis. Quid iterum ego? Abyssus tenebrosa, terra misera, filius iræ, vas aptum in contumeliam, genitus per immunditiam, vivens in miseria, moriturus in angustia. »

Facta suiipsius hac humili confessione, plurimum juvaret, si præmisso culparum actualium examine, doleat de illis quas forte repererit, et enixe divinam precetur majestatem, ut sibi misericorditer ignoscat; nec offensas ipsius, sed potius submissam humiliationem respiciat. Cumque culparum suarum displicantiam et contritionem habuerit, certus quod Deus cor contritum et humiliatum non despiciat, fidenter accedat.

Divinum deinde postulet auxilium, ut in hac devota actione possit inculpabiliter perseverare, ad majorem ipsius Dei gloriam, et ad magnam suam utilitatem; ut in ea mentem et affectum dirigat, mentem quidem, ad cognoscendum ipsum Deum, affectum autem, ad amandum ipsum super omnia. Precetur Deum, ut sic omnes cogitationes, omnes motus moderetur, ut in illis omnibus divinae ipsius majestati complaceat, et copiosum orationi fructum in abundantia virtutum colligat.

Profitetur tandem ex corde Domino quod ad sanctum orationis exercitium accedit, puro laudandi ipsum, et proficiendi in via virtutis desiderio, ut sic amplius ejus divinae majestati complaceat, non ut ibi aliquam delectationem percipiat; quod accedit, non ut sibi, sed ut ipsi satisfaciat. Unde cum integra resignatione ac perfecta conformitate ad sanctum ejus beneplacitum petit, ut ibi prout voluerit de servo suo disponat, sive gratiam sensibilem largiendo, sive penitus eam subtrahendo, et distractiones, siccitates, et aridates permittendo, dummodo ex sua culpa non accident. Et concludat dicens: Domine Jesu Christe, da mihi quidquid volueris, et fac me secundum gratissimam voluntatem tuam.

### ARTICULUS III.

#### DE LECTIONE IN ORDINE AD ORATIONEM MENTALEM.

Secunda pars orationis mentalis ponitur lectio: quia, cum necessario praecedat omnes alias partes inferius explicandas, subsequitur præparationem saltem remotam, quam posuimus primam; nam

quantum ad præparationem proximam, sic eam subsequitur, ut etiam præcedere possit.

Primum igitur, quod circa hanc orationis partem occurrit obser-vandum, est delectus alicujus libri pii vel piorum librorum, qui materiam meditationis ex parte intellectus, et motum devotionis ex parte voluntatis præbeant. Multi sunt tales piarum meditationum libri a diversis compositi: quidam sic dispositi, ut materiam singulis diebus mane et vespere meditandam in hebdomada proponant, quales sunt B. Petri de Alcantara, et V. P. Ludovici Granatensis; quidam diversa meditationis puncta circa solemnitates Ecclesiae, vitam Christi et Beatissimæ Virginis, etc. distincta et digesta referunt; quidam denique similia distribuunt puncta meditationis circa omnia totius anni Evangelia. Alii sunt libri pii, qui, licet materiam meditationis non ita disponant, hoc tamen habent quod facile mentem colligunt; unde etiam eorum lectio præmittenda est orationi: quilibet propria doctus experientia poterit hunc aut alium sibi determinare. Fateor ego quod hunc devotionis et intimæ collectionis effectum specialiter in libris B. P. N. Joannis a Cruce percepi; eoque res devenerat, ut sæpius, ad eorum aperturam et antelectionem, collectus omnino manerem: hoc ad commendationem coelestis eorum doctrinae dico, cuius tamen substantiam ac suavitatem non percipit, qui non fuerit amicus crucis. Sed super omnes est divinus liber sacrorum Bibliorum, qui a Deo sacris Scriptoribus inspiratus, imo dictante ipso conscriptus, æternæ vitæ doctrinam continet; est enim verbum Dei, et « sermo ipsius vivus et efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, » cuius efficaciam et miram suavitatem experiuntur qui devote legunt: deberet, saltem in ordine ad hunc effectum, nudo capite, genibus flexis, ac magna cum reverentia tam interna quam externa legi; sic enim animæ dispositæ devotionis ignem accenderet.

Debet autem lectio primo esse attenta, ut sic bene percipiatur quod legitur; debet esse lenta, ut debite imprimatur memoria idem quod legitur; debet ex lectis determinata eligi materia, in unum vel in plura puncta, scilicet illa que judicatur aptior et efficacior ad mentem interius occupandam, et ad affectum fortius suaviusque excitandum: lectio namque meditationi seu discursui mentali materiam subministrat.

Aliquando bonum erit saepius lectionem reiterare, dum quis orationem mentalem privatim facit, et difficultatem in meditando patitur, vel ex defectu imaginationis quæ nulli potest firmiter adhaerere, vel propter occurrentes distractiones, vel propter alias causas: unde, tunc bonum erit pium aliquem librum legere, et, ubi se lector sentit excitatum, devote illi motioni vacare; cumque transierit, opus erit iterum ad librum redire, et ita saepius repetendo perseverare. Hic enim modus procedendi similibus est utilissimus, et paulatim mentem in seipsa colligit, et ad statum contemplationis adducit.

Debet autem lector advertere, juxta consilium V. P. N. Joannis a Jesu-Maria, quod, etsi materia meditationis præparanda sit, antequam locus orationis adeatur, cavere tamen debet, ne metuens quod sibi deficiat meditandi materia, in qua se in orationis loco occupet, multum temporis in præcogitandis ante multis conceptibus impendat, quos in oratione postmodum animo revolvat, atque hoc pacto ipsum orationis fructum nimio hoc discursu amittat. Certe in eo peccaret; quin imo satius est, ut solitarum meditationum ordinem servet, et aliquo tempore secum consideret, quo puncto magis permovereatur: v. g., si de inferno sit meditandum, observet quo se magis moveri sentiat, an poenæ acerbitate, an Dei privatione, an cruciatuum duratione perpetua. Det deinde operam, ut sensum hunc conservet, et eum postea tempore orationis resumat, nisi forte quodam alio tunc occurrente efficacius se moveri sentiat. Neque vero multi præparandi sunt conceptus vel argumenta, ut ea deinde in oratione artificiose repeatantur; sed cum summa humilitate et simplicitate hic procedendum est: hoc enim pacto anima illuminatur, et a Domino per argumenta et cogitationes, quas in ipso orationis loco is inspirare dignatur, confortatur. Similiter opus non est, in ipsa lectione, ipsum quem elicere vult affectum magna arte præparare: si namque meditatio lectionem consequens bona fuerit et proportionata, ipse per eamdem affectus excitabitur; quamvis alioquin verum sit posse eum et debere, non quidem semper sed interdum hic cum certo et deliberato proposito procedere; sicut eliciendi, v. g., affectum doloris de peccatis, quando ad generalem confessionem instituendam sese examinat; vel humilitatis, si quando ad seipsum magnificiendum et de se altum quid præsumendum excitatur, illorum nempe dierum tam lectionem quam

meditationem ad contritionem et humilitatem dirigendo; sed dicitur haec intentio potius quam preparatio affectus. Dictum est necessarium non esse semper certum et determinatum aliquem affectum preparare eliciendum: neque enim spiritus nimium constringendus est, sed libere avolare sinendus, ut per meditationem ad bonos salutaresque in genere affectus excitetur; nam, si semel voluntas bene mota sit, facile postea quemlibet bonum affectum eliciemus, eam in hac concitatione, ceu ceram aliquam ductilem, eo quo voluerimus, v. g., ad peccati odium, et ad hujus vel illius virtutis amorem, et ad hujus vel illius passionis mortificationem, denique ad omne bonum ducendo et inflectendo.

Sicut autem qui se orationi mentali disponit, non debet multorum lectione librorum mentem obruere, sed sistere, postquam aliquid invenit quod mentem colligit et affectum excitat; sic debet a multiplici consultatione desistere, dum sufficientia percepit circa orationem mentalem documenta, et potius executioni mandare quae jam didicit, quam nova velle semper addiscere documenta; ne tempus, quod silentio et collectioni mentis consecrandum est, in consultationibus vanis et inutilibus consumatur. Cœlestem circa hoc doctrinam habet B. P. N. Joannes a Cruce in quadam Epistola ad nostras Moniales Discalceatas directa, quæ in numero Epistolarum ipsius habetur secunda, ubi sic ait: « Si vobis scribere distuli, non ex defectu bonæ voluntatis erga vos processit, cum vere majus vestrum bonum desiderem; sed hoc ideo feci, quia judicabam satis superque dictum et scriptum esse, ut ad aeternam salutem et ad perfectionem necessaria operemur. Quod enim tanquam necessarium desideratur, non est loqui vel scribere, cum in his ut plurimum excedatur, sed est tacere et operari; maxime, quia loqui mentem distrahit, sed tacere et operari mentem colligunt, et vires spiritus augent. Propterea, cum quis jam novit et ab aliis didicit, quod ad profectum ipsius spiritualem conducit, non indiget amplius audire vel loqui, sed tantum illud exequi in silentio ac sollicite, cum humilitate, charitate et contemptu sui ipsius, absque eo quod de novis rebus inquirat; hoc enim tantummodo deseruit ut appetitui circa res exteriores satisfiat, quinimo nullo modo sic ei satisfit; deservit etiam, ut relinquatur spiritus debilis, vacuus, ac omni virtute interiori destitutus. Unde nec unum nec aliud prodest, sicut nec de novo sumptus prodest cibus, si prior non fuerit digestus: cum enim

calor naturalis sit diversus, et circa utrumque occupatus, sufficientem non habet virtutem ut illum in substantiam subjecti aliter convertat, et inde generantur morbi. Maxime convenit ut spiritum nostrum ab insidiis diaboli et sensualitatis immunem conservemus; alias experiemur quantum a via perfectionis decidemus, et quantum a virtutibus Domini nostri Jesu Christi distamus; et ante divinum judicium comparebimus cum imperfectis et defectuosis operibus nostris, et credentes ardenter nos habere lampadem, illam videbimus extinctam; flatus siquidem illi, quibus nos illam accendere credebamus, magis erant apti ad extinguendum. Ne igitur hoc nobis accidat, et ut spiritum virtutis conservemus, dico quod nullum est aptius medium, quam pati, facere, et tacere, ac simul sensus nostros ab externis custodire cum appetitu et exercitio solitudinis, et oblivione rerum omnium et eventuum singulorum, quamvis totus pereat mundus; nec unquam, sive bonus et fortunatus fuerit eventus, sive malus et sinister, despicienda et negligenda est tranquillitas cordis, ex amoris visceribus procedens, cum sit dispositio ad toleranda singula quae occurrent: perfectio namque tanti est momenti, et delectatio spiritus tam dives ac pretiosa, quod ad eorum acquisitionem vix dicta sufficient; est enim impossibile, quod aliquis gradatim in virtute proficiat, nisi simul in silentio et operetur et patiatur. Hoc instructione divina didici quod anima, quae multum loquitur et exterius conversatur, Deo parum attendit: si namque ipsi Deo attendat, statim ad internam recollectionem, et ad continuum pene silentium allicitur, et omnem externam evitat conversationem, sciens quod acceptius est Deo, ut in ipso delectetur super omnia creata, quantumcumque sint excellentia et ipsi utilia. »

#### ARTICULUS IV.

##### DE MEDITATIONE.

Meditatio est mentalis discursus, quo intellectus, circa materiam aliquam, piam de una consideratione in aliam transit. Est autem duplex discursus, unus proprie dictus, aliis improprie dictus. Discursus proprie dictus ex una consideratione aliam colligit;

discursus improprie dictus unam considerationem post aliam format.

Cum igitur humanus intellectus non statim a principio veritatem attingat, non solum improprium habet discursum, omni convenientem intellectui creato, quia non simul cuncta cognoscit, hoc namque solius divini actus purissimi proprium est; sed etiam proprium habet discursum. Unde paulatim, ex principiis naturaliter aut facile notis procedens, multas deducit conclusiones, ac plures invenit veritates, quas postea contemplatur, contemplatio siquidem est terminus meditationis. Non indiget angelus meditatione, sed statim in principiis contemplatur conclusiones, et in causis effectus.

Inde est, quod communiter sancti Patres docent meditationem esse admodum homini necessariam. Hugo de S. Victore, de Laude Orationis, asserit orationem esse non posse perfectam, nisi meditatio precedat eam aut concomitetur. Augustinus affirmat orationem esse tepidam, nisi meditatione calescat, juxta dictum prophetæ: « Et in meditatione mea exardescet ignis. » Unde alibi idem Augustinus ait: « Intellectus cogitabundus est principium omnis boni. » Ratio eorum manifesta est: nisi enim per meditationem agnoscamus quid petendum nobis sit in oratione, non poterimus petere; et sic oratio, ad quam pertinet petere, erit imperfecta et tepida. Bernardus, Serm. I de S. Andrea, dicit: « Nemo repente fit summus; ascendendo non volando apprehenditur summitas scalæ: ascendamus igitur, velut duobus quibusdam pedibus, meditatione et oratione; meditatio siquidem docet quid desit, oratio ne desit obtinet; meditatione denique agnoscimus imminentia nobis pericula, oratione evadimus. » Hieronymus, ostendens quam necessaria sit meditatio, dicit quod est « soror lectionis, nutrix orationis, directrix operis, omniumque pariter perfectio et consummatrix existens. » Hanc meditationis necessitatem noverat Propheta Regius, dum ait: « Beati, qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. » Et alibi: « Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. » Imo simpliciter necessariam esse ad salutem credit meditationem, dum ait: « Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periisse in humilitate mea. » Quod extollit Jeremias, dum spiritualem totius terræ desolationem reducit ad defectum meditationis, dicens Cap. 12: « De-

solatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recognitet corde. »

Radicem hujus necessitatis, ac simul utilitatem meditationis, possumus colligere ex his quae docet D. Thomas, 2. 2, Quæst. 82, Art. 3, ubi, postquam dixit quod causa devotionis extrinseca et principalis, Deus est; de quo dicit Ambrosius, super Lucam : « Deus quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit ; et si voluisset, Samaritanos ex inde votis devotos fecisset, » concludit quod causa intrinseca devotionis ex parte nostra est meditatio seu contemplatio, et sic probat : « Dictum est quod devotio est quidam voluntatis actus, ad hoc quod homo prompte se tradat ad divinum obsequium : omnis autem actus voluntatis ex aliqua consideratione procedit, eo quod bonum intellectum est objectum voluntatis ; unde et Augustinus dicit, Lib. 14 de Trinitate, Cap. 8, quod voluntas oritur ex intelligentia. Et ideo, necesse est quod meditatio sit devotionis causa ; in quantum scilicet homo per meditationem concipit quod se tradat divino obsequio. Ad quod quidem inducit duplex consideratio : una quidem quæ est ex parte divinae bonitatis et beneficiorum ipsius, secundum illud Psalmi 72: « Mihi adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam ; » et hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa ; alia vero est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget ut Deo innitatur, secundum illud Psalmi 120 : « Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi : auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram ; » et hæc consideratio excludit præsumptionem, per quam aliquis impeditur ne Deo se subjiciat, dum sue virtuti innititur. »

Finis meditationis duplex est : unus intrinsecus, sistens in ipso intellectu ; alter extrinsecus, in alia repertus potentia. Primus est contemplatio, de quo ait Augustinus, Libro de Scala Paradisi : « Lectio inquirit, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat. Quærite legendō, invenientis meditando; pulsate orando, et aperietur vobis contemplando: juxta illud Evangelii : « Quærite, et invenientis; pulsate, et aperietur vobis. » Secundus finis est operatio, vel voluntatis, vel alterius potentiae; ex meditatione quippe concipiatur amor, secundum illud Psalmi : « Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis, » divini scilicet amoris. De divino autem amore dicit Gregorius magnus, quod « operatur

magna si est, si vero non operatur amor non est. » Propterea S. Ambrosius, in Psalmum 118, ait: « Meditationis præceptorum cœlestium intentio vel finis, operatio est. » Et Gerson, super Magnificat, ait: « Inquirimus quid sit virtus, non ut sciamus (præcise scilicet et ultimate), sed ut boni efficiamur. »

Cum quis advertit se vix posse meditari, propter inhabilitatem potentiarum, debet, ex parte voluntatis, supplere quod deest ex parte intellectus. Unde, facta saepius experientia quod intellectus discurrere non potest, nec diu mentaliter loqui, sequatur consilium Augustini, Libro de Orando Deo, Cap. 10, ubi sic ait, hoc Christi referens mandatum, *orantes autem nolite multum loqui*: « Aliud est sermo multis, aliud diuturnus affectus; absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio. Et negotium hoc plus gemitibus, quam sermonibus agitur. » Certo speret quod mittet Deus Spiritum Filii sui in cor ipsius, clamantem « Abba Pater, » quia « cum simplicibus sermocinatio ejus. » Recordetur sancti fratris Ægidii, qui, cum sancto Bonaventura dixisset beatos esse viros doctos, qui plus Deum possent cognoscere et amare, ab ipso didicit quod idiota æque posset Deum amare ac doctor theologus, speciali scilicet instructione Dei, supplente discursum meditationis, qui in viris doctis, utpote assuetis et exercitatis, facilius invenitur.

Debet autem hic aderti quod, sicut meditatio non debet esse superflua, sic nec debet esse diminuta: unde sic meditationi insistendum est, quod docet in sua veritatis inquisitione, donec veritas inventa moveat affectum. Æqualis namque periculi videtur, si quis vel præmature meditationem relinquat statim ad primum et minimum affectus motum, vel diutius affectu jam sufficienter excitato perseveret in ea. Si quis præmature meditationem relinquat, non consequetur effectum quem ex oratione prætendit; cum enim intellectus sit primum, moraliter movens inter animæ potentias, per hoc quod ipse a veritate reperta convincatur, nisi in meditatione veritatem repererit, eaque fuerit perfecte convictus et in ea firmatus, immotus in seipso persistet, et alias potentias ad finem operationis movere non poterit. Sin autem intellectus, affectu jam excitato sufficienter, diutius in meditatione perseveret, multam temporis jacturam patietur; meditatio namque non propter se queritur, ut dictum est, sed queritur propter virtutem, ut illa tanquam medio proportionato moveatur affectus ad acquisitionem virtutis; inde est,

quod sicut fine acquisito debet medium removeri, alioquin inutiliter ac superflue laboraretur in medio ; sic affectu jam sufficienter excitato, debet cessare meditatio. Sed notandum quod quandoque, sicut facile excitatur affectus, sic ejus excitatio facile transit, et in pristinum immobilitatis statum reddit ; et, contra, in aliquibus difficulter movetur affectus. Pro utriusque casus resolutione, dicimus, quantum ad primum, resumendum esse meditationis exercitium, et sic secundo vel saepius ignem inflammandum ; ad quod plurimum conduceat, breves quasdam meditationes ultimis partibus affectivis intermisceret, ut sic affectus identidem excitetur ; sed si multum accenderetur, temperanda foret sensibilis commotio, praesertim in incipientibus, ne capiti vel pectori noceat. Quantum ad secundum, dicimus quod, si per meditationem non statim affectus moveatur, aliquantulum adhuc in ea persistendum est, et deprecandus est Dominus, ut affectum excitet ; sed si medium orationis tempus, puta dimidia fluxerit hora, relinquatur meditatio velut inutilis et infructuosa, et ad alias orationis partes fiat transitus, et ad actus gratitudinis, oblationis et petitionis incumbat, qui sunt finis orationis; et idem dicendum, si quis nullum potest formare discursum. Notandum tamen est, quod affectus est duplex, rationalis et sensibilis : rationalis est voluntas, sensibilis est appetitus concupisibilis. Principaliter autem excitandus est affectus rationalis, ita ut voluntas, meditatione mota vel calefacta, aliquem eliciat actum virtutis : poterit etiam excitari sensibilis affectus in actum alicujus moderatae passionis, qui cooperetur ad actum voluntatis : sic enim, utroque affectu excitato circa virtutem aliquam, fortius et suavius anima circa illam operatur ; utroque namque appetitu conveniente, nihil occurrit quod ipsam ab executione et a perfecta intentione actus impedit, cum tamen appetitus sensibilis rationali contrarius, vel absolute et simpliciter actum virtutis impedit, vel saltem remittat. Circa hoc plura dicentur inferius, dum in fine hujusce discursus agetur de modo, quo se quis debeat gerere tempore siccitatis et ariditatis ; semper tamen consultatur director spiritualis, ad maiorem anima securitatem ; et consulatur V. P. N. Joannes a Jesu-Maria, Tractatu de Oratione, ubi, multis propositis dubiis circa motionem affectus per meditationem, mire tam incipientes quam directores instruit.

## ARTICULUS V.

## DE GRATIARUM ACTIONE.

Gratiarum actio est primus, in oratione mentali, affectivæ partis actus, ex ipsa meditatione connaturaliter ante quoscumque alios emanans, ut statim declarabitur. Gratiarum actio consistit primo in affectibus gratitudinis erga Deum benefactorem summum et universalem excitandis, propter recepta ab eo tot tantaque beneficia, in ipsa meditatione formaliter aut virtualiter perpensa; secundo in eliciendis actibus amoris et laudis erga ipsum Dominum, intuitu beneficiorum ipsius.

Sic connaturaliter oritur ad quamecumque meditationem piam gratiarum actio, ut non sit opus ulla ratiocinatione vel industria animæ per meditationem commotæ ut possit prorumpere statim in fervidos gratitudinis, amoris et divinæ laudis actus, ut inductione generali mox facienda per singulas piæ meditationis materias apparebit. Hac autem generalis inductio ponitur in præsenti, ad demonstrandam praxim, maxime tyronibus, in excrucendis partibus orationis.

Si quis igitur consideret aliquod mysterium fidei, juxta solemnitates Ecclesiæ, puta mysterium sanctissimæ Trinitatis, dominice incarnationis, adventus Spiritus Sancti, eucharistiæ, vel similium quæ Christus Dominus aut instituit, aut fecit, aut revelavit, nonne statim concitatibus affectus erga Deum et Christum Dominum, qui vel instituit, v. g., sacramenta, vel fecit tot eximia propter nos opera, vel revelavit tam sublimia divinitatis mysteria? Quod sic amplius declaratur. Qui mysterium augustissimum sanctissimæ Trinitatis meditatur, ubi excitatur affectus voluntatis, et Christo illud revelanti gratias agit, et Deo ipsi trino ac uno gratias etiam agit, qui se finem ultimum creature intellectualis constituit, ut illa in ipsis possessione et fruitivo amore foret in aeternum beata. Qui sacrosanctam Christi Domini meditatur incarnationem, ejusque miras operationes et amaram passionem propter nos homines, et propter nostram salutem ac instructionem, nonne statim gratias aget toti sanctissimæ Trinitati mysterium hoc ope-

ranti, et singulis specialiter personis? Patri quidem, qui « sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, » qui ut servum redimeret, tradidit Filium; Filio etiam, qui tam arduum et difficile, propter amorem creaturæ, munus redemptoris suscepit; et Spiritui Sancto, qui principaliter, tanquam amoris principium, ad hoc mysterium concurrisse dicitur. Qui adventum seu visibilem simul cum invisibili Spiritus Sancti missionem meditatur, sicut et sacram eucharistiam, aliaque Ecclesiae sacramenta, cum omnibus bonis ac divinis charismatibus inde provenientibus, nonne statim Deo et Christo Domino, prædictorum omnium authori, summas referet gratias, et in decantandas ipsius laudes cum amoris affectu prosiliet?

Sed transeamus ad alias piae meditationis materias; et sigillatim procedamus, juxta doctorum spiritualium institutionem, qui cum præcipuis solemnitatibus mysteria in eis celebrata proponant meditanda, sicut et passionem Christi Domini singulis diebus ordinariis in suas distributam partes, mane considerandam exhibeant, velut abyssum multam gratiarum et oceanum admirationis; sic vesperi meditandas alias proponunt materias, dominica die beneficia Dei, die lunæ peccata, die martis miserias mundi, die mercurii mortem, die jovis judicium, die veneris infernum, et die sabbathi gloriam aeternam.

Qui igitur divina beneficia sibi liberaliter concessa, tam in communi quam in particulari, meditabitur, statim ac per se primo, nisi fuerit amens, eorum authori Deo gratias referet, ipsumque laudabit: non enim potest generosus animus beneficia sibi collata considerare, quin suo benefactori gratias referat et laudes.

Qui sua considerabit peccata et contra divinam majestatem commissa meditabitur, statim lugebit suisque lacrymis abluere conabitur; sed insuper meditando sibi jam fuisse remissa a misericordissimo illo Domino, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat, tunc gratias illi referet, summamque ejus misericordiam repetitis identidem laudibus extolle.

Qui mundi miserias tot tamque diversas meditabitur, quibus tam corporis quam animæ causatur interitus, si se divinæ misericordia liberum ab illis intueatur, cum tot alii detineantur in illis captivi, sine dubio liberatori suo misericordi Domino gratias semper aget, et, cum sancto Moyse post transitum maris rubri, canticum laudis illi concinet.

Qui mortem considerabit, cum omnibus ejus circumstantiis, et meditabitur quod, sicut in justis est finis laborum, ita in peccatoribus est initium laborum ac æternæ damnationis, et insuper quam pauci sunt, qui se ad eam debite præparent, ut ex illo puncto pendens æternitas malorum evitetur, et bonorum acquiratur, statim Deo gratias aget, ejusque laudes decantabit, qui selegit ipsum ex infinito stultorum numero, sub quo prius continebatur, ut posset novissima sua memorari, et sic a peccatis abstinendo, ad transitum illum ita se disponere, ut tunc non formidet, sed potius gaudeat de retributione mox futura, post solutum morti tam suavi debitum.

Qui divinum meditabitur judicium, obstinatis quidem peccatoribus tremendum et horribile, sed justificatis peccatoribus suavissimum et honorabile, divinae majestati gratias et laudes referet, quæ seipsum de statu peccatorum ad societatem justorum, divinis sue misericordiæ motionibus et auxiliis, toties revocavit, et in statu gratiæ conservat.

Qui poenæ inferni meditabitur, tam tremendas et horribiles, quales nobis sacra proponit scriptura, ac insuper se divina benignitate liberatum ab illis considerabit, per remissionem peccatorum, quibus illas toties meruerat, nisi sit penitus insensibilis, Deo liberatori et conservatori suo maximas aget gratiarum actiones, et cum amore fidei laudes decantabit nomini sancto ejus.

Qui denique gloriam æternam meditabitur, quam præparavit Deus diligentibus se, gloriam scilicet illam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis penetravit, gloriam, quam nobis per Unigeniti sui passionem reparavit, quam dextera ipsius nobis acquisivit, quam tam liberaliter pro exiguis adinodum meritis concedit, ut ait Apostolus, (« momentaneum hoc et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis »), statim in actus gratitudinis prorumpet, et tam liberalem ac benignum benefactorem Deum ferventer amabit, et assidue laudabit.

Proportione servata, de aliis piarum meditationum materiis facili negotio motiva gratiarum actionis ac divinae laudis derivantur, ut assuetis manifeste constat; et adhuc facilius derivabuntur, si quis supra seipsum reflectat, et supra meditationis ipsummet actum: supra seipsum quidem, quia continuo Dei conservantis sic indiget beneficio, quod, si Deus tantillum suum subtraheret concursum, ipse deficeret, penitus evanesceret, ac in nihilum redigeretur; supra

vero ipsum meditationis actum, tum ratione generali, qua quilibet actio necessario dependet a Deo prævie ac simultaneo concurrente cum causa secunda, tum ratione speciali, qua supernaturalis actio, sive quoad substantiam, sive quoad modum, indispensabiliter dependet ab auxiliis divinae gratiae, tanquam excedens vires naturæ, tum ratione specialissima, qua Deus tam sancto voluit ipsum exercitio vacare, inter electos particulares famulos et amicos suos: quæ singula sunt actualia et præsentia Dei beneficia, unde prædicta reflexione cognita debent gratiarum actione recognosci ac debitibus laudibus extolli; ut sic Deus gratitudine motus totum orationis mentalis decursum benedicat, et copioso fructu concessso feliciter compleat; et ne vice versa commotus ingratitudine Deus suam gratiarum communicationem subtrahat, cum, ex D. Bernardo, « ingratitudo sit ventus urens, siccans fluenta gratia. »

Notandum tamen, quod hæc gratiarum actio debet esse connaturalis admodum, ut dictum est, ac pene ex ipso meditationis exercitio sponte procedens: si namque anima seipsam non sentiret spiritu Dei ad similes actus agi, sed ad alios, puta oblationis sui ipsius, aut petitionis, deberet ductum Spiritus Sancti libenter sequi, et suaviter ejus motioni consentire; hujusmodi siquidem actus sic suaviter ac spontaneo facti multo sunt pretiosiores ac magis meritiorii et Deo placentes, quam alii quodammodo violenter eliciti. Unde quamvis sit maxime conveniens, imo necessarium, ordinarie post meditationem, gratitudinis ac divinæ laudis actus elicere, melius tamen erit aliquando, juxta dicta, in alios virtutum actus motione divina prorumpere, quam in istos violenter quodammodo niti.

## ARTICULUS VI.

### DE OBLATIONE.

Oblatio, quæ mentalis est orationis pars, in his præcipue consistit: primo, ut meditans se totum omnipotenti Deo consecret; secundo, ut cor suum adamandum Deum, et os ad ipsum laudandum offerat, et velit habere infinita corda et ora ad Deum aman-

dum ac laudandum ; tertio, ut decernat propter Deum excellentes actus virtutum exercere, et præsertim earum quas Deo magis placituras, sibique magis necessarias judicaverit, tum operando tum patiendo ; et insuper statuere firmiter, ad majorem cordis puritatem, passiones moderari, tentationes superare, et appetitum mortificare.

Debet igitur qui mentalis orationis exercitium frequentat, sibi persuadere, quod eam, non ut finem, sed ut medium assumit ad hoc ut seipsum perficiat, medium quidem efficacissimum et generale ad omne malum evitandum, et ad omne bonum acquirendum. Propterea Christus Dominus in vigilia suæ passionis sacratissimæ, volens discipulos instruere et ad tentationes superandas animare, ipsos excitat ad orandum dicens, Matthei 24 : « Vigilate et orate, ut non intretis in temptationem. » Et refert Theodoretus, quod quidam sanctus monachus dicere solebat, medicos corporum singulis quibusque morbis et infirmitatibus singula et particularia adhibere medicamenta, quia quodlibet medicamentum corporale virtutis est limitate ; sed oratio mentalis est remedium et medicamentum efficacissimæ et quodammodo illimitatae virtutis ad omnia, cum animæ bonum infinitum, scilicet Deum, applicet ; omnipotens oratio, cum sit una, omnia potest.

Necessaria sequitur consequentia, quod meditans in signum grati animi se suaque Deo statim offerat : cum enim per meditationem agnoscat quantum Deo debeat, sive sacratissimam Christi Domini vitam et passionem, sive quatuor hominis novissima, sive quocumque aliud pium meditatus fuerit, sequitur quod, post gratiarum actionem ac divinarum laudum solutionem, quam maxima potest contentione tanto benefactori vicissim reciproco beneficio studeat respondere.

Poterit igitur toto cordis affectu sic Deo seipsum offerre : me totum tue divinæ majestati, suavissime ac benignissime Domine, mille titulis debitum offero. Tuus sum titulo creationis, quia, cum non essem, fecisti me : dedisti mihi esse, tum naturale tum supernaturale, quod habeo ; unde totum illud tibi quasi tuum toto corde restituo. Tuus sum titulo conservationis, quia cum ex creaturæ propria ratione sim defectibilis, et subtracto concursu tuo deficerem in nihilum, me miserrimum peccatorem semper et ubique conservas ; unde me totum tibi redbo qualem me conservatum invenio.

Tuus sum titulo redemptionis, quia, cum diaboli captivus essem, redemisti me; unde merito me totum offerre tibi redemptori debo, maxime quia ut me redimeres te ipsum propter me tradidisti. Tuus sum titulo justitiae commutativae, quia quotidie te ipsum in sanctissimo eucharistiae sacramento, tanquam cibum animae, mihi tradis; unde, ad condignam amoris correspondentiam, me totum tibi tradere debo. Denique tuus sum, propter infinita quae passim mihi concedis beneficia, quibus me totaliter vinctum habes; unde plus quam justum est, ut me quasi tuum captivum tibi tam fortiter obstrictum profitear. Propterea me ipsum totum, meas omnes cogitationes, singulas actiones, minimosque motus proprios tuae divinae majestati consecro; vellem, quoties respiro, ferventissimos amoris actus exhalare, ut tanta charitati tuae possem aliquatenus gratitudine mutua respondere; firmiter statuo me tibi fidelissime observantur, et propter te summe dilectum in hae vel illa re mortificaturum aut occupaturum; nihil enim imposterum desidero, quam tibi in omnibus et super omnia complacere. Unde velut holocaustum matutinum me tibi sponte sacrificatum et oblatum suscipe. Utinam ad similem omnes creaturas oblationem tibi faciendam allicere possem!

His et similibus modis debet meditans Deo se ipsum offerre, et procuret quod similes oblationis actus ex intraneis ipsius meditationis cum gratiarum actione sponte potius erumpant, quam si violenter per voluntatis applicationem exprimantur; plus enim prodest unicus virtutis actus sic sponte procedens, quam plures alii in eadem materia violenti, quia natura totaliter subordinata gratiae quasi connaturaliter operatur, ac proinde fortius et suavius.

Sed quia debet oratio mentalis, non tantum ad animae profectum ut sic in genere adhiberi, sed etiam in particulari ad emendationem hujus vel illius imperfectionis, ad moderationem hujus vel illius passionis, ac acquisitionem hujus vel illius virtutis, juxta propriam cuiusque necessitatem, debet enim quilibet adhibere remedium specialiter, ubi necessarium esse noverit, ad imitationem cœci evangelici, qui a Domino interrogatus quid vellet, respondit: « Domine ut videam; » inde est, quod nobilissimum erit genus oblationis, Deoque gratissimum, si quis, post generalem sui ipsius oblationem, proponat et propositam offerat talis aut talis imperfectionis emendationem, talis aut talis passionis moderationem.

nem, talis aut talis virtutis acquisitionem, simul Deum deprecans ut sibi vires concedat ad offerendum ipsi tale sacrificium.

Plurimum tamen advertendum est ne hæc solum ore tenuis fiat, sed ab intimo cordis affectu procedat, ne forte dicatur offerenti, quod Deum labiis honorat, cor autem ejus longe a Deo est. Signum veræ ac cordialis hujus oblationis est, si quis postmodum, oblatis occasionibus, propter Deum virtutem exerceat. Nam quo pacto præsumi potest, quod aliquis ex cordis affectu se Deo totaliter offerat, si quid minimum propter ipsum rogatus agere recuset? Quomodo credi potest, quod vere mori propter Deum desideret, qui ne minimum verbum propter ipsum ferre potest? Si parva et facilia non agit aut patitur, quomodo magna et difficilia ageret aut patetur? Ordinarium quidem est, quod qui magna et difficilia agit aut patitur, parva etiam et facilia agat et patiatur; nam qui potest majus, potest et minus: extraordinarium autem est, quod qui parva et facilia agit aut patitur, magna etiam et difficilia agat aut patiatur; non enim qui potest minus, potest et majus, eum plus virtutis ad istud quam ad illud requiratur; sed raro aut vix continet, quod qui parva et facilia non agit aut patitur, magna et difficilia agat aut patiatur.

## ARTICULUS VII.

### DE PETITIONE.

Mirus est ordo partium orationis mentalis, ut satis constat ex dictis, et expendit V. P. N. Joannes a Jesu-Maria, Tractatu de Oratione, dicens quod « rationi quam maxime consentaneum est, ut quisquis potentem aliquem principem, et multo magis divinam allocuturus est majestatem, sese ante prepararet, et consideret quocum tractare velit, et quis sit ipse qui hunc alioqui proponat: atque hoc ipsa facit preparatio. Deinde par est, ut secum cogitet quanam de re acturus sit: atque hunc in finem adhibetur lectio, quæ orationis materiam suppeditat. Necesse quoque est, ut ipsa de qua agendum est materia, ante serio ponderetur et expendatur: hue ipsa spectat meditatio, quæ hanc materiam executit et ponderat, super eadem discurrendo.

Sequitur dein affectus applicatio, quæ ex ea oritur meditatione, in qua accepta a divina majestate beneficia considerata sunt; eadem quippe ratio, quæ ad præparationem faciendam, et ad materiam eligendam, et ad super ea discurrendum excitavit, exigit ut dum, in illo discursu, divinæ misericordiæ clarius jam perspectæ agnoscantur, tanto sese anima benefactori obstrictam et obligatam sentiat, atque idcirco ex intimo affectu ei gratias agat: huic usui est ipsa gratiarum actio. Consentaneum ad hæc est, ut præter gratitudinem illam interiorem, quam maxima potest contentione, anima grata tanto benefactori vicissim reciproco beneficio studeat respondere: ad hoc confert oblatio, in qua nimis se homo totum ex hoc gratitudinis affectu offert, et virtutum opera propter Dominum Jesum facere proponit. Sed, juxta catholicam veritatem præsupposito non posse hominem sine Domini et creatoris sui auxilio et gratia debitum hoc persolvere, vel pium aliquod opus facere, ratio ipsa exigit ut ultima orationis pars sit ea, qua ad ipsum per petitionem recurramus, illius opem ad hoc debitum persolvendum, ad peccati onera deponenda, ad virtutes comparandas, denique ad omne id quod vel necessarium vel conveniens est, quo ad finem vitæ perveniantur, acquirendum postulantes.

Est igitur petitio pars ultima orationis mentalis generaliter sumptæ, ut dicitur elevatio mentis in Deum; si namque stricte sumeretur juxta superius dicta Articulo 1, est tota essentia orationis. Dupliciter autem ex aliis partibus sequitur: primo, ut ipsa mediante partes etiam aliae debite compleantur; cum enim absque divinæ gratiæ auxilio virtutum actus, maxime perfecti, qualis est gratiarum actio, ac suiipsius oblatio, fieri nequeant, opus est quod auxilium divinum ad hoc imploretur: secundo, ut cetera omnia tam sibi oranti, quam aliis ad æternam salutem necessaria depositat ab ipso Deo, per gratiarum actionem et oblationem ad amplius beneficiendum excitato.

Debet autem quisque, principaliter quidem et absque ulla conditione, tantum petere bona supernaturalia, quibus beatificamur, et quibus beatitudinem meremur; sed bona temporalia possumus in oratione minus principaliter tantum petere, et cum hac conditione saltem virtuali et tacita, si sint profutura ad beatitudinem æternam. Omnia vero in oratione petenda convenienter et compendiose comprehenduntur in Oratione Dominica. Ad majorem horum evi-

dentiam sciendum est, quod bona sive dona, quæ possunt a Deo obtineri, vel sunt ordinis supernaturalis, videlicet gratia sanctificans cum virtutibus infusionis, gloria cum omnibus ad eam attinentibus, et tandem auxilia actualia divinae gratiae ad operationes supernaturales requisita; vel sunt ordinis naturalis, et hæc dividuntur in spiritualia et in corporalia: spiritualia pertinent ad animam, qualia sunt scientiæ, virtutes acquisitæ et similia; corporalia pertinent ad corpus, sive immediate ut sanitas, sive mediate ut sunt omnia externa materialia.

Possunt ergo prædicta omnia, sub distinctione præscripta, a Domino peti. Et quidem quod principaliter et absque ulla conditione possint peti bona supernaturalia quibus beatificamur, et quibus beatitudinem meremur, demonstratur tum authoritate, tum ratione. Authoritate quidem sacræ Scripturæ, ubi præcipitur nobis absolute ac principaliter quærere ac petere regnum Dei, juxta illud Christi Domini: « Quærite primum regnum Dei, etc. » Item præcipitur ut quæramus justificationem per gratiam et virtutes, juxta illud etiam Christi Domini: « Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. » Unde D. Thomas, 2. 2, Q. 83, Art. 5, sic ait: « Sunt tamen quedam bona, quibus homo male uti non potest, quæ scilicet malum eventum habere non possunt: hæc autem sunt quibus beatificamur, et quibus beatitudinem meremur; quæ quidem sancti orando absolute petunt, secundum illud Psalmi 79: « Ostende faciem tuam, et salvi erimus. » Ratione vero sic demonstratur: intellectualis creatura, cui soli orare ac petere convenit, a Deo condita fuit in ordine ad finem supernaturalem æternæ beatitudinis, quæ in visione ac fruitione Dei consistit, ut fides docet. Unde possumus, imo debemus principaliter et absque ulla conditione petere bona supernaturalia, quibus beatificamur, et quibus beatitudinem meremur; in his enim consistit prædictus finis supernaturalis æternæ beatitudinis, et media quibus acquiritur; et aliunde quilibet potest, imo debet aspirare et tendere ad finem a Deo sibi præscriptum, et per media ab ipso determinata.

Quod autem bona temporalia possimus in oratione petere minus principaliter, et cum hac conditione saltem virtuali et tacita, si sint profutura ad beatitudinem æternam, constat tum authoritate sanctorum Patrum, imo et sacræ Scripturæ, tum ratione. Authoritate quidem sacræ Scripturæ, quia saepius ibi injungitur, ut omnia

nobis ad victum et vestitum necessaria postulemus a Domino; et ipsem Christus, instruens discipulos ad orandum in Oratione Dominica, jubet inter alia petere panem quotidianum. Unde D. Thomas, 2. 2, Q. 83, Art. 6, citans Augustinum, sic ait: « Sicut Augustinus dicit ad Probam de orando Deum, hoc licet orare, quod licet desiderare; temporalia autem licet desiderare, non quidem principaliter, ut in eis finem constituamus, sed sicut quædam adminicula quibus adjuvémur ad tendendum in beatitudinem, in quantum scilicet per ea vita corporis sustentatur, et in quantum nobis organice deserviunt ad actus virtutum, ut etiam Philosophus dicit in Ethicorum: et ideo pro temporalibus licet orare. » Quod confirmat authoritate S. Augustini. Ratione vero sic probatur: ex eo quod intellectualis creatura sit elevata ad finem supernaturalem æternæ beatitudinis, debet ad illam tendere, ac procurare media ad illam conducentia; media quidem proportionata (que scilicet sunt ejusdem ordinis) absolute et principaliter, ut jam dictum est; media vero improportionata (que scilicet sunt inferioris ordinis, et quæ sic remote conducunt ad ultimum finem, ut etiam possint occasionaliter per se ab illo avertere) minus principaliter et cum hac conditione saltem virtuali et tacita, si sunt profutura ad beatitudinem æternam. Constat autem quod bona temporalia sunt media improportionata ad æternam beatitudinem, sunt enim inferioris ordinis nempe naturalis, et sic remote conducunt ad æternam beatitudinem, ut etiam possint occasionaliter per se ab illo avertere, quod saepè contingit, experientia teste: unde talia bona possunt in oratione peti minus principaliter et cum predicta conditione.

Quod omnia in oratione petenda convenienter et compendiose comprehendantur in Oratione Dominicæ, docent S. Augustinus et D. Thomas. S. Augustinus, Epist. 121 ad Probam, Cap. 12, sic ait: « Si per omnia sanctorum precationum verba discurras, quantum existimo, nihil invenies quod non ista contineat et concludat Oratio (scilicet Dominicæ): » Et iterum: « Si recte et congruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quam quod in ista Oratione Dominicæ positum est. » D. Thomas, 2. 2, Quæst. 83, Art. 9, idem fuse probans, ostendit quam convenienter septem petitiones Orationis Dominicæ assignentur. Cujus discursus sic breviter proponitur: cum oratio sit interpres desiderii, juxta rectum ordinem nostri desiderii ponitur ordo petitionum. Unde, præmisso nomine Patris communis, quod

magis excitat ad exaudiendum, quam nomen Dei vel Domini, petitur primo in hac oratione, fusa ex parte omnium fidelium, quod sanctificetur nomen ipsius Dei, qui est nostra beatitudo objectiva: et haec petitio procedit ex affectu charitatis et perfectae amicitiae. Secundo petitur, quod adveniat nobis regnum Dei, sive beatitudo formalis: quae, cum sit noster ultimus finis, est primum desiderabile pro nobis ex affectu concupiscentiae, qui consequitur spem. Tertio petitur, ut fiat voluntas Dei sicut in cœlo et in terra: quae adimpletio universalis divinae voluntatis est medium directum et principale pervenienti ad ultimum finem; meremur enim obediendo ipsi Deo. Quarto petitur dari hodie panem quotidianum sive supersubstantialem: sub quo petitur non solum panis corporalis cum aliis ad vitæ sustentationem necessariis, sed etiam panis cœlestis Eucharistiae cum aliis Sacramentis, qui cum sit quotidianus respectu beatorum, eo quod in seipso et non sub figuris Deus possideatur, petitur pro hoc die mortalis vitæ velatus speciebus Eucharisticis. Tres aliæ petitiones ordinantur ad removendum ea, quae possunt impedire a consecutione ultimi finis. Unde dicitur quinto, quod dimittantur nobis peccata nostra, quibus excludimur a regno cœlesti, sicut dimittimus debitoribus nostris, id est offensas et injurias in nos commissas, ita ut nullum sit odium in corde propter illas, non autem tenemur illis dimittere pecuniae vel famæ restitutionem. Sexto petitur a Deo, quod non inducat nos in tentationem, quae impedit nos ab observantia divinae voluntatis: petimus autem, non ut non tentemur, sed ut non vincamur a tentatione, quod est non induci in tentationem. Septimo tandem petitur a Deo, quod nos liberet a malo, scilicet penalitatibus presentibus, quae impediunt sufficientiam vitæ, et convenientem tendentiam ad ultimum finem æternæ beatitudinis.

Non solum autem quilibet debet pro seipso orare seu aliquid a Deo petere, sed etiam pro aliis viatoribus, tempore necessitatis, imo et pro inimicis, ita ut, licet actu non teneatur seclusa necessitate pro ipsis orationem offerre, nullum tamen potest in particulari excludere superstitem a fructu et participatione orationis. Et quamvis non possit petere vitam æternam pro omnibus collective sumptis, cum divina sciat revelatione non omnibus esse concedendam, scilicet reprobis, debet tamen pro omnibus distributive sumptis sive pro singulis orare ut vitam æternam consequantur, quia, ut ait

S. Augustinus, in libro de Correptione et Gratia, et D. Thomas, 2.2, Quæst. 83, Art. 8, ad 3, non possumus prædestinatos distinguere a reprobis.

Quando justus petit aliquid in oratione pro prædestinatis, petitio semper suum sortitur effectum, dummodo fiat cum debitis conditionibus ; quando autem petit pro reprobis, quamvis non habeat effectum in illis respectu vitæ æternæ, propter impedimentum ex parte ipsorum, non tamen est omnino inutilis petitio : prodest enim plurimum oranti, et justis qui sunt participes omnium bonorum operum, et insuper prodest ad gloriam ac laudem Dei, quod debet esse præcipuum intentum orandi.

Constat autem, quod pro beatis in cœlo jam existentibus, et pro damnatis ad infernum detrusis non est orandum : ratio utriusque est, quia tam illi quam isti sunt in termino ; unde primi jam possident gloriam, ad cuius assecutionem preces applicantur, nec in illa possunt crescere, nec ab illa deficere, secundum ordinem stabilitum a divina providentia ; ali vero sunt finaliter damnati, in inferno autem nulla est redemptio.

Oratio, quæ consistit essentialiter in petitione, præter effectum spiritualis consolationis, quam præsentialiter affert, habet virtutem seu efficaciam merendi, satisfaciendi, et impetrandi. Efficacia, respectu primi et secundi, communis est orationi et aliis actibus virtutum ; efficacia vero, respectu tertii, est propria orationi sive petitioni, cuius est impetrare. Meritum orationis reservatur oranti ; ex divina siquidem ordinatione meritum respicit tantum augmentum gratiæ et gloriam ipsius merentis. Satisfactio autem et impletatio non solum oranti, sed etiam aliis prosunt.

Conditiones bona et legitimæ petitionis sunt, ut cum fide seu fiducia, pie, perseveranter, et de pertinentibus ad salutem fiat. Primam indicat S. Jacobus, in Epist. Cap. 1, dicens : « Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Dœo qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei ; postulet autem in fide nihil hæsitantis : qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento moveretur et circumfertur ; non ergo aestimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino. » Secunda seipsa est evidens et manifesta : nisi enim petitio sit pia, Deo non placebit, unde suum non consequetur effectum ; propterea S. Jacobus ait, Epist. C. 4 : « Petitis et non accipitis, eo quod male petatis. » Tertia proponitur a Christo

Domino, et confirmatur, Lucæ 11, parabola illius qui noctu petiit ab amico tres panes, et propter importunam perseverantiam obtinuit. Et concludit : « Et ego dico vobis : petite et dabitur vobis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis ; omnis enim qui petit accipit, et qui quærerit invenit, et pulsanti aperietur. » Quarta indicatur ab ipsomet Christo, docente suos Apostolos petere in nomine ipsius ; ubi Augustinus ait quod « non petitur in nomine Salvatoris, quando petitur aliquid alienum a salute. » Qui petit igitur cum dictis omnibus circumstantiis, infallibiliter, juxta fidem Christi Domini promissionem, impetrabit quod petit, aut aliquid majus et melius, quamvis nonnunquam concessio ad tempus opportunum differatur.

Unde sic petendo Deum alloquatur, qui fructuose vult orationem concludere : Domine, nihil prorsus sine te possum facere; propterea suppliciter peto, ut me misericorditer adjuves, et auxilia divinæ tuæ gratiæ mihi concedas, ad hoc ut possim passionem hanc, quæ me affligit, expugnare ; virtutem hanc, quam mihi maxime judico necessariam, acquirere ; et tandem id omne mihi præsta, quod mihi prodesse potest, ut divinæ tuæ majestati placeam, et æternam beatitudinem acquiram.

Principaliter autem orandum est pro generalibus sanctæ Ecclesiæ necessitatibus, pro dilatatione videlicet fidei, pro hæresum extirpatione, pro Ecclesiæ rectoribus ac prælatiis, præsertim Summo Pontifice, pro infidelium et peccatorum conversione, pro suo quisque principe, pro parentibus, aliisque similibus, sed præcipue et frequentius pro animabus purgatoriis, quæ sibi prodesse non possunt, et Ecclesiæ suffragiis possunt facile de tantis angustiis liberari : hoc enim charitatis officium maxime Deo placet, et a sanctis animabus illis, jam liberatis ac Dei visione beatis, in centuplum compensatur, dum, memores tanti beneficii, mille Dei benedictiones ac cœlestes favores suo liberatori jugiter impetrant. Sunt qui, postquam propriæ satisfecerunt obligationi, orantes pro illis quibus naturaliter obligantur, solent omnia sua bona et satisfactoria opera pro illis animabus purgatoriis offerre, quæ magis sunt ab aliis dierictæ, ut sic aliquod remedium habeant ; et simul pro illis quæ libertati sunt proximiores, ut citius Deo fruantur et in æternum ei benedicant.

## ARTICULUS VIII.

## DE DISTRACTIONIBUS ET ARIDITATIBUS.

Licet infra, tractatu tertio, multa circa distractiones et ariditates dicenda sint, hic tamen aliquid dici debet, ut sic plene tyrones, ad quos præcipue nunc loquimur, instruantur quomodo se gerere oporteat, dum in oratione distractiones et ariditates patiuntur, quod illis valde ordinarium est : nam, licet sœpe divinas consolationes et gratias sensibiles, ut, mediis illis, ad tam sanctum orationis mentalis exercitium allificantur, hoc tamen non sic est ordinarium, imo Deus, volens ipsorum purgationem incipere, et ad divinam unionem præparare, statim ac ipsos in bono videt formatos, gratiam sensibilem ut plurimum subtrahit, et permittit multas ipsis advenire nolentibus etiam distractiones et ariditates. Ne igitur sic vexati, ac divinis sensibilibus auxiliis destituti, deficiant animo, et ab orationis exercitio recedant, necessarium est eos instruere, et ad prosequendum iter perfectionis incepum fortiter animare ; posset enim fieri, quod hujusmodi distractiones et ariditates in seipsis continuas experti, crederent se frustra laborare, ac magis esse meritorium et Deo gratum, relicto orationis exercitio, ad externas occupationes pias se transferre.

Debent igitur hujusmodi tyrones vitæ spiritualis ante omnia se orationi præparare, juxta superius dicta, et maxime divinae vacando præsentia, piis cogitationibus insistendo, et ab imperfectionibus quantum fieri poterit abstinendo : posset enim accidere, in penam præcedentium imperfectionum ac negligentiarum, quod hujusmodi distractionibus et ariditatibus punirentur ; præsertim cum animus, inutilibus notitiis prius occupatus, soleat, connaturali cursu, tempore orationis per easdem impugnari, et a piis considerationibus distrahi. Unde, ut refert Cassianus, antiquorum patrum erat commune proloquium : quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus ; ex præcedenti enim statu mens atque animus in supplicatione formatur. Quod duplice comparatione confirmat. Bonaventura, Libro 2 de Profectu Religios., Cap. 58, dicens : « Qualis liquor vasi infunditur, taliter redolebit ; et quales herbas

in horto cordis tui plantaveris, talia semina germinabunt. Qui ergo cum Prophetā regio dicere potest, « meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, » culpabiles non patietur distractiones aut ariditates. »

Quando fuerit præmissa præparatio debita, et ad imitationem S. Bernardi, fuerint adhibitæ diligentiae contra distractionum accessum tempore orationis (euilibet namque ad hoc sanctum exercitium accedenti dicit : « Veniens ad Ecclesiam pone manum tuam super os tuum, et dic : expectate hic, cogitationes malæ, intentiones et affectus cordis, et appetitus carnis ; tu autem, anima mea, intra in gaudium Domini tui, ut videoas voluntatem Domini, et visites templum ejus »), debet oraturus divinum auxilium invocare, dicens cum Prophetā : « Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina ; » deinde, sibi persuadere quod spectaculum factus est Deo, Angelis, et Beatis; denique, procedens ad orandum, dicere : « Venite adoremus, et procidamus, et ploremus ante Dominum qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus ejus et oves pascuae ejus. »

Si, his rite præstitis, oraturus distractiones patiatur, primo debet, ex humilitatis affectu, credere quod, Deo juste id permittente, in pœnam suarum imperfectionum et negligentiarum, contingunt ei, et maxime, quia non statim, dum evigilat, in Deum cogitationem suam dirigit, juxta sanctorum Patrum consilium, quo dicitur : cum evigilas, statim omnes cogitationes tuas abjice de corde tuo, et offer Deo primitias cogitationum tuarum. Unde tunc ex intimo corde doleat de prædictis imperfectionibus et negligentiis, et cum divino favore statuens emendationem, pœnam illam patienter sustineat in sua culpæ satisfactionem.

Deinde divinum imploret auxilium, ne distractionibus hujusmodi consentiat; dicat cum sancta Judith : « Confirma me, Domine Deus, in hac hora ; » vel clamet cum regio Prophetā : « Domine, vim patior, responde pro me ; » vel cum cæco evangelico : « Jesu, fili David, miserere mei. » Poterit etiam sanctos suos devotos, et maxime sanctum angelum suum custodem, et sanctissimam Virginem Dei genitricem Mariam humiliiter invocare, ut sibi in præsenti necessitate succurrant, et suis meritis ac intercessionibus donum orationis sibi ipsi apud misericordem Deum obtineant.

Quod si haec ad mentem colligendam non sufficiant, humiliet se amplius coram divina majestate, et dicat : doce me, Domine, quia

nescio orare ; doce me facere voluntatem tuam ; Domine, ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.

Tandem, memor propositi in preparatione facti, sic Dominum alloquatur : Tu scis, Domine Deus meus, qua mente,qua intentione hoc venerim; non propriæ motivo ductus utilitatis, sed solo placendi tuae divinæ majestati desiderio veni ; veni ut facerem rectissimam voluntatem tuam, et non meam ut plurimum inordinatam. Doleo, non quia distractiones has patior, sed quia timeo ne tibi displiceam in eis : utinam hæc et majora propter te usque in finem mundi sustinerem ! Non mereor hic cum electis famulis tuis coram te stare, Deus meus ; quin potius mereor ob infinita scelera mea in infernum detrudi : plures enim ibi cruciantur, qui non tam graviter, nec toties ac ego divinam majestatem tuam offenderunt. Unde te benedico, et in æternum benedicam, quod me hic in tuorum societate famulorum patiaris. Ego autem has distractiones propter te patiar, et in amaritudine animæ meæ delicta juventutis meæ deplorabo ; et interim, si quidpiam aliud facere non possim, saltem hic patienter propter te stabo, et sacros hos parietes inspiciendo, quasi testes mee misericordiae, jugiter opem tuam implorabo.

His et similibus actibus humilitatis, resignationis, patientiae et amoris, flectetur tandem Dominus suavis et misericors ; et insuper cor ipsius orantis ad devotionem emolletur. Quod si noluerit respicere Dominus, nec cor ipsius orantis emolliatur, hoc unicum est remedium, ut patienter ferat, et in patientia sua possideat animam suam. Idem prorsus dicendum circa ariditates, quæ solent in oratione contingere : unde non amplius in istis immoramus ; maxime, quia fusius infra de illis nobis agendum est.

Poterit tamen quis, si privatim orationi vacat, librum aliquem spiritualem legere ad mentem identidem colligendam ; imo si distractiones, tentationes, aut aridates fuerint extremæ, poterit, ex superioris consilio, de communis orationis loco ad alium magis aptum accedere pro captando dicto remedio, et ad exhalandas cordis angustias ; sed extrema ad hoc requiritur necessitas : bonum quippe maximum ex aliorum societate percipitur, et ex separatione periculum instat. Note tandem, ex doctrina V. P. N. Joannis a Jesu-Maria, Tractatu de Oratione, quod, etsi per multos orationis frequentatæ menses vel etiam annos, semper et assiduo ariditatem vel derelictionem a Deo experiatur, non debet suum orationis mentalis

exercitum mutare, ut activæ vitæ se totaliter applicet; et hoc maxime, si proprii ratione instituti ad vitam contemplativam obligetur, quamvis aliquando poterit ex consilio directoris illud suspendere. Debet igitur sanctum orationis mentalis studium prosequi, prædictis utendo remedii; sibique persuadeat hunc cum ariditate orandi modum, gratissimum quoddam divinæ esse majestati sacrificium, sibique cum primis proficuum. Et sane ipsa declaravit experientia, derelictos hosce a Deo homines, post diuturnam probationem, a Domino, non modo per insignem quamdam orationem, verum etiam per altissimam contemplationem visitari solere. Joseph Patriarcha, quamvis fratres suos, fame ingravescente, in Ægyptum, frumenti coëmendi causa profectos, durius et immittius tractare videretur, variis eos modis tentando, eosque ceu exploratores habendo, ita tamen illorum malis compatiebatur, ut quo suum affectum et lacrymas dissimularet, illico intra conclave sese abdere cogeretur; qui demum cum ulterius continere se non posset, se cognoscendum dedit, omnem suam potentiam ac dignitatem ipsis communicando. Sic eum aliquot charissimis servis suis Dominus quodammodo agere videtur: hos ipse quidem initio probat, severe ac rigide eos habendo, et variis afflictionibus premit; tandem tamen, visceribus misericordiae ejus motis, et quasi amplius sese retinere non posset, se totum spectandum dat, intraque familiaritatis atque amicitiae sue brachia eos receptos divina consolatione inebriat.

## ARTICULUS IX.

### DE SIGNIS ET EFFECTIBUS BONÆ ORATIONIS.

Signa et effectus orationis conjungimus, quia per suos effectus causa demonstratur, et absolute quod sit, et aliquo modo quid sit. Cum enim effectus a causa per operationem procedant, supponunt causam esse, quia operari causæ sequitur ad ejus esse; et cum effectus sint quædam actualitatis ac perfectionis causæ participationes, unumquodque enim agit in quantum est actu, ejusdem causæ perfectionem quodammodo repræsentant. Unde effectus sunt signa causæ. Qui vere et ex corde sanctum orationis mentalis studium ingre-

ditur, et quotidie se in eo frequenter exercet, juxta modum superius expressum, oculos suos ad Deum misericordem elevans, fiducialiter dicendo cum Psalmista : « Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri; » et cum humilitate summa divinum auxilium implorans dicendo : « Qui plasmasti me, miserere mei, » sine dubio multiplices et copiosissimos ex oratione fructus colliget spirituales, ex quibus tanquam ex effectibus ac signis infallibilibus scire poterit bonam esse orationem. Et sicut, per prædictos effectus habitualiter possessos, colligitur in communi, bonum ac utile esse oranti continuatum orationis exercitium; sic, per illos effectus actuales, colligitur in particulari, bonum ac utile fuisse factum aliquod orationis exercitium.

In praesenti tantum agimus de signis et effectibus orationis mentalis ordinariae, propriae incipientium in via purgativa; nam de signis et effectibus orationis mentalis extraordinariae, tam propriae proficientium in via illuminativa, quam propriae perfectorum in via unitiva, suis locis disseretur secunda et tertia parte hujus operis.

Certum est autem quod, cum oratio sit arbor bona, non potest ex se malos fructus facere, sed facit bonos, juxta doctrinam Christi Domini: unde effectus ejus esse debent actus virtutis. Et quia oratio, cum sit omnipotens, omnia potest, sequitur quod effectus ejus sint quodammodo infiniti, et generaliter comprehendant actus omnium virtutum, ad omnes siquidem acquirendas virtutes, oratio mentalis tanquam medium efficacissimum adhibetur.

Potest igitur quis experientia discere, et in seipso deprehendere, tam in communi quam in particulari, utrum orationis mentalis **exercitium** sit bonum et utile sibi. In communi quidem, si seipsum videat a vitiis et imperfectionibus prius assuetis aversum, et ad virtutum amorem inclinatum. In particulari vero, si videat quod hanc passionem moderetur, ad cuius moderationem assumpsit medium orationis; si deprehendat se hanc imperfectionem deposuisse, ad cuius depositionem adhibuit orationis exercitium; si experiatur se hanc virtutem acquisivisse, ad cuius acquisitionem applicuit studium orationis; et sic, proportione servata, in ordine ad alios **effectus bonos**.

Quamvis autem, ut dictum est, moderatio passionum, victoria

temptationum, peccatorum et imperfectionum evacuatio, vitiorum eradicatio, ac omnium virtutum acquisitio sint effectus et signa bonaे orationis, sunt tamen aliqui magis connaturales, ac penitus inseparabiles; quos breviter indicabo.

Primus est, major lux ad suipius et Dei cognitionem. Hic effectus est orationi maxime connaturalis et intrinsecus, propter meditationem, qua quis divinae majestatis infinitam eminentiam, et propriam considerat vilitatem: illam in singulis creatis evidenter intuetur, istam in quotidianis operibus suis experitur. Unde, mediante oratione, claram hujusmodi lucem acquirit, ad quam acquirendam omnes aspirare debent, juxta desiderium Augustini dicentis: « Domine neverim me, neverim Te, » tanquam quid valde necessarium ad odium suipius, et ad amorem Dei, quorum utrumque in Scriptura sacra praecepitur. Dicit enim Christus: « Qui non odit animam suam, non potest meus esse discipulus, et insuper perdet eam; » et toties habetur quasi primum et maximum mandatum: « Diliges Dominum Deum tuum. » Est autem impossibile, quod aliquid odio habeatur, nisi prius cognoscatur esse malum, aut quod ametur, nisi cognoscatur bonum; bonum namque cognitione est objectum voluntatis per amorem, et malum est objectum ipsius per odium. Ut quis igitur seipsum odio habeat, opus est ut propriam ante cognoscat vilitatem summam, quae magnum est malum et perfectionis carentia. Ut Deum ex toto corde, ex tota mente, et ex tota virtute amet, necesse est ut summam ejus bonitatem, infinitam perfectionem, ac divinae majestatis eminentiam cognoscat, quae summi seu totius boni rationem unite ac indivise continent, cujus creata singula sunt diminutae participationes.

Secundus est, major interior recollectio. Et hic etiam effectus est admodum orationi mentali connaturalis; cum enim oratio mentalis generaliter sumpta sit ascensio mentis ad Deum, opus est ut qui orat, se ab exterioribus rebus et occupationibus retrahat, et ad interiora mentis secreta colligat, ubi Deus invenitur et velut in sacrario colitur. Unde anima, divinis assueta colloquiis in intimo sui centro, paulatim ad recollectionem sic disponitur, ut vix externis vacare possit, attendens ad summum illud bonum quod habet interius. Ex quo sequitur quod, dum externis negotiis vel ex officio, vel obedientiae precepto, vel titulo charitatis occupatur, quasi

violenter extra centrum detinetur. Et hæc interior animæ collectio exterius apparet in facie modesta et gravi.

Tertius est, major mortificatio tum exterior carnis, tum interior mentis; quæ est orationis mentalis germana soror. Una namque sine alia consistere nequit: nam sicut ad orationem mentalem præire debet appetitus mortificatio, ne motus passionum exurgentes internam quietem et orationis tranquillitatem perturbent; sic etiam ad illam subsequitur, ut proprius ejus effectus, cum sit impossibile non oriri major affectus mortificationis in eo, qui Christum pro se crucifixum considerat, vel propria peccata mortificatione delenda, vel poenias inferni mortificatione vitandas, vel aeternam gloriam mortificatione acquirendam, vel quid simile; ubique enim crux amplectenda nobis a Christo Domino proponitur.

Quartus tandem est, contemptus omnium visibilium. Cum enim oranti bonum divinum, et deliciae cœlestes aliqualiter appareant, non potest non ista visibilia et terrena tanquam vana et caduca despicere, cum diuturna sibi constet experientia, quod omnia quæ sub sole reperiuntur, nihil aliud sunt quam afflictio spiritus, et quod ista materialia sunt vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Licet alii plures sint effectus et signa bonæ orationis mentalis, recensiti tamen sunt ei magis intrinseci, magis infallibles, ac magis apparentes. Unde qui in seipso eos deprehenderit, poterit in Domino gaudere, et de collecto orationis fructu lætari.

## DISCURSUS IV.

### DE MATERIA ORATIONIS MENTALIS.

Quia de oratione mentali disseritur in hoc tractatu præcise, tanquam de medio quo pars cognoscitiva purgatur a nocivis et inutilibus rerum creatarum notitiis, opus est etiam ut de materia ipsius disseratur, unde sanctæ et piæ desumuntur notitiæ, quibus in mente et memoria receptis, prædictæ removentur. Quamvis autem tota sacra Scriptura quasi verbum Domini, imo et omnia, tam

divina quam creata, tam cœlestia quam terrena, debite sumpta, sint orationis mentalis apta materia, ad facilem tamen incipientium methodum, determinata singulis temporibus anni, ac singulis hebdomadæ diebus assignatur materia ; ita ut, in solemnioribus festis, mysteria in illis celebrata, et pro singulis diebus, mane aliquid de passione Christi Domini ordinate proponatur. Vesperi autem, pro die lunæ, de peccatis; pro die martis, de miseriis hujus mundi; pro die mercurii, de morte; pro die jovis, de judicio; pro die veneris, de inferno; pro die sabbathi, de paradiſo; et pro die dominica, de divinis beneficiis meditandum proponitur. Licet autem plures sint authores, qui de istis cum mirabili methodo disserant, ne quid tamen desit in praesenti, pauca de singulis juxta prædictum ordinem apponemus.

## ARTICULUS I.

### DE MYSTERIIS NOSTRÆ REDEMPTIONIS.

« Deus omnipotens et clemens, ut ait Leo magnus, Sermone 2 de Nativitate Domini, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est, statim ut nos diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, predestinata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignavit. » Advenientibus ergo temporibus, quæ redemptio hominum fuerant præstituta, « missus est Gabriel Angelus a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem despontam viro cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Virginis Maria. » Haec sacra-tissima Virgo, cum divinae dispositioni, qua venturi Messiae Christi Domini mater eligebatur, consensum humiliter præstisset, re-spondens angelo : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, » Deus homo factus est, dum secunda sanctissimæ Trinitatis persona Verbum Divinum Filius Patris, humanam assumpsit naturam, ut in seipso subsisteret, formato per virtutem Spiritus Sancti corpusculo ex hujus Sanctissimæ Virginis sanguine purissimo.

Maria Dei mater effecta Deoque plena, tunc « exurgens abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda, et intravit in domum

Zachariæ, et salutavit Elisabeth ; et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans Joannes-Baptista in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth. » Circa quod mysterium ait Ambrosius : « Superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur, Maria ad Elisabeth, Christus ad Joannem ; cito quoque adventus Mariæ et presentiae dominicae beneficia declarantur. Verum prior Elisabeth audivit, sed Joannes prior gratiam sensit ; illa naturæ ordine audivit, iste exultavit ratione mysterii ; illa Mariæ, iste Domini sensit adventum ; istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus, dupliceque miraculo prophetant matres spiritu parvolorum. Exultavit infans, et repleta est mater : non prius mater repleta quam filius ; sed cum filius esset repletus Spiritu Sancto, replevit et matrem. » Cum Beatissima Virgo Maria mansisset cum S. Elisabeth quasi mensibus tribus, usque ad nativitatem sancti Joannis-Baptistæ præcursoris filii sui, reversa est in domum suam, ubi se ad ejusdem filii sui nativitatem pro redemptione generis humani digne celebrandam, miris omnium virtutum actibus disposuit.

Cum tempus sacratissimæ nativitatis illius accederet, ad editum Cæsaris Augusti, Maria pergit in civitatem David Bethleem, de cuius erat familia. « Factum est autem cum esset ibi, impletæ sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio. » Considera primo, gloriam et lactitiam Sanctissimæ Virginis, dum vedit Salvatorem suum et totius mundi jam natum. Considera humilitatem et amorem, quo ipsum et ut Deum et ut filium adorando salutavit, dicens, juxta revelationem S. Brigittæ : Bene veneris, Deus meus, Dominus meus, et filius meus. Considera summam admirationem ejus in contemplatione divini vultus filii, cantus et famulatus angelorum, adventus et adorationis pastorum. Considera tandem ejusdem Sanctissimæ Virginis dolorem et angustias, dum Deum et filium suum vix natum videt patientem. Considera, ex alia parte, Regem cœlorum et Dominum quomodo, cum dives esset, pro nobis egenus voluntarie sic factus est, quod relicta domo materna, ubi poterat in sua nativitate mitius excipi ac recreari, voluit in aliena terra tempore hyemis in stabulo nasci, et inter animalia in præsepio collocari.

« Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur. » De quo mysterio ait S. Bernardus, Serm. 1 de Circumcisione : « Magnum et mirabile sacramentum : circumciditur puer, et vocatur Jesus. Quid sibi vult ista connexio ? circumcisio nempe magis salvandi quam salvatoris esse videtur, et salvatorem circumcidere potius decet quam circumcidere. Sed agnosce mediatorem Dei et hominum, qui ab ipso nativitatis suæ exordio divinis humana sociat, ina summis : nascitur ex muliere, sed cui fœunditatis fructus sic accedat, ut non decidat flos virginitatis ; pannis involvitur, sed panni ipsi angelicis laudibus honorantur ; absconditur in præsepio, sed proditur radiante stella de cœlo. Sic et circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis, et Nomen quod est super omne nomen gloriam indicat majestatis : circumciditur tanquam verus Abrahæ filius, Jesus vocatur tanquam Filius Dei. Jesus vocatur ab hominibus, qui vocatus est ab angelo priusquam in utero conciperetur : idem quippe et angeli Salvator et hominis, sed hominis ab incarnatione, angeli ab initio creaturæ. »

« Et ecce Magi venerunt Jerosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est Rex Judæorum ? Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum. » Cumque, et consultatione sacerdotum ac doctorum legis, et indicio stellæ de novo apparentis, locum nativitatis invenissent, intrantes domum invenerunt puerum cum Maria Matre ejus, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham : et accepto responso in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. » « Agnoscamus, ait S. Leo, Serm. 2 de Epiphania, in Magis adoratoribus Christi, vocationis nostræ fideique primitias, et exultantibus animis beatæ spei initia celebremus. Honoretur itaque a nobis sacratissimus dies, in quo salutis nostræ auctor apparuit ; et quem Magi infantem venerati sunt in cunabulis, nos omnipotentem adoremus in cœlis ; ac sicut illi de thesauris suis mysticas Domino munera species obtulerunt, ita et nos de cordibus nostris quæ Deo sunt digna promamus. »

« Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, et ut darent hostiam par turturum, aut duos pullos columbarum. »

Considera punctualem legis observantiam simul cum humilitate, tam in Jesu quam in Maria; quamvis enim ab hujus legis obligatione forent immunes, ille tamen voluit Deo tamquam servus secundum humanitatem offerri, ac redimi, cum secundum divinitatem esset unigenitus Filius Dei naturalis, et insuper omnium Redemptor.

« Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in *Ægyptum*, et esto ibi usque dum dicam tibi ; futurum est enim, ut Herodes querat puerum ad perdendum eum. » Considera, ex una parte, miram Dei prouidentiam circa electos, et præcipue circa Filium suum hominem factum, circa Sanctissimam Virginem ejus matrem, et circa sanctum Joseph sponsum et custodem Virginis, ac nutritum Christi. Decreverat quidem quod Filius suus pro salute generis humani moreretur, sed sic eum Redemptorem elegit, ut etiam Doctorem hominum esse voluerit ; voluit igitur quod miris et heroicis omnium virtutum actibus, per spatium triginta trium annorum, nos instrueret, ac multis tum miraculis tum sermonibus in bono confirmaret, et postmodum per mortem crucis gloriosius redimeret. Considera, ex alia parte, quomodo Deus hoc tam mœsto nuntio voluit Sanctissimam Virginem ac sponsum ejus affligere, et utriusque patientiam ac fidelitatem in tam longa et difficulti peregrinatione probare : sanctorum quippe vitam Deus mira varietate consolationum et afflictionum contextit. Tandem, « defuncto Herode, angelus Domini apparuit iterum in somnis Joseph in *Ægypto*, dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel, defuncti sunt enim qui quarebant animam pueri. » Veniens igitur Joseph in civitatem suam Nazareth, commissum sibi conservabat Redemptorem mundi, sibi voluntarie subditum : ibi divinus hic puer crescebat ætate et sapientia coram Deo et hominibus ; cuius omnia verba erant vitae æternae oracula, et omnia facta erant mira virtutum exempla.

Transactis triginta annis, Christus Dominus, qui prius operibus docuerat, se ad docendum æternæ vitae verbis præparavit, Apostolos et discipulos ad prædicationem elegit ; cumque mirabilia, benefaciendo cunctis, per tres annos fuisset operatus, non pro beneficiis gratiarum actionem, sed dirissimam mortem crucis a perfidis Judæis accepit, quam articulo sequenti paulo fusius describemus.

Post mortem, post sanctorum patrum e lymbo liberationem, tertio die gloriosus resurrexit. Per quadraginta vero dies cum discipulis post resurrectionem mansit, ut multis argumentis eos in fide omnium quae prius docuerat, et praesertim gloriosae resurrectionis suae solidaret : saepius ipsis apparens diversis aliquid gloriae suae communicavit, qui in carne adhuc mortali vivens in sancto monte Thabor tribus electis discipulis eam plene coram Moyse et Elia communicaverat, cum Christi in illa gloriosa transfiguratione facies facta est lucida sicut sol, vestimenta autem facta sunt alba sicut nix.

Elapsis a resurrectione quadraginta diebus, ductis discipulis ad sanctum montem Oliveti, ipsisque benedictis, elevatus est eunctis videntibus, ac relictis sacris suis vestigiis in summitate montis impressis; et nubes suscepit eum ab oculis eorum. « Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt: viri galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. » Considera tam mirabilem Christi Domini triumphum, captivam ducentis captivitatem ; considera sanctorum lætitiam Apostolorum, qui, Domino in cœlorum eunte sublimia, non solum nulla afficerentur tristitia, sed etiam magno gaudio replerentur. Et revera « magna et ineffabilis erat causa gaudendi, ut declarat S. Leo, Serm. 4 de Ascensione, cum in conspectu sanctæ multitudinis, super omnium creaturarum cœlestium dignitatem humani generis natura concenderet, supergressura angelicos ordines, et ultra archangelorum altitudines elevanda, nec ullis sublimitatibus modum suæ provectionis habitura, nisi, æterni Patris recepta concessu, illius gloriae sociaretur in throno, cuius naturæ copulabatur in Filio. Et quia, ut prosequitur idem Pater, Christi ascensio nostra provectio est, et quo præcessit gloria capitis, eo spes vocatur et corporis, dignis exultemus gaudiis, et pia gratiarum actione lætemur; hodie enim non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cœlorum in Christo superna penetravimus, ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quam per diabolos amiseramus invidiam. »

Et, quia Christus ab apostolis discessurus Sanctum illis promiserat Spiritum, non post multos dies illis dandum, sese omnes

ad ejus receptionem orationibus sanctisque desideriis disposuerunt. Unde, « cum completerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, et factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes : et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum ; et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. » Considera quot divina charismata adveniens Spiritus Sanctus tam mundis communicavit mentibus : nam, præter dona ipsius, et fructus suavissimos quos enumerat Apostolus, simul cum magno gratiæ sanctificantis ac virtutum supernaturalium augmendo, gratias illis gratis datas in bonum Ecclesiæ propter dilatationem fidei concessit. Venit supra illos Spiritus Sanctus, et, juxta promissionem Filii, mansionem fecit. « In quorundam enim corda venit, et mansionem non facit, quia per compunctionem quidem Dei respectum percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum quo compuncti fuerant obliviscuntur ; sicque ad perpetrandam peccata redeunt, ac si hæc minime planxissent. »

Alia sunt mysteria fidei, videlicet Sanctissimæ Trinitatis et Eucharistiae; sed quia de utroque fusius infra disseritur, non amplius hic immoramus. Ad prædicta possunt reduci Sanctorum festivitates, præsertim Sanctissimæ Virginis Mariæ, quæ mysteriis Christi ut plurimum conjunguntur : immaculata ejus Conceptio, sancta ejus Nativitas, pretiosa in templum Præsentatio, angelica Annuntiatio de Incarnatione Filii Dei, sacratissimus ejus partus, sacra Purificatio, et gloriissima post dormitionem et resurrectionem Assumptio ; quorum omnium sufficit indicare mysterium, ut quisque meditando pias sibi formet considerationes, vel apud authores qui de his ex professo tractant requirat; si namque de singulis variae nobis essent formandæ considerationes, modum excederemus, et sine dubio fastidium et nauseam causaremus lectori.

## ARTICULUS II.

## DE MORTE, PASSIONE, AC RESURRECTIONE CHRISTI DOMINI.

Specialiter ac seorsim agimus, in hoc articulo, de Morte, Passione, ac Resurrectione Christi Domini, quia sacratissima ejus Passio a doctoribus mysticis per singulos hebdomadae dies mane meditanda distribuitur, gloriosa vero Resurrectio pro die dominica, qua continet, reservatur. Quamvis autem hujusmodi doctores fusius puncta Passionis prosequantur, pluribus adhibitis circa unumquodque considerationibus, nos tamen ab illis ut plurimum abstinentes, et singulis diebus punctum aliquod assignantes, animae devotione meditationis objectum proponemus, quod vel propria industria, vel speciali Dei auxilio, vel piorum librorum adminiculo poterit penetrare, ut sic dulcissimas ex fontibus Salvatoris sive ex Christi stigmatibus hauriat aquas devotionis.

Quamvis autem omnes aliae materiae meditationis sequentibus articulis pertractandae, plurimum adjuvent, tum ad peccata purganda, tum ad vitia extirpanda, tum ad passiones moderandas, tum ad virtutes acquirendas, nullum tamen ad haec omnia tam efficax est remedium, quam vulnera Christi, ut expertus in seipso docet Augustinus, et ratio ipsa suadet: nam si peccata sint purganda, et vitia extirpanda, quid nos magis ad eorum purgationem ac extirpationem movere potest, quam si, supposita fide, consideremus quod haec fuerunt quae cruci Christum affixerunt? Unde merito haec considerans dicere poterit cum SS. Bernardo et Bonaventura: « Deus meus pendet in patibulo, et ego voluptati operam dabo? » Si passiones sint moderandae, quid magis earum moderationem suadet, quam videre Christum Dominum tanquam agnum innocentem et mansuetissimum in mediis illis acrioribus tormentis et ignominii crucem sibi bajulare, tacere, imo et pro seipsum crucifigentibus orare? Si virtutes sint acquirendae, numquid Passio Christi in cruce pendentis non est omnium practica doctrina virtutum, quae multo magis movet quam pure speculativa? Si denique sit ad amorem Dei excitandus affectus, quid magis excitat, quam Deum, propter nos ipsos

et propter nostram salutem factum hominem, tot tantaque pro nobis pati, post concessa prius beneficia? Unde dicit Augustinus: « Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat. »

Die lunæ, duo nobis puncta, velut ad passionem præambula, proponuntur meditanda. Primum est lotio pedum, quando Christus Dominus surgens de cœna lavit pedes apostolorum suorum, et tersit linteo quo erat præcinctus : ubi profundissimam supremi illius Domini humilitatem licet intueri, quam suo voluit exemplo docere discipulos ; et non solum aliorum, qui mundi erant et sancti, pedes lavit, sed etiam Judæ proditoris impiissimi et immundissimi : tali discamus exemplo veram humilitatem. Secundum est institutio Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, de quo cum plura sint inferius dicenda, restat unicum circa illud nunc considerandum, quomodo Christus Dominus, cum dilexisset suos, totque signis et beneficiis suam nobis dilectionem demonstrasset, in finem dilexit eos, dilectione majori non solum patiendo, sed etiam hoc Sanctissimum Sacramentum instituendo, quod est « Passionis suæ memoriale perenne, figurarum veterum impletivum, miraculorum ab ipso factorum maximum, et de sua contristatis absentia solarium singulare, quod est pretiosum et admirandum convivium, salutiferum et omni suavitate repletum, quo in ipsum Christum transformamur, et quodammodo deificamur :» sic voluit ab Ecclesia, dilectissima sponsa sua, recedere visibili præsentia, quod, usque ad consummationem seculi, sub speciebus eucharisticis, realiter quidem præsens, sed tamen invisibilis remaneret. Et, quod hic est maxime ponderandum, hoc maximum et ineffabile contulit mundo beneficium, quando tam crudeliter ab ipso quærebatur ad mortem, mortem crucis.

Die martis, meditanda proponitur oratio Christi Domini in horto, et crudelis ejus captura. Circa dolorosam ejus orationem, considera qualiter benignus Dominus, præsentis jamjam passionis meditatione, secundum partem inferiorem angustiabatur, cum internis hujusmodi pressus angustiis sanguinem sudaret, et tristis esset ejus anima usque ad mortem. Et tamen, inferioris partis infirmitatem ratione superans, se totaliter voluntati Patris sui resignavit, dicens: « Pater, si possibile est, transeat a me calix iste ; verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu. » Quo docemur, in arduis et difficillimis quibusque, etiam in toleranda morte, etsi partis inferioris sen-

tiamus infirmitatem, ipsam ratione superando, nos debere divinæ providentiaē committere, ac resignare voluntati. Circa crudelē Christi capturā, considera mansuetudinem ejus erga Judām prōditorem, qui pacis fictā tunc eum osculo Judæis tradebat; considera miram ejus patientiam, qui, cum omnes inimicos unico verbo prostrasset, permisit tamen se ab illis crudeliter ligari, et crudelius ligatum trahi vel potius rapi; considera summam ejus erga discipulos providentiam, dum passus se ligari, et volens pro omnibus immolari, præcepit satellitibus ut discipulos suos abire sinerent, nec cuiquam vel minimum nocerent.

Die mercurii, tria proponuntur meditanda, scilicet, Christi Domini, tanquam rei, coram pontificibus Anna et Caipha, coram præside Pilato, et coram rege Herode præsentatio; trina sancti Petri negatio; et sævissima ejusdem Christi Domini flagellatio. Circa primum, considera mansuetissimum agnum in mediis lupis constitutum, hue illue ad infensissimos hostes summos pontifices crudeliter trahi, ut ibi convitiis, injuriis, variisque aliis modis affligeretur. Vide Dominum majestatis infinitæ a vilissimis satellitibus, nunc alapis, nunc bæculis, nunc pugnis cœdi; mirabilemque ejus in omnibus patientiam intuere. Circa secundum, considera quo mœrore Christus Dominus audivit Petrum anathematizantem, quod non noverat ipsum: certe durum fuit Christo, quod ille apostolus, quem cœteris prætulerat, ut suum in terris vicarium ac summum pontificem relinquaret, quem tam speciali dilexerat amore, ut mirabilem suorum omnium testem adhiberet, cui gloriam suam in monte Thabor ostenderat, quem paulo ante consolatorem in sua agonia fidenter assumpserat, durum, inquam, fuit ipsum audire ter se negantem. Cujus casus fuit causa defectus orationis, dum in horto negligenter se habuit et dormivit, quando monebatur a Christo ut vigilaret et oraret ne intraret in tentationem: non debuit nisi munitus oratione se committere occasionibus; debuisset Christum imitari, qui viam passionis ingressurus ter Patrem rogavit. Sed Petrus, tum galli cantu, tum interno Dei monitu conversus, flevit amare, et fugit occasionem iterum cadendi. Circa tertium, considera qua crudelitate, qua sævitia, qua immanitate Christus Dominus, columnæ ligatus, fuerit a satellitibus flagellatus. Cum enim lex antiqua Judæorum præciperet, ut flagelli percussionses quadragenas non excederent, immanissimi carnifices

plusquam quinque millia delicatissimo corpori inflixerunt; unde penitus disruptum defecisset, nisi fuisset speciali miraculo ad mortem crucis conservatum; nec potuit tam miserabile spectaculum barbaris illis aut etiam obstinatis Judæis misericordiam excitare.

Die jovis, tria similiter meditanda proponuntur, videlicet, coronatio, Christi per Pilatum exhibitio, et crucis bajulatio. Circa primum, considera quomodo, post flagellationem, milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum; et veniebant ad eum et dicebant: Ave, Rex Judæorum, et dabant ei alapas: «sic implebantur, ait Augustinus, Tract. 116 in Joannem, que de se prædixerat Christus; sic Martyres informabantur ad omnia, que persecutori libuisset facere, perferenda; sic, paulisper occultata tremenda potentia, commendabatur prius imitanda patientia; sic regnum, quod de hoc mundo non erat, superbum mundum, non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate, vincebat; sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, ut mirabili pullularet in gloria. Considera qualiter, in hac coronatione, summus capitum dolor et ignominiosa deriso conjungebantur in Christo. Circa secundum, considera quomodo Pilatus iterum exivit foras, et dixit Judæis: «Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam, (exivit ergo Jesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum); et dicit eis: Ecce homo, » volens, sine dubio, Judeorum indurata mollire corda, et truees contra Christum inimicitias placare. Unde Christum ipsum exhibet, non clarum imperio, sed plenum opprobrio, quasi diceret: Ecce homo; si regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis, flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris convitiis illusus est, alapis cæsus est, fervet ignominia, frigescat invidia: sed non frigescit, inardescit potius et increscit; nam, ut subdit Evangelista, « cum vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.» Unde, ex una parte, Judeorum detestare malitiosam crudelitatem; ex alia vero, miram Christi mansuetudinem et patientiam admirare. Ecce homo, sed homo Deus, per quem omnia nobis bona debent evenire, hic homo propter nostram salutem factus: semper ad nobis succurrendum paratus est, et succurret, nisi malitia nostra despiciamus ejus auxilium; nullus igitur cum illo

piscinæ infirmo dicat: « Hominem non habeo. » Circa tertium, considera quomodo Pilatus, non ratione ductus, sed malitia Iudeorum victus, contrajus omne, Christum morte, et morte crucis condemnavit; et, quod detestabilius est, ipsum voluntati eorum tradidit, qui non solum omnes excesserunt leges, sed etiam omnem humanitatis sensum exuerunt, ut ipsum et ignominiis et pœnis affligerent. Suscepérunt ergo Jesum, et super sacros ejus humeros, verberibus contractos, gravem imposuerunt crucem, quam bajulans sibi sacratissima hæc victima exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, cui cruci chirographum damnationis nostræ moriens affigere debebat. His considerationibus Christi debet Beatissima Virgo ejus Mater misceri, quæ Filium suum dilectissimum et innocentissimum videns tam crudelia et ignominiosa pati supplicia, inenarrabilibus affligebatur angustiis.

Die veneris, crucifixio Christi Domini in monte Calvario inter duos latrones exhibetur, ubi mira reluent mysteria, tam in factis ipsius, quam in mysticis verbis quæ tunc moriens protulit. Unde considera Dominum infinitæ majestatis, in quo non fuit dolus, nec minimus potuit reperiri defectus, tanquam vilissimum latronem in cruce pendentem; ipsum considera opprobriis saturatum, ab hominibus despectum, licet esset Salvator mundi, doloribus plenum, ita ut a planta pedis usque ad verticem capitis non esset in eo sanitas, imo et a Patre derelictum, et sic sanctissima ejus anima internis affiebatur angustiis, licet alias beatitudine frueretur. Unde pressus afflictione sic ad Patrem convertitur, dicens: « Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » Deinde, considera Christum jam morti proximum, condentem non solum publicum, sed etiam domesticum testamentum, quod signabat Joannes dignus tanto testatore testis, bonum testamentum non pecuniæ, sed vitæ æternæ, quod non atramento scriptum est, sed Spiritu Dei vivi. Animam suam dilectissimo Patri commendat, qui « proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. » Unde ait: « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. » Parcit inimicis, et insuper rogat pro ipsis: « Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. » Latroni pœnitenti et gloriose tunc ejus divinitatem confitenti gloriam regni colestis promittit: « Amen dico tibi, hodie tecum eris in paradyso. » Matrem, tanquam rem sibi charissimam, dilecto commendat apostolo, et dilectum apostolum Matri: « Cum vidisset Matrem et discipulum stantem quem dilige-

bat, dicit Matri sua : mulier, ecce filius tuus; deinde dicit discipulo : ecce mater tua.» « Si religiosum est, ait Ambrosius, quod latroni donatur venia, multo uberioris pietatis est quod a Filio Mater tanto affectu honoratur. » Tam materialem, quam spiritualem animarum sitim exprimens, ait: « Sitio. » Et, viribus omnino deficientibus, clamat: « Consummatum est, » scilicet mysterium redemptionis, et simul omnia quae de ipso praedicta erant finem acceperunt, et sic « inclinato capite emisit spiritum. » Denique, considera luctum universalem omnium creaturarum in morte Domini sui : nam « ecce velum templi secessum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est, et petrae seissa sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, et, facta hora sexta, tenebrae factae sunt per totam terram usque in horam nonam. » Haec omnium creaturarum alteratio prodigiosa sacrilegam Judaeorum in Christum impietatem testabatur, et sui Conditoris necem manifeſte lugebat; si enim Dionysius Areopagita, tunc adhuc gentilis, extraordinariam et præternaturalem solis videns eclipsim, dixit: « Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvitur; » quid dixisset si reliquas etiam alterationes naturæ tunc advertisset? Et tamen impii Judæi, in sacrilegio obstinati, suam noluerunt agnoscere impietatem. Timeant etiam qui suis peccatis de novo Christum in semetipsis crucifigunt, et conculcant Sanguinem testamenti.

Die sabbathi, meditanda est Christi sepultura cum omnibus quæ circa corpus sanctissimum, et circa animam ipsius tunc separatam, acciderunt. Considera igitur, quomodo « cum sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathia, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu; hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu, cui Pilatus jussit reddi. » Deponens illud de cruce, simul cum sancto Nicodemo, alio discipulo, ferente mixturam myrræ et aloës quasi libras centum, honorem sepulturæ celebravit. Acceperunt igitur ambo corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus; « erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat: ibi ergo, propter Parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt corpus Jesu, et advolverunt saxum magnum ad ostium monumenti. » Considera, et Beatissimam Virginem suscipientem mœsto et amaro animo corpus sanctissimum Filii sui depositum de cruce, et lacrymis ac singultibus potius quam verbis alloquentem,

brachiis amplexantem, fletibus irrigantem, sacra ejus stigmata, caput venerandum spinis percitum, et os sacrosanctum sed tunc sputis deturpatum osculantem, ac tandem sancta Passionis instrumenta, ut crucem, coronam, clavos, et alia adorantem. Circa gloriosam ejus animam, considera quomodo separata descendit in limbum Patrum, dum corpus in monumento requiesceret, « ibique, ut ait Augustinus, Serm. 1 de Resurrectione, portam inferni et vectes confregit, et omnes justos, qui originali peccato astricti tenebantur, absolvit. » Per hoc autem sancti Patres detinebantur in inferno astricti peccato originali, non quantum ad culpam, sed quantum ad reatum poenae, quod eis ad vitam gloriae, propter peccatum primi parentis, aditus non patebat. Propterea, Zachariæ 9, dicitur Christo Redemptori : « Tu vero in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. » Et Coloss. 2, dicitur quod, « expolians principatus et potestates, scilicet infernales, auferendo Abraham, Isaac et Jacob, et cæteros justos traduxit eos, » longe scilicet ab hoc regno tenebrarum ad cœlum. Concipi non potest, et multo minus exprimi, sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, aliorumque justorum, a tot sæculis adventum sui Redemptoris expectantium, communis exultatio et gaudium, dum illum præsentem viderunt, soluto jam redemptionis pretio triumphantem.

Die dominica, proponitur meditanda resurrectio Christi gloriosa, quando scilicet, tertia die post mortem, sacratissima ejus anima corpori iterum unita, illud de miserrimo passionis statu reddidit gloriosum. Considera quod « oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis, » ut dicitur Lucae ultimo. « Si enim Christus non resurrexit, inanis esset prædicatio Evangelii, inanis esset et fides nostra, » ut dicit Apostolus, 1 Cor. 15. Resurrexit autem Christus a mortuis « primis dormientium, » quia prius tempore et dignitate surrexit non amplius moriturus. Considera quomodo corpus Christi fuit in ipsa resurrectione gloriosum, tum quia resurrectio Christi fuit exemplar et causa nostræ resurrectionis, sancti autem in resurrectione habebunt corpora gloriosa, dicitur enim, 1 Cor. 15, quod « corpus seminatur in ignobilitate, surget in gloria » ; tum quia, per humilitatem passionis, meruit Christus gloriam resurrectionis; tum quia, peracto mysterio passionis et mortis Christi, statim anima in corpus, in resurrectione resumptum, suam gloriam debuit derivare, et hoc con-

naturaliter, cum divina dispensatione factum sit, ut hæc connaturalis redundantia suspenderetur, ad hoc quod mysterium nostræ redemptio-  
nissua passione impleret. Considera quomodo Christus, resurgens glori-  
osus, suas convenienter servavit cicatrices, ut ait D. Thom., 3 P., Q.  
55, Art. 4, « tum propter gloriam ipsius, qui sic triumphum crucis ac  
meritum demonstrat; tum ad confirmandum corda discipulorum  
circa fidem sue resurrectionis; tum ut, Patri pro nobis supplicans,  
quale genus mortis pro homine pertulerit semper ostendat; tum ut  
sua morte redemptis, quam misericorditer sint adjuti, propositis  
ejusdem mortis indiciis, insinuet; tum denique ut in judicio, quam  
juste damnentur, iisdem denunciet. Ecce hominem, inquiet, quem  
crucifixisti: videtis vulnera quæ infixisti, agnoscitis latus quod pu-  
pugistis, quoniam per vos et propter vos apertum est, nec tamen in-  
trare voluistis.» Considera tandem, qualiter Christus resurgens statim  
piissimæ Matri sue, deinde aliis apparuit discipulis, ut sic eos  
mōrōre passionis præteritæ confessos recrearet, et manifestatione  
sue gloriæ, ad operandum et patiendum animaret.

### ARTICULUS III.

#### DE PECCATIS VITÆ PRÆTERITÆ.

Præmissis, quæ matutinæ meditationi solent assignari, punctis  
Dominicæ Passionis, nunc paulo fusius assignandæ sunt materiae  
pro vespertina meditatione. Et quidem, pro die lunæ, solet assignari  
consideratio peccatorum; de quibus tamen non multa dicentur in  
præsenti, cum ex professo de illis jam supra, Discursu I, dictum sit,  
et infra dicendum sit statim in principio sequentis tractatus. Unde nunc sufficient aliquæ considerationes de illis propositæ.

Considera primo, qualiter peccatum sit injuria Deo facta; tum  
quia peccator, peccando mortaliter, divinam legem contemnit, vel  
aliquid non facit quod eadem lege præcipitur; tum quia, ut vulgo  
icitur, peccator peccando a summo et incommutabili bono, Deo  
scilicet, avertitur, et ad infimum ac commutabile convertitur bo-  
num creature, cui adhæret inordinate.

Considera secundo, qualiter peccatum est malum peccatoris in  
ordine gratiæ: peccatum enim mortale totalem inducit in anima

peccatoris exclusionem gratiæ sanctificantis, omnium virtutum infusarum, donorum Spiritus Sancti, ac similiū; et ex consequenti privat eamdem animam jure regni cœlestis, cum sola gratia sit semen gloriæ; et insuper causat in ipsa reatum pœnæ aeternæ. Peccatum autem veniale, quamvis non tantum causet malum in ordine gratiæ, causat tamen aliquod, et minuendo fervorem charitatis, et inducendo reatum pœnæ temporalis, vel hic per pœnitentiam, vel in purgatorio solvendæ.

Considera tertio, qualiter etiam peccatum est malum peccatoris in ordine naturæ; tum quia est contra naturam rationalem, cum sit contra dictamen rationis; tum quia per illud generatur habitus vitii, quo naturalis inclinatio ad bonum rationis minuitur, et inclinatio ad malum contrarium apponitur; tum quia, ex transacto actu peccati, inducitur quedam naturæ macula, per contactum indebitum ad sordidas creaturas.

Considera quarto, quot etiam mala privativa causet quocumque peccatum, magis tamen aut minus secundum propriam ipsius malitiam, in anima peccatoris: privat enim, tum internis consolationibus, quas solet Deus justis communicare, tum pace cordis ac puritate mentis, quæ duo sunt penitus necessaria pro mentalis orationis exercitio, quod et inquietudine cordis, et impuritate mentis solet impediri.

Considera quinto, quantum aliis noceat peccatum; tum ratione scandali, quod facile causatur ex quocumque peccato, quod videnti solet esse causa ruinæ, dum ad peccandum malo pertrahitur exemplo; tum quia sunt aliqua peccata, quæ bono communi directe et immediate contraria plurimum reipublicæ damni afferunt, tam in temporalibus quam in spiritualibus: in temporalibus quidem, ut dum quis inimicis civitatem prodit; in spiritualibus autem, ut dum quis hæreses seminat; tum quia sunt alia peccata, quæ bono particuliari proximorum opponuntur, ut sunt furta, homicidia, et similia.

Considera sexto, quanta sit peccatorum diversitas, et quam facile committantur, unde vix ullus est ab omni peccato immunis. Et si quilibet supra seipsum reflectat, inveniet quod mille modis Deum offenderit; et merito poterit ad ipsum dicere: peccavi super numerum arenæ maris, et multiplicata sunt peccata mea, et non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniustitatis meæ, quoniam irritavi iram tuam, et malum coram te feci; iniustitatem

meam ego cognosco, et delictum meum contra me est semper, quia tibi soli peccavi.

Ex hac multiplici peccatorum consideratione nascatur, propter summum eorum malum, præsertim in ratione offensæ Deo intentatae, contritio de propriis, et displicentia de alienis; ita quod quisque propria semper defleat cum efficaci emendationis proposito, et aliena etiam deplorando procuret impedire.

Nec pœnitentiam et emendationem differat: quamvis enim benignus et misericors Dominus peccatori ingemiscenti parcere decreverit, significans ei quod non vult mortem ipsius, sed ut magis convertatur et vivat, quis tamen scit, an peccator tempus et voluntatem habebit pœnitentiae, maxime, quia perseverando in peccatis meretur auxiliis divinæ gratiæ destitui, sine quibus est incapax emendationis? Fateor, parcer peccatori ex corde dicenti: peccavi Domine; sed nescio an tempus habebit peccator actum illum pœnitentiae preferendi. Audiat sanctum Patrem sic admonentem: « Qui pœnitenti veniam spopondit, peccandi tamen crastinum non promisit. » Unde merito concludit S. Gregorius, dicens: « Satis est alienus a fide, qui ad agendum pœnitentiam tempore senectutis expectat: nam vere qui credit, sicut oportet ad salutem, statim ac peccavit, pœnitentiam aget, ne periculum æternæ damnationis evidens incurrat. »

Licet autem non ob aliud foret pœnitendum, saltem pœnitentia est peccatori necessaria, ut possit vitam æternam promereri; quidquid enim agat, quantumcumque bonum morale videatur, nihil ei prodest ad merendam salutem. Audiat Apostolum dicentem, 1 Cor. 13: « Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aës sonans, aut cymbalum tinniens; et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum; et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. » Verum quidem est, quod opera peccatoris moraliter bona aliqualiter prosunt, dum ipsum ad contritionem disponunt, et Deum ad misericordiam flectunt; sed non prosunt immediate ad promerendam vitam æternam. Unde, si in statu peccati moriatur, quidquid fecit, nihil erit.

Debet peccator ex peccatorum consideratione spiritum humilitatis haurire, ita ut semper habeat præ oculis, quod sit reus divinæ majestatis, toties ab ipso et tam graviter offensæ. Propterea, si se videat ab aliis offensum, non irascatur contra illos, sed patienter ferat, benigne condonet, et offensam dimittat, sicut sibi proprias contra Deum offensas quotidie dimitti poscit, considerans se magis reum, qui Dominum offendit, quam alios qui conservos suos offendunt, si ut debet offensam tantum ut sibi factam ponderet.

Debet tandem affectum timoris colligere, ut, ex Apostoli consilio, cum timore et tremore salutem suam operetur: monet Spiritus Sanctus, « de propitiato peccato noli esse sine metu, » quia scilicet « nemo scit an odio an amore dignus sit; » scit enim peccator se pecando Deum offendisse, hoc certissime; sed nescit an debite pœnituerit, et veniam consequutus fuerit.

Fugiat igitur quilibet a peccato, « quasi a facie colubri : » nam vere periculosius est manere in statu peccati mortalis, quam cum colubro dormire; sicut enim potest coluber dormientem mordere, et veneno perimere, sic peccatum potest peccatorem in æternum sua malitia perimere non cogitantem. Unde, quanto mors animæ, damnationi præsertim æternæ conjuncta, morte corporis pejor est, tanto periculosius est in statu peccati mortalis manere, quam cum colubro dormire; et tamen istud horrent omnes sola voce prolatum, illud autem pauci etiam in rei veritate.

#### ARTICULUS IV.

##### DE MISERIIS HUMANÆ VITÆ.

Compendiose miserias humanæ vitæ descriptsit, qui miserrimum exprimere volens hominem ait: « Cujus conceptio culpa, nasci pœna, labor vita, necesse mori. » Quam infelix est conditio hominis, qui, ab instanti sua conceptionis usque ad exitum vitæ, tot tantisque plenus est miseriis, imo singuli status ejus sunt pura miseria ! Expertum audiamus sanctum Job, Cap. 14, dicentem: « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis : qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujusmodi aperire oculos tuos,

et adducere eum tecum in judicium? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hominis sunt; numerus mensium ejus apud te est; constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii, dies ejus. »

Antequam singulares humanæ vitae miserias describamus, Augustinum, Cap. 21 suarum Meditationum sic in genere disserentem audiamus: « Tædet me Domine valde vita hujus, et istius æruminosæ peregrinationis. Vita hæc, vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita domina malorum, regina superborum, plena miseris et erroribus; quæ non est vita dicenda, sed mors; in qua momentis singulis morimur, per varios mutabilitatis defectus, diversis generibus mortuum: numquid ergo hoc, quod vivimus in hoc mundo, dicere possumus vitam? Quam humores tumidant, dolores extenuant, et ardores exsiccant, aër morbidat, escæ inflant, jejunia macerant, joci dissolvunt, tristitiae consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiae inflant et jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, moror deprimit. Et his malis omnibus mors furibunda succedit, simulque cunctis gaudiis istius miseræ vitae ita finem imponit, ut cum esse desideriterit, non fuisse putetur. Mors ista vitalis et vita mortalís, licet his aliisque sit respersa amaritudinibus, proh dolor, quam plurimos suis capit illecebris! Et quam multos suis falsis promissionibus decipit! Et cum ita per se sit falsa et amara, ut etiam suos cæcos amatores latere non valeat, tamen infinitam stultorum multititudinem aureo calice, quem in manu habet, potat et prorsus inebriat. Felices illi, et ipsi rari, qui familiaritatem ejus recusant, perfunctoria gaudia spernunt, societatem abjiciunt, ne cum pereunte deceptrice et ipsi perire cogantur! »

En vivis depictam coloribus miserrimam mortalium vitam. Nunc, factis aliquibus super eam reflexionibus, paulo attentius, et magis in particulari, quoad omnes ejus partes, inspiciamus. Consideremus igitur primum ejus principium, quod est culpa, scilicet originalis peccati: singuli namque filii Adam, secundum seminalem propaginem, corruptam ab ipso et maculatam participant naturam, nisi privilegio speciali præserventur, quod soli Beatissimæ Virgini Dei Genitrici concessum affirmat Ecclesia. Quæ major miseria potest homini contingere, quam sit ista, ut statim conceptus sit filius iræ,

filius vindictæ, reus divinæ majestatis, inimicus Dei, impius, injus-  
tus, odibilis et execrabilis coram Deo, et quicquid pejus excogitari  
potest? Ita ut, si in illo statu moriatur, sit a regno cœlorum exclu-  
sus, vere damnatus in aeternum pœna damni puniendus. Solo rege-  
nerationis sacramento, scilicet baptismo per Christum, Redemptorem  
noscum, secundum Adam, instituto, abluitur, mundatur, justificatur,  
fit filius dilectionis ac remunerationis, haeres regni cœlestis, et  
amicus Dei; sed non ita confirmatur in gratia (communiter lo-  
quendo), quin eam saepe, et aliquando finaliter, amittat.

Consideremus deinde, quod ejusdem hominis nasci est pœna, non  
solum matri parienti, sed etiam ipsi dum nascitur, quod suis fleti-  
bus et ejulatibus testatur: nam saepe nativitas puerulo tam pœnosa  
est, ut in ipso partu moriatur. Unde nasci est illi mori, et mater-  
nus uterus fit ei tumulus, ex quo membratim disceptus aliquando  
extrahitur.

Consideremus insuper, quod maximus est labor vita. Nihil aequo  
discitur experimentalis scientia, quam humanae vitæ miseria: pas-  
sim videmus quam sit horrida, audimus quam ingrata, sentimus  
quam foetida, gustamus quam amara, palpamus quam aspera. Om-  
nis ejus status propriam testatur miseriam: infirmitas infantiae,  
qua vix aliud fieri potest quam plangere; impotens enim est par-  
vulus ut sibi succurrat et cibum quaerat, ita ut noverca videatur esse  
homini natura, quæ tam provide aliis animalibus in hoc statu pro-  
videt; ignorantia pueritiae, puer namque ignorat quid sibi expe-  
diat, ut plurimum malum pro bono et pro malo bonum eligit;  
inconsideratio juventutis, qua juvenis in omnia præcipiti fertur  
judicio; temeritas adolescentiae, qua cuncta, seclusis prudentiae  
legibus, aggreditur adolescens; sollicitudo ætatis virilis, qua vir  
sudore vultus sui necessaria sibi providet, filiis thesaurizat, et ad  
haec facienda terras omnes et maria cum evidenti periculo mortis  
percurrit; debilitas senectutis, qua deficiens homo jam alienis  
indiget auxiliis; languor tandem ætatis decrepitæ, quo potius homo  
quotidie moritur quam vivat, tunc enim, ait Psalmista, « viget labor  
et dolor. »

Consideremus denique, in quibus præcipue consistat humanæ  
miseria vitæ. Brevis est ordinarie: vix incipit, cum statim desinit.  
Miseria haec in juvenibus percipitur, qui cum vivere desiderant,  
mori coguntur; et, e contra, in senibus prolixitas vitæ magna est

miseria, et quo prolixior vita, eo intolerabilior miseria. Incerta est : quando siquidem vita creditur firma et stabilis, tunc vel ab intrinseca corruptione, vel aliquo casu extrinseco terminatur. Fragilis est : minimo turbatur et alteratur accidente, vel rigorosi frigoris, vel nimii caloris. Mutabilis est : nunquam enim in eodem statu permanet ; nunc adest sanitas, nunc succedit infirmitas ; nunc robur viget, nunc accedit debilitas. Fallax est : mira promittit, sed nihil boni, plurimum mali præstat. « Væ qui tibi credit, beatus qui tibi resistit, sed beatior qui a te illæsus recedit ; bona cuncta promittis, sed cuncta mala profers ; te jactas vitam, sed donas mortem ; promittis gaudium, sed largiris mœrorem ; promittis quietem, sed ecce turbatio ; promittis florem, sed cito vanescit ; promittis stare, sed cito recedis : non ergo es diligenda, quoniam omnino transis, et concupiscentia tua velut fumus evanescit, » clamat Augustinus.

Mirabitur forte quis considerans tot humanæ vitae miserias ; ne tamen Deum credat esse crudelēm : imo summæ sunt effectus misericordiae. Condidit a principio primos parentes ab omnibus illis immunes, sed peccato suo tales sibi miserias emerunt ; quibus tamen Deus benignus et misericors ad bonum hominis utitur : si nullas homo hic pateretur miserias, sic terram habitaret, ut nunquam cœlum aspiceret ; sic terrenis adhæreret, ut de cœlestibus ne quidem cogitaret ; sic sibi complacere in omnibus studeret, ut nusquam ad Deum recurreret. Sed hujusmodi pressus miseriis, præsentem vitam despicit, ut futuram acquirat ; terram invenit sordidam, dum cœlum intuetur ; terrena negligit, ut contempletur cœlestia ; sibi displicere studet, ut Deo complaceat ; diffidit de seipso, ut totaliter in Deo confidat.

Debet quisque ex tot miseriārum consideratione colligere primo affectum humilitatis : quis enim potest se tam miserum intueri, et de seipso præsumere ? Dum se miserum experitur, debet propriam fateri miseriām, ut ad Deum misericordem recurrit, qui promptum et efficax propositis creaturæ suæ miseriis valet afferre remedium. Debet omnia visibilia tot miseriis referta contempnere, ut invisibilia et cœlestia divina felicitate plena contempletur. Debet aliorum miseriis compati, qui sic in propriis patitur, et Deum sibi compati deprecatur. Hos et similes virtutis affectus debet colligere, qui miserias humanæ vitae solet meditari.

Ultima designatur hominis miseria, quod ei necesse sit mori ;

sed utrum sit miseria mori, vel potius quedam felicitas, suppositis miseriis, difficile judicatur. Fateor absolute quod mori magna est miseria, cum mors sit « stipendium peccati, » ut ait Apostolus, et « introducta fuit invidia diaboli, » et in poenam peccati; cum tot secum symptomata trahat, quae moribundo sunt ipsa morte graviora. Sed tamen sic aliquando plures aliae nascuntur miseriae, et tam graviter hominem premunt, quod mors, non ut miseria, sed ut miseriae remedium creditur, imo et procuratur, ut appareat in his qui diversis pressi miseriis laqueo se suspendunt, vel aquis se præfocant, vel præcipito collidunt, vel alio quovis modo violentam sibi mortem inferunt. Verum sic peccando ad majores inferorum deveniunt miserias. De morte pro nunc satis tanquam de miseria: statim, articulo sequenti, disseritur de ipsa, tanquam de uno ex quatuor novissimis, de quibus dicitur: « Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. »

## ARTICULUS V.

## DE CONSIDERATIONE MORTIS.

« O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substancialiis suis, viro quieto et cuius viae directæ sunt in omnibus! » Sed quam amarior peccatori, qui, ducens in bonis dies suos, edoctus fide, credit quod in puncto ad inferna descendet! O momentum, o punctum a quo pendet æternitas!

Solet mors horribili vultu depingi: verum ex seipsa nec pulchritudinem habet nec deformitatem, nam ex decursu vitae sue potest quisque mortis faciem efformare. Mors et vita sunt simillimæ: si vita fuerit laudabilis aut vituperabilis, easdem mors habebit qualitates. Unde potest quis suam videre mortem in propriae speculo vitae: nam, ut ait Augustinus, in libris de Civitate Dei, « mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit, neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur ipsam mortem. » Et de Doctrina Christiana dicit: « Non potest male mori qui bene vixerit, et vix bene moritur qui male vixit. » Ex quibus constat, quod bonam vitam semper mors bona sequitur, et malam vitam ordinarie mors

mala comitatur, quamvis, ex divina misericordia, malam vitam mors bona aliquando sequatur, ut amplius alibi demonstrabo.

« Pretiosa igitur in conspectu Domini mors sanctorum ejus : » « Pretiosa plane, ait Bernardus, in Epistolis, tanquam finis laborum, tanquam victoriae consummatio, tanquam vitæ janua, et perfectæ securitatis ingressus. Bona mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. E contra, « mors peccatorum pessima ; » mala siquidem in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis ignisque duplice contritione. »

« Timenti Dominum bene erit in extremis, in die defunctionis suæ benedicetur, » ut habetur Ecclesiastici I, quia scilicet reperiatur a dextris inter eos, quibus a summo Judice dicetur : « Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. » Et, e contra, « male erit impio in extremis ; » nam peccator, inter alias penas, percutitur hac animadversione, ut moriendo obliviscatur sui, qui vivens oblitus est Dei; et in die defunctionis suæ maledicetur, quia numerabitur a sinistris inter eos quibus a justo Judice dicetur : « Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. »

Mors a philosophis horrendum dicitur divortium, tum inter animam et corpus, tum inter hominem et mundum hunc visibilem. Qui, juxta consilium Christi, odio habuerit animam suam, et reliquerit omnia quæ in mundo sunt, non timebit tale divortium, quia non horrendum erit, sed suave. Qui mortem timet absentem, et de ea saepius cogitat, facile vincet præsentem, et venientem amplectetur : « Sic mors ipsa, ait Gregorius, in Hom., cum venerit vincitur, si priusquam veniat semper timeatur, et si homo faciat nunc quæ moriens facta fuisse vellet. »

Vir prudens semper morti debet esse paratus, quia, licet mors sit omnibus certa, cum necesse sit homini semel mori, incerta tamen est hora illius, ut omnes fatentur, Scriptura sacra docet, et experientia demonstrat. Et vere, tot sunt tam intrinseca quam extrinseca mortis pericula, ut, si quis attente consideraret, præ timore procul dubio moreretur. Quantum ad intrinseca spectat, tot ad vitam hominis concurrunt tanquam necessaria, ut, minimo illorum deficiente, vita deficiat : quot partes corporis ad nutritionem, quot ad vitalem motum, quot ad sensationem venuлæ deserviunt pene imperceptibiles, quæ tamen, si casu a suo munere impediuntur,

statim mors subsequetur ! Quantum ad extrinseca vero, miris et innumeris modis mors causatur homini : quot ab elementis consumuntur ! Aliquos terra dehiscens absumit, alios aqua præfocat, alios aër infectus interficit, alios ignis comburit. Quot casibus inopinatis occiduntur ! Aliqui fulmine percussi, alii a bestiis devorati, alii et plures ab hominibus occisi pereunt. Quam maxima hominis miseria, quod, cum alia ejusdem speciei animalia se mutuo foveant et defendant, solus homo contra hominem sœviat ? Unde, cum merito quidam dixisset quod homo est homini lupus, alter aptius dixit : homo homini homo, nam revera majori rabie se mutuo persecuntur homines, quam lupi etiam famelici persequerentur homines ; ut appareat, tum in singulari certamine, ubi levissimo plerumque motivo se perimunt homines, tum in bello, ubi unico conflictu multa sœpius cadunt hominum millia.

Mortis consideratio causat effectus bonos. Nam primo, ut ait Augustinus, in Exhortat., « nihil sic revocat a peccato, quam frequens mortis meditatio. » Secundo, ut ait Hieronymus, in quadam Epist., « qui se quotidie recordatur esse moriturum, contemnit presentia, et ad futura festinat. » Tertio, mortis consideratio facit, quod homo potius animæ immortalis quam corporis per mortem corrumpendi curam gerat; unde divinæ legis sequitur observantiam, quam non solvunt plerumque homines, nisi ut corporis voluptatibus inordinate deserviant.

Si scirent mortales, quam læta sint mortis nuntia animæ devoteæ, quam suaviter suscipit Deus eum qui viam mandatorum ipsius cucurrit, qui propter ipsum multa bona operatus est, et multa mala perpessus est, absque dubio bene semper viverent, ut sic bene mori eis concederetur : nam revera, in extremo mortis conflictu, in momento illo malis horrendo, ex quo pendet aeternitas gloriæ vel miseriae, in quo mali præsentem formidant et horrent damnationem, qui bene vixit, testimonio conscientiæ sue motus, ac interna Spiritus Sancti suavitate recreatus, tunc incipit lætari, et cœlestes delicias prægustare.

Audiamus Augustinum, Cap. 23 suarum Meditationum, sic disserentem : « Felix anima, quæ, terreno resoluta corpore, libera cœlum petit; secura et tranquilla, non timet hostem neque mortem : habet enim semper præsentem, cernitque indesinenter pulcherrimum Dominum, cui servivit, quem dilexit, et ad quem tandem læta et gloriosa

pervenit. Hanc vero tantæ beatitudinis gloriam nulla dies minuere, nullus improbus poterit auferre. Viderunt eam filiæ Sion et beatissimam prædicaverunt, et reginæ et concubinae laudaverunt eam dicentes: « Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? » Quam læta exit, festinat, currit, cum dilectum suum sibi dicentem attonitis auribus audit: « Surge, propera, amica mea, speciosa mea, et veni; jam hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum; surge, propera, amica mea, columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceræ; ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, et facies tua decora; veni, electa mea, speciosa mea et columba mea, immaculata mea, sponsa mea, veni, » et ponam in te thronum meum, quia concupivi speciem tuam; veni, ut læteris in conspectu meo cum angelis meis, quorum societas tibi a me repromissa est; veni post multa pericula et labores, intra in gaudium Domini tui, quod nemo tollet a te. »

## ARTICULUS VI.

### DE DUPLICI JUDICIO DEI.

Duplex est judicium, quo Deus peccatores condemnat. Unum est particulare, quod statim post mortem cuilibet in particulari profertur, juxta cujusque merita, prout gessit sive bonum sive malum, et quod subito suum sortitur effectum: si namque per illud anima tanquam innocens absolvatur, in cœlum confessim evolat, nisi forte debeat in purgatorio detineri, ut omnino purificetur; sin autem per illud tanquam rea condemnetur, illico detruditur ad inferos in æternum crucianda. Aliud est judicium universale, quod in fine mundi, stantibus singulis mortalibus, celebrabitur, Christo judice pro justis gloriose, pro peccatoribus terribiliter apparente: in hoc præcedentis judicij particularis sententia, sive absolutiva in gloriam sanctorum,

sive condemnativa in dedecus et confusionem damnatorum, coram omnibus angelis et hominibus confirmabitur.

Considera, circa judicium particulare, securitatem justorum, qui fide divina neverunt propitium sibi futurum judicem, si bene fecerint; et aliunde, conscientia teste, didicerunt quod, cum Apostolo, bonum certamen certarunt, fidem servarunt, fideliter cursum suum consummarunt, et quod reposita est ipsis corona justitiae. quam reddet justus Judex, cuius adventum diligunt, cum sciant eumdem esse Dominum, cui viventes pie ac perseveranter servierunt. Quod si aliquando, propter summam Judicis majestatem, et judiciorum ipsius incomprehensibilitatem, cum sancto Hilarione tremant, ut de ipso refert Hieronymus, seipsos tamen cum eodem sancto Anachoretta confirmingant et animant, conscientiae testimonio recreati, et dicunt: « Egredere, quid times? Egredere, anima mea, quid dubitas? Pluribus annis servisti Christo, et mortem times? »

E contra vero, considera formidinem et horrorem impiorum circa idem judicium particulare, cum, teste conscientia, sciant se reos, et flammis æternis addicendos. Et aliunde didicerunt, ex doctrina Augustini in Symbolum, quod ille Judex nec gratia prævenitur, nec misericordia jam flectitur, nec pecunia corruptitur, nec satisfactione nec pœnitentia mitigatur. Unde, quo horrore, qua formidine, tot scelerum suorum certam æternæ damnationis, sub incorrupto judice, sententiam expectabunt? Sequantur nunc consilium ejusdem sancti Doctoris illico subjungentis: « Hic dum tempus habet, agat anima pro se, quia hic locus est misericordiæ, ibi erit locus justitiae. »

Circa judicium universale, considera quam terribile nobis illud Scriptura sacra proponat. Nam primo, precedentia ipsum signa penitus horribilia prædictit, dum ait Christus Dominus, ipsemet Judex futurus: « Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et expectatione, quæ supervenient universo orbi; nam virtutes cœlorum movebuntur. » Et, Matthæi 24: « Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de celo. » Secundo, ipsemet dies judicii sic describitur Sophoniæ 1: « Juxta est dies Domini magnus, juxta est et velox nimis; vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis; dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriae, dies

tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos. Et tribulabo homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt, et effundetur sanguis eorum sicut humus, et corpora eorum sicut stercore; sed et argentum eorum, et aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini; in igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. » Tertio, parebit signum Filii hominis in cœlo, Crux scilicet sancta, quæ, sicut justis, amatoribus suis, consolationem et gaudium, sic impiis, persecutoribus quondam suis, formidinem et horrorem incutiet. Quarto tandem, « plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate, et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum. » Plangent siquidem, quia videbunt illum esse judicem, quem toties offenderunt, quem crucifixerunt; eujus tamen judicium recusare non poterunt, nec a sententia æquissima ad aliud tribunal appellare.

Tam terribilis describitur hæc dies, et revera erit, quod sancti Patres illam meditantes omnino tremuerint. Unicum inter ipsos audiamus Hieronymum, de seipso dicentem: « Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco; sive enim comedo, sive bibo, sive aliquid aliud facio, semper videtur illa tuba terribilis sonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad judicium. » Item: « O anima mea, quid respondebis in die judicii, cum a te exigeretur usque ad ictum oculi? »

Comparebunt in illo universalis judicio, congregati simul a quatuor ventis, omnes Adæ filii, quotquot jam processerunt, quotquot nunc vivunt, quotquot usque in finem mundi sequentur; nullus citationem recusare, dissimulare, vel differre poterit; quilibet, pro seipso responsurus, ante tribunal illud æqui Judicis adstabit: non Pontifices etiam summi, non Imperatores, non Reges, non Principes eximi poterunt; non Philosophi, non Theologi, non denique Doctores alii poterunt ullo frui privilegio; promiscue singuli stabunt, solis distincti meritis. Audi Hieronymum, Epist. ad Heliod., dicentem: « Judicaturo Domino lugubrem mundum, potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt; adducetur cum suis stultus Plato discipulis; Aristotelis argumenta non proderunt, quando veniet ille Filius pauperculæ quæstuariæ judicaturus fines terræ. »

Stabunt a sinistris supremi Judicis igni æterno damnandi, stabunt a dextris æterna gloria fruituri : illi supra modum mœsti, isti plusquam dici potest hilares; sed assidebunt summo Judici, non solum apostoli, verum etiam quotquot, propter Deum relictis omnibus, secuti sunt Dominum : sententiam a Judice prolatam velut assesores confirmabunt.

Quis non pavebit, cum omnia cordis secreta cunctis assistentibus manifesta patebunt? Nunc crimina in abscondito facta latere possunt; sed tune nihil sic absconditum, quod non reveletur; nihil sic occultum, quod non sciatur, sive bonum sive malum fuerit; et hoc ad gloriam electorum, et ad reproborum confusionem. Electis omnia cooperabuntur ad gloriam, sive bona fuerint opera, quæ fideliter operati sunt, sive fuerint mala, de quibus postea contriti poenituerunt: in primis namque virtus eorum cum divina gratia, in secundis autem ex divina misericordia eorum apparebit pœnitentia. Sed reprobis omnia cooperabuntur ad confusionem, sive bona fecerint opera, quorum meritum sua malitia perdiderunt, sive fuerint mala, in quibus obstinati perseveraverunt. Quam utilius et tolerabilius foret nunc malis abscondita cordis confessori detegere, statim absolvendi, quam coram Angelis et hominibus, in eorum publica revelatione, æternam pati confusionem, et ignominiam tunc infructuosam.

Omnibus hominum operibus jam patefactis, æquissima supremi Judicis pronuntiabitur sententia, qua dicetur primo iis qui sunt a dextris: « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me. » Deinde dicetur his qui sunt a sinistris: « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum; hospes eram, et non collegistis me; nudus, et non cooperuistis me; infirmus, et in carcere, et non venistis ad me; » et sic omnium justorum bona opera, et impiorum mala manifestabuntur. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. « Durus quidem sermo carnalibus est: abnega temetipsum; sed durius: ite in ignem æternum. »

Ex hac utriusque judicii consideratione, debet quilibet horrorem

peccati concipere, quod solum tali judicio damnandum est. Unde debet a peccato, quantum poterit, abstinere, et de præterito conteri, ut sic a ministris Christi judicetur et condonetur, ne ab ipso Christo tunc damnetur; non enim judicat Deus bis in id ipsum: si per ministros judicat absolvendo, per se non judicabit damnando; illis namque dedit potestatem ligandi atque solvendi super terram, ita ut quod hic solverint, sit solutum et in cœlis, et quod hic ligaverint, sit ligatum et in cœlis. Debet deinde abstinere a judicandis aliis, quia, ut dixit ipsemet supremus Judex, « nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini. » Quod efficiet, si de singulis, quantumcumque reprobis apparentibus, bene speret in misericordi Domino, cuius divina de unoquoque judicia nesciuntur ; unde non audaci sermone discutienda sunt, sed formidoloso silentio veneranda.

## ARTICULUS VII.

### DE PÆNIS ET HORRORE INFERNI.

Sic terribilis in sacra Scriptura describitur infernus, ut sola descriptio terrorem et horrorem maximum incutiat : quid efficiet realis præsentia ? Dicitur quod ibi erit fletus et stridor dentium, quod erit ignis devorans, vermis conscientiae perpetuo rodens, quod miseri transibunt de frigoribus nivis ad intolerabilem ignis calorem, et alia plura quæ non crederentur, nisi Sermo divinus illa testaretur, et aliquorum inde redeuntium experientia comprobaret.

Sanctus Gregorius, in 2 Matthæi, plures pœnas sensus in inferno tolerandas sic compendiose describit : « In inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fator intollerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentiū, horrida visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum : erit enim miseris mors sine morte, defectus sine defectu, quia mors ibi semper incipit, et deficere nescit. » Præter hanc multiplicem pœnam sensus, est etiam pœna damni, consistens in privatione Dei, multo major quam sit pœna sensus, cum in ipsa principaliter damnatio consistat. Et utraque in sententia Judicis exprimitur ; dum enim

dicitur damnatis, « Ite, » denuntiatur eis quod recedant a præsentia Judicis, et sic expellentur a facie ipsius, in quo est pœna damni; dum autem dicitur, « In ignem æternum, » denotatur pœna sensus sub ignis combustione comprehensa : sed hæc amplius et distinctius explicanda sunt.

Infernus est locus subterraneus in centro terræ consistens, ut ex ipsa colligitur sacra Scriptura. Vastus quidem, si loquamur absolute; sed angustus comparative ad immensum pene numerum reproborum. In medio ipsius est lacus sulphuris et picis, ubi infelices illi mediis in tormentis voluntur. Et insuper sunt omnia tormentorum genera torquendis infelibus illis præparata ; sed ignis præcipue multo acrior et penetrabilior quam noster.

Ut radicem utriusque pœnæ noverimus, sciendum est quod in peccato duo defectus puniendi reperiuntur, quibus duæ pœnæ proportionatae destinantur. Primus defectus est aversio a Deo incommutabili bono; cum enim actus peccaminosus sit inordinatus ab ultimo fine debito, ex sua namque pravitate habet quod non possit in illum dirigi, sequitur quod avertat peccatorem a Deo ipso ultimo fine. Secundus defectus est inordinata conversio ad commutabile bonum creaturæ, per hoc quod peccator ei indebite adhærebat, id est, contra modum a Deo præfixum; Deus namque æterna sua lege statuit quod homo sic adhærebat bono commutabili creaturæ, ut semper debitum servet ordinem ad ipsum Deum ultimum finem, operando licita in ipsum dirigibilia. Primo defectui puniendo destinatur pœna damni, sive privatio Dei : justum est enim, ut qui voluntarie ac malitiose se a Deo summo bono avertit, contra suam voluntatem expellatur ab illo, et in æternum ipso privetur. Secundo defectui puniendo destinatur pœna sensus : conveniens enim est, ut qui peccando creaturis indebite adhæsit per conversionem ad earum bonum commutabile, per easdem puniatur in pœnam peccati; ut sic peccator, ex una parte, videat quam malum et amarum ipsi sit reliquisse Dominum, et, ex alia parte, quam parum utile, imo quam nocivum et perniciosum, creaturis adhæsisce, despecto earum Domino.

Pœna damni maxima est, imo probabilius judicari potest infinita. Cum enim, ut dictum est, in privatione consistat, et privatio regulari debeat per formam privatam, nonne privatio Dei summi et infiniti boni, tam in se quam in ordine ad creaturam rationalem,

quæ semper magis ac magis in infinitum per gradus determinatos potest ipsum possidere, dicenda est infinita? Hæc namque privatio, tota simul existens, adæquat infinitam in potentia Dei possessionem.

Pœna sensus multiplex est, et licet minor quam pena damni, multo tamen major apprehenditur ex his quæ in præsenti vita patimur actu. Praecipuum ejus instrumentum est ignis inferni, qui divina virtute non solum corpora, sed etiam animas, et dæmones torquet; cuius tanta est efficacia et vis in cruciando supra nostrum, qualis est ignis nostri realis supra pictum; sed, licet plurimum ardeat, tenebrosus tamen est, nec lucet, ne ullum inde solatium damnatis adveniat; et, si quid vident, majori tormento cooperatur.

Qualiter ignis agat in damnatorum corpora, non est conceptu difficile: agit ibi, quamvis efficacius, sicut hic agit; sola hæc est differentia, quod ibi cruciando non consumit, ad æternitatem pœnarum, cum tamen hic cito consumat cruciando. Ibi nunquam ignis extinguetur: dæmones, hominis crudeles inimici, semper illud excitant ad majus damnatorum tormentum; nec adhuc hoc necessarium videtur, cum ignis ille, velut instrumentum divine justitie, vivacem semper habeat urendi virtutem.

Qualiter autem agat in animas nunc separatas et in dæmones, difficilis est exprimere. Quamvis enim certum de fide ac indubitatum sit, quod illos sævissime cruciat, differunt tamen authores circa modum quo cruciat: non enim illos proprie comburit, cum non sint caloris, utpote qualitatis materialis, susceptibles. Id quod probabilius dicitur in doctrina D. Thomæ, est, quod ignis inferni, tanquam instrumentum divinæ justitiæ, ipsius Dei virtute, duo habet: primum quidem, quod damnatos spiritus quasi captivos detineat, in pœnam suæ deordinationis ac rebellionis a Deo, cum tamen alias, ex propria conditione, cunctis materialibus superiores, connaturaliter ab igne vel alio quovis materiali detineri non possint; secundum autem est, quod continuo cognitionem eorum ad hanc suam miseriam actu considerandam applicet, ita ut hanc sui detentionem quasi summam miseriam semper apprehendant, quod ipsos torquet magis quam exprimi potest: si namque rex aut princeps aliquis carceri mancipatus, hanc captivitatem omni supplicio plerumque majorem apprehendit, et, si continuo cogitaret, in rabiem

verteretur, ob aliquod conceptum dedecus in suam dignitatem, licet ejusdem sit naturæ et conditionis ac alii homines qui quotidie absque tali pressura carceri mancipantur, quid accidet damnatis illis spiritibus, dum continuo considerabunt, se contra naturalem suam dignitatem captivos ab igne detineri? Quo mœrore non prementur? Quo furore non sævient? Qua rabie non agitabuntur?

Vix minimum concipi potest, nisi ab expertis, quam atroces sint inferni pœnæ, et multo minus exprimi. « Quis enim poterit habitare cum igne devorante? » Exemplis tamen aliquorum, inde redeuntium, tanta demonstratur earum atrocitas, et in sacra Scriptura comprobatur, ut, licet unicus foret, nobis ignotus, inter filios Adam innumerabiles, his pœnis adjudicatus, omnes tamen formidare, tremere, et horrere deberent, ne tam deploranda et infausta sors sibi contingenteret: et nunc quid agere, qualiter formidare et horrere debemus, cum certum sit infinitum reproborum esse numerum, qui suis peccatis ad hæc æterna supplicia detrudentur? Magister enim veritatis Christus Dominus dicit per admirationem: « Quam angusta est via, quæ ducit ad vitam, et pauci ambulant in ea! Quam lata est via, quæ ducit ad perditionem, et multi ambulant in ea! » Qui scilicet ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.

Horreant omnes hujusmodi tormenta, et cum Augustino dicant: « Hic ure, Domine, hic seca, hic nihil mihi parcas, ut in æternum parcas. » Cum cupiditatis alieujus inordinatæ ardor inducens ad peccandum irrepserit, contra Dei prohibitionem, vel cum difficultas operandi quæ Deus præcipit aliquando nobis obstiterit, ardorem inferni et difficultatem in eo patiendi considera; nam, ut docet Augustinus, « solet ardor ardore expelli, et labor labore minui. »

Ex pœnarum inferni consideratione colligere quisque debet primo, timorem Domini, qui solus, cum occiderit, potest mittere in gehennam; qui timor est initium sapientiæ, et paulatim convertitur in amorem, qui est finis ejusdem sapientiæ: in principio namque debet timor appetitum ab illicitis refrænare, et postmodum ad magna debet amor excitare, juxta illud:

*Da mihi fræna timor, da mihi calcar amor.*

Secundo debet odium peccati colligere, quod solum fuit origo inferni, et quod miseris infernum replet: « Cesset, ait Bernardus, Serm. 3. de Resurrectione, voluntas propria, et non erit infernus; »

nihil enim aliud infernum meretur, quam peccatum a propria voluntate procedens. Felix, qui descendet sœpe vivens in infernum, ut, ejus timore perterritus, abstinendo a peccatis, non descendant postea moriens.

## ARTICULUS VIII.

### DE CŒLESTIS REGNI GLORIA.

Mirabilia dicuntur in sacra Scriptura de cœlestis regni gloria, de cœlesti illa Jerusalem, in qua talis gloria possidetur. De illa gloria dicitur, quod « nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quod præparavit Deus diligentibus se. » De illa civitate dicitur : « Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum ! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini ; » item : « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. » Et inter alia mirabilia, quæ de hac cœlesti Jerusalem dicuntur, describitur a sancto Joanne, Apocal. Cap. 21, sub specie civitatis pulcherrimæ et pretiosissimæ, dum tota constructa dicitur ex auro et omni lapide pretioso, ita ut nihil hic inferius possit pulchrius ac pretiosius imaginari : « Sustulit me, ait, in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendedentem de cœlo a Deo, habentem claritatem Dei, et lumen ejus simile lapidi pretioso, tanquam lapidi jaspidis, sicut crystallum. » Deinde subdit : « Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, jaspis; secundum, sapphirus; tertium, chalcedonius; quartum, smaragdus; quintum, sardonix; sextum, sardius; septimum, chrysolithus; octavum, beryllus; nonum, topazius; decimum, chrysoprasus; undecimum, hyacinthus; duodecimum, amethystus. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas, et singulæ portæ erant ex singulis margaritis, et platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. Et templum non vidi in ea; Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus. Et civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus, etc. » Capite vero sequenti, describit fluvium illum, cuius impetus lætificat civitatem Dei; et ait : « Ostendit mihi fluvium aquæ vitae splendidum tanquam cry-

stallum, procedentem de sede Dei et Agni ; in medio plateæ ejus, et ex utraque parte fluminis lignum vite, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium ; et omne maledictum non erit amplius, sed sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi ejus servient illi ; et videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum. » Hac ut plurimum materialia cœlestis illius patriæ perfectionem, excellentiam, et jucunditatem utcumque declarant.

« O quam felix jucunditas, et quam jucunda felicitas videre sanctos, cum sanctis esse, et esse sanctum ! » ait Augustinus ; sancti namque angeli et homines sunt patriæ cœlestis cives, et domestici Dei. « Quid hoc bono melius, ait Ambrosius, de Offic., quid hac felicitate felicius, vivere Deo, vivere de Deo ? » Quod sic amplius explicat Hugo de S. Victore, Libro 1 de Anima, Cap. 4, dicens : « Præmium autem est videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus, habere Deum, qui est sumnum bonum. Et ubi est summum bonum, ibi est summa felicitas, felix securitas, et secura aeternitas : ibi est vera lætitia, plena scientia, omnipis pulchritudo, et omnis beatitudo. Est ibi pax, pie-tas, bonitas, virtus, et honestas, gaudia, lætitia, dulcedo, vita perennis, gloria, lux, requies, amor, et concordia dulcis. Sic cum Deo homo beatus erit, in cuius conscientia peccatum inventum non fuerit : videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, frueretur ad jucunditatem ; in aeternitate videbit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit ; sicut habebit permanendi aeternitatem, sic cognoscendi facilitatem, et requiescendi felicitatem ; civis siquidem erit illius sanctæ civitatis, cuius angeli cives sunt, Deus Pater templum, Filius ejus splendor, Spiritus Sanctus claritas. O civitas cœlestis, mansio secura, patria fertilis et ampla, totum continens quod delectat sine murmure, incolæ quieti, homines nullam indigentiam habentes ! » Quam gloriosa dicta sunt de te, ait Psalmista, Psalmo 86, civitas Dei ! Sicut lætantur omnium habitatio est in te » : omnes lætantur in lætitia et exultatione ; omnes delectantur de Deo, cuius aspectus pulcher, facies decora, eloquium dulce ; delectabilis est ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum. Ipse per se placet et sufficit ad meritum, sufficit ad præmium, nec extra illum quidquam queritur, quia totum in illo invenitur quidquid desideratur. Semper libet eum aspicere, semper habere,

semper in illo delectari et illo perfri. In illo clarificatur intellectus, purificatur affectus, ad cognoscendam et diligendam veritatem. Et hoc est totum bonum hominis, nosse scilicet et amare Creatorem suum. Quae ergo nos tangit vesania, vitiorum sitire absinthium, hujus mundi sequi naufragium, vitae labentis pati infortium, impiae tyrannidis ferre dominium; et non magis convolare ad sanctorum felicitatem, ad angelorum societatem, ad solemnitatem supernæ laetitiae, et ad jucunditatem vitae contemplativæ, ut possimus intrare potentias Domini, et videre superabundantes divitias illas bonitatis ejus? Videbimus gloriae decorem, et regiæ potestatis honorem; cognoscemus Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus Sancti benignissimam clementiam, et tunc habebimus notitiam illius summæ Trinitatis. Nunc corpora per corpus videmus, imagines etiam corporum cernimus; tunc vero ipsam Trinitatem puro mentis intuitu videbimus. O beata visio, videre Deum in seipso, videre in nobis, et nos in eo felici jucunditate, et jucunda felicitate! Quidquid desiderabimus, totum habebimus, nihil amplius desiderantes; et quidquid videbimus amabimus, ipso amore beati, beati dulcedine amoris, et suavitate contemplationis. Haec erit summa illius contemplationis, haec erit summa illius felicitatis, quoniam intelligetur in suo puro Esse summa Divinitas, comprehendetur in ea incomprehensibilis Trinitas, patebunt arcana Divinitatis, videbitur et amabitur Deus: et haec visio et delectatio, totum eorū hominis implens et satians, tota erit illius beatitudinis consummatio. Una erit omnium lingua et jubilatio indefessa, unus affectus, amor æternus. Patebit veritas, implebitur charitas, et erit integra corporis et animæ societas. Fulgebit sicut sol humanitas glorificata, quieta erit concors carnis et spiritus societas, angelorum et hominum unum erit gaudium, unum colloquium, unum convivium: non languagebit amor, nec liquefiet dilectio. Præsentibus omnibus, nullo erit dilationis afflictio, quoniam beatifica divinae majestatis præsentia omnibus erit omnia, et erit communis omnium omnipotentia, sapientia, pax, justitia, et intelligentia. Non erit in illa pace diversitas linguarum, sed pacifica et concordia morum et affectuum. In torrente illius voluptatis, nihil ultra appetet cumulata satietas, tanta erit felicitas: ibi siquidem erit cumulus felicitatis, supereminens gloria, superabundans laetitia. »

Certum est, non solum de fide, sed etiam lumine naturali, quod

datur in rerum natura bonum aliquod, quod est objectum beatitudinis; non tamen est aliquod bonum creatum, seu externum, seu corporis, seu animae, quamvis quodlibet ex ipsis bonis magis aut minus perfecte, juxta majorem aut minorem suam perfectionem, ad beatitudinem concurrit, imo beatitudinis objectum esse non potest aggregatum totius boni creati et creabilis, etiam si per impossibile totum simul in rerum natura poneretur. Unde semper est, quod solus Deus optimus maximus, ac summum bonum, sit objectum beatitudinis creature rationalis. Quod sic breviter ostenditur: demonstratur beatitudo possibilis ex naturali appetitu ad illam, qui non potest esse frustra, natura namque nihil frustra operatur; sed debet impleri, ac perfecte satiari et quietari, hoc enim beatitudo formalis importat; et sic objectum beatitudinis debet posse implore, satiare et quietare rationalem appetitum sive voluntatem hominis: constat autem, quod nihil potest quietare voluntatem hominis, nisi bonum universale, quod non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo, quia omnis creatura habet bonitatem participatam; unde solus Deus voluntatem hominis implere potest, secundum quod dicitur in Psalmo 102: « Qui replet in bonis desiderium tuum. » Solus igitur Deus est objectum beatitudinis.

Licet Deus, beatitudinis nostra objectum, sit intime Beatis unitus, per illapsum divinæ essentiæ in ipsis, beatitudo tamen formalis, in recto considerata, non consistit in hoc illapsu; sed est animæ creata operatio secundum partem intellectivam, et non habitus operativus, nec operatio partis sensitivæ, quæ tantum se consequenter habet ad perfectam beatitudinem. Unde beatitudo formalis perfecta, quæ expectatur in Patria, consistit essentialiter in intellectus operatione, quæ est clara et quidditativa visio Dei; completur tamen in operatione voluntatis, scilicet, tam in actu dilectionis seu amoris, quam in actu fruitionis Dei. Sed supernaturalis beatitudo formalis imperfecta, quam infra dicemus haberi hic in via, moraliter considerata, consistit primario in actu charitatis, physice vero considerata, consistit in actu contemplationis supernaturalis ipsius Dei.

Ad beatitudinem supernaturalem necessariae sunt dotes animæ beatæ, scilicet visio, comprehensio, et fruitio; quæ quidem non important actuales operationes, in quibus constituitur ipsa beatitudo; sed important immediata harum operationum principia. Unde dos visionis importat habitum luminis gloriæ; dos comprehensionis

importat relationem præsentiaæ ac indistantiaæ ipsius voluntatis ad Deum, objectum beatificum, ut præsentem et possessum visione, ratione cuius præsentiaæ indefectibilis et æternæ, Deus est quodammodo sub dominio voluntatis, ut eo frui possit, et sic est dispositio immediate concurrens ad hanc fruitionem; dos fruitionis importat habitum charitatis, ut principium præcise fruitionis perfectæ.

Non sufficit benigno et misericordi Domino sic animam ornare et præmiare, sed etiam, ut justus judex, voluit corpus ornare et præmiare, cum animaæ suis laboribus et doloribus ad meritum fuerit cooperatum. Unde, sicut corpus participat in beatitudine accidentali, modo sibi proprio, sic proprias etiam habet dotes, videlicet subtilitatem, impassibilitatem, agilitatem, et claritatem; quæ sunt formæ positivæ intrinsecæ, permanenter afficienes corpus gloriosum, distinctæ ab anima beata et ejus informatione, ac pertinentes ad genus qualitatis sub specie habitus et dispositionis.

Quia vero vita præsentis sæculi dicitur militia, et Ecclesia viatorum dicitur militans, juxta illud Job 7, « militia est vita hominis super terram, » inde est quod beatitudo quæ datur in præmium meritorum, dicitur corona reddita pro victoria. Et quia regum et imperatorum corona fit ex auro, inde est quod vocatur etiam aurea substantive; et parva corona vocatur aureola. Cunctis igitur datur Beatis a justo judice corona gloriæ, seu aurea gloriæ essentialis, absolute pro victoria; quibusdam autem Beatis datur aureola gloriæ accidentalis, correspondens alicui pugnæ ac victoriarum peculiari. Aureolæ namque sunt privilegiata præmia privilegiatis victoriis correspondentia, quæ sunt tantummodo tres, videlicet Martyrum, Virginum, et Doctorum: Martyres namque specialiter mundi persecutio[n]es, usque ad mortem sustinendo, vicerunt; Virgines perfecte triumpharunt de carne, blanditiis ejus integre resistendo; Doctores præcipue diabolum superarunt, illum non a se solum, sed etiam ab aliorum cordibus, sua prædicatione et doctrina removendo.

Profusi sunt sancti Patres in pronuntiandis laudibus cœlestis Jerusalem, et in referendis ejus bonis, quos longum, et forte fastidiosum esset hoc omnes adducere: qui amplius de illa scire voluerit, legat Hugonem de S. Victore, Libro 4 de Anima, Cap. 4, ubi ait: « O vita vitalis, vita sempiterna et sempiterne beata, etc.; » item Cap. 14; Richardum de S. Victore, in Cantica, Cap. 10, ubi ait: « Istæ enim

sunt plateæ Jerusalem, etc.;» Bernardum, Libro 5. de Consideratione, Cap. 4, ubi ait: « His ita expeditis, age jam dirigatur consideratio in eam, quæ sursum est Jerusalem, quæ est mater nostra, etc. » Ne alias plures adducamus, sufficiat Augustinus ad hujus considerationis complementum. Sermone 37, de Sanetis, sic ait: « Verum super haec omnia est consociari Angelorum et Archangelorum cœtibus, Thronis etiam et Dominationibus, Principatibus et Potestatibus, omniumque cœlestium supernarumque virtutum contuberniis perfri, et intueri agmina sanctorum splendidius sideribus mictantia, Patriarcharum fide fulgentia, Prophetarum spe lætantia, Apostolorum in duodecim tribubus orbem judicantia, Martyrum pureis victoriae coronis lucentia, Virginumque choros candentia serta gestantes inspicere. » Capite 22 Meditationum, sic ait « : O tu vita, quam præparavit Deus iis qui diligunt eum, vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiae, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate et mutatione, vita totius elegantiae et dignitatis plenissima, ubi non est adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebria, ubi est amor perfectus, et timor nullus, ubi dies æternus, et unus omnium spiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, et hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur! O tu vita felicissima! O regnum vere beatum, carens morte, vacans fine! Cui nulla tempora succedunt per ævum; ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus; ubi vitor miles, illis hymnidicis Angelorum sociatus choris, cantat Deo sine cessatione canticum de canticis Sion, noble perpetua caput amplectente corona. »

Ex hac consideratione cœlestis gloriæ, nascitur in anima contemptus omnium visibilium, et desiderium æternorum: contemptus quidem omnium visibilium, in quibus tot miseriae, tot labores, tot dolores inveniuntur; desiderium autem æternorum, in quibus prædictæ deliciae, summa felicitas et beatitudo reperiuntur. Unde Augustinus, loco citato, sic ait: « Utinam, concessa mihi peccatorum venia, moxque hac carnis sarcina deposita, in tua gaudia veram requiem habiturus intrarem, et tuæ civitatis præclara atque speciosa moenia, coronam vitæ de manu Domini accepturus ingrederer, ut illis sanctissimis choris interessem, ut cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assisterem, ut presentem Christi vul-

tum cernerem, ut illud summum et ineffabile, incircumscriptum lumen semper aspicarem ; sicque nullo metu mortis affici, sed de incorruptionis perpetuae munere lætari possem sine fine. » Quod amplius prosequitur, Cap. 25, ubi sic incipit : « Mater Hierusalem, civitas sancta Dei, charissima sponsa Christi, te amat cor meum, pulchritudinem tuam nimium desiderat mens mea : o quam decora, quam gloriosa, quam generosa tu es ! Tota pulchra es, et macula non est in te. »

Nascitur deinde amor Dei, qui tam fidelis est Dominus in remunerandis suis, imo tam liberalis, ut momentaneum et leve hoc tribulationis nostræ pondus æternæ gloriae deliciis compenset ; qui tam bonus Pater est, ut regni sui cœlestis hæredes nos filios adoptivos efficiat, et Filii sui naturalis unigeniti cohæredes.

Nascitur denique desiderium sanctitatis et puritatis : fides enim docet, quod nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum. Unde Psalmista interrogat : « Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus ? » sibique respondet : « Innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo ; hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo ; haec est generatio quærentium eum, quærantium faciem Dei Jacob. »

## ARTICULUS IX.

### DE BENEFICIIS DIVINIS.

Quamvis innumera sint Dei beneficia homini collata, quicquid enim habemus boni, tam honesti quam delectabilis et utilis, hoc totum Dei beneficium est, omnia tamen Dei beneficia reducuntur ad aliqua capita. Ex quibus quædam sunt universalissima cunctis creaturis convenientia, quædam convenientia omni et soli creaturæ rationali, quædam pluribus convenientia, quædam autem aliquibus particularia : de quibus omnibus aliquas in præsenti considerationes proponemus, sed breves, quia de his iterum alibi nobis agendum est.

Considera primo, circa beneficia Dei universalissima, prout ad

te ipsum attinet, quomodo te Deus ex nihilo creaverit, non aliqua motus necessitate, vel alia convenientia ex parte tui ; sed tantum mera sua voluntate te creandum in tam perfecta natura elegit, et tempore postea determinato tam perfectum esse naturae rationalis concessit, relinquens infinitas alias in ipso nihilo et in statu possibilis creaturas. Quod igitur, aliis multis et perfectioribus relictis hominibus, te ipsum creare elegerit, num magnum est collatum tibi beneficium, quamvis commune ceteris creaturis, et quod est fundamentum omnium aliorum ?

Considera secundo, qualiter et quot variis ac miris modis te ipsum conservet ; tum immediate et continuo influens esse semel communicatum, quo influxu subtracto, statim ad nihilum redires, non secus ac lumen aeris, cessante solis influxu ; tum mediate concurrens cum causis secundis ad tui conservationem : concurrit cum angelis, concurrit cum cœlis, concurrit cum aliis inferioribus ad hanc conservationem ; et non solum juxta communem causarum cursum suppeditans omnia vitæ necessaria, sed etiam saepius extraordinaria removens via quæ possent nocere, et suggestens quæ possunt prodesse, ut frequenter hanc mirabilem erga te Dei providentiam expertus es, quæ maximum est beneficium.

Considera tertio, qualiter Deus creaturam rationalem, non solum naturalibus donis ornaverit, sed etiam ad statum supernaturalem elevaverit, ordinando scilicet ipsam ad statum gratiæ, et ad finem beatitudinis æternæ, quod maximum est Dei beneficium intellectuali naturæ concessum. Quid enim majus et excellentius ei communicari potuit, quam per gratiam sanctificantem ad Esse divinum elevari, et per gloriam ipso Deo perfecte frui ? Non ex aliqua fecit hoc indigentia, quasi consortio creaturarum indigens ad suam beatitudinem, cum tres divinæ personæ sint sibi sufficientes, juxta illud Psalmistæ : « Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. »

Considera quarto beneficium universale redemptionis, commune toti rationali naturæ ; in quo summum amorem Dei licet advertere : cum enim alias solo verbo te fecisset, solo voluntatis actu te conservet, et similia tibi conferat beneficia (ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt), opus fuit, ut te redimeret, quod homo fieret, et mortem crucis toleraret ; « sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. » Hoc beneficium pondera, et

ultra gratitudinis actus, Christo pro te morienti compatere. Audi Bonaventuram, in Stimulo amoris, Cap. 3, suadentem tibi, ut « nitaris quantum potes, Christo compati pro te passo; ubique enim et semper ejus passionem et mortem sibi crudelissimam et pœnosam, sed nobis necessariam et dulcorosam debes in corde tuo assidua meditatione pensare: nisi enim sibi compatiendo noverimus nos compati, secum non poterimus jucundari; si autem bene ejus passionem fueris meditatus, et multum intraveris latus ejus, certe pervenies ad cor ejus. O felix eor, quod sic cordi Christi dulciter colligatur! Cujus laeva sub capite ejus, et dextera amplexatur! Recte tunc sponsus cum sponsa in cubiculo requiescit. Sed obsecro te, o anima, mihi narra dulcedinem quam sentis; quæso te, mihi delicias quibus cum spundo tuo Christo affluis, non occultes. Sed, ut bene video, me non audis, quia cor tuum absorptum est nimio præ dulcore, jam tui interpretis existentis in carcere es oblita; cerno enim te sic amœnitatem nimia esse raptam, ut jam non sit tibi vox penitus neque sensus: quicumque autem ad contemplationis quietem et dulcedinem, nisi per Christi lateris ostium voluerit introire, furem se reputet et latronem. » Unde Bernardus, Serm. 62 in Cantica, suadet directori spirituali, ut discipulo proponat Jesum, et hunc crucifixum, ut absque suo labore habitat in foraminibus petræ, in quibus non laboravit; nec verendum quod patiatur repulsam, qui et vocatur ut intret: « Ingredere, inquit, in petram, abscondere in fossa humo a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus; infirmæ adhuc et inertî animæ (quæ juxta quod in Evangelio quidam de semetipso confitetur, fodere non valet, mendicare erubescit) fossa ostenditur humus ubi lateat, donec convalescat et proficiat, ut possit et ipsa per se sibi cavare foramina in petra, per quæ intret ad interiora Verbi, animi utique vigore et puritate. » Sed ut magis hoc redemptionis beneficium in passione ac cruce Christi resplendeat, audi Bonaventuram ad septem capita in Libro de parvo bono, Particula 3, sic inter alia dicentem: « Ex hoc quod Agnus passus est, septem signacula libri aperta sunt; liber iste est universalis rerum notitia, in qua septem erant clausa homini, quæquidem sunt per passionis Christi efficaciam reserata: scilicet, Deus admirabilis, spiritus intelligibilis, mundus sensibilis, paradisus desiderabilis, infernus horribilis, virtus laudabilis, reatus culpabilis. Primo enim, Deus admirabilis manifestatus est nobis per crucem, esse summæ et in-

scrutabilis sapientiae, summæ et irreprehensibilis justitiae, summæ et inenarrabilis misericordiae; summa enim sua sapientia decepit diabolum, summa sua justitia quæsivit redemptionis pretium, summa sua misericordia pro nobis tradidit Filium suum: quæ, si diligenter considerentur, Deum nobis clarissime manifestant. Secundo, spiritus intelligibilis nobis manifestatus est per crucem secundum differentiam triplicem: scilicet, quantæ sit benignitatis quantum ad angelos; quantæ sit dignitatis, quantum ad homines; et quantæ sit crudelitatis, quantum ad dæmones: nam angeli permiserunt crucifigi Dominum suum, Dei Filius crucifixus est propter genus humanum, ethoc ad erudem suggestionem dæmonum. Tertio, mundus sensibilis nobis manifestatus est per crucem, quoniam est locus tenebrarum plenus; in quo regnat cæcitas, quoniam lucem veram et summam non cognovit; regnat sterilitas, quoniam Jesum Christum tanquam infructuosum despexit; et regnat impietas, quoniam Deum et Dominum suum, et amicum innocentem damnavit et interfecit. Quarto, paradisus desiderabilis nobis manifestatus est per crucem, in quo est fastigium totius glorie, spectaculum omnis letitiae, et promptuarium omnis opulentiae. Unde Deus, propter illam habitationem nobis restituendam, factus est pro nobis homo, scilicet vilis, miser et pauper, in quo celsitudo abjectionem induit, justitia reatum subiit, opulentia egestatem suscepit: nam altissimus Imperator accepit servitutem abjectam, ut sublimaremur in gloriam; justissimus Judex subiit reatum penalissimum, ut justificaremur a culpa; opulentissimus Dominus subiit egestatem extremam, ut loeupletaremur in copia. Quinto, infernus horribilis nobis manifestatus est per crucem, locus utique plenus omni egestate et penuria, vilitate et ignominia, et omni calamitate et miseria. Unde, si necesse fuit hæc Christum pati propter peccati deletionem, multo fortius oportet hæc pati damnatos, propter justam meritorum suorum retributionem. Sexto, manifestata est nobis per crucem virtus laudabilis, quantum scilicet sit pretiosa, speciosa, et fructuosa: vere pretiosa, quia potius voluit Christus vitam corporalem perdere, quam virtuti contraire; vere speciosa, quia in ipsis contumeliis relucebat; et vere fructuosa, quia unus actus perfectæ virtutis infernum spoliavit, cœlum aperuit, et perdita restauravit. Septimo, manifestatus est nobis per crucem reatus culpabilis, quantum sit detestabilis, cum ad sui remissionem indigeat tam magno

pretio, tam grandi piaculo, et tam difficili medicamento. Ecce igitur habes, quomodo in cruce omnia manifestantur, si bene ad haec septem reducantur, omnia enim ad haec septem reducuntur; unde ipsa crux vere beata, est clavis, porta, via, et splendor veritatis. » Hactenus Bonaventura. In hoc beneficio declarando fusius diximus, quia in ipso multa simul beneficia continentur.

Considera quinto beneficium vocationis ad fidem, quod pluribus quidem conceditur, sed multis negatur; misericorditer quidem conceditur, quibus conceditur, sed juste negatur quibus negatur. Vide quot extra Ecclesiam pereant, qui moraliter melius vivunt quam tu in Ecclesia. Beneficium magnum Dei est tibi concessum, quod in terris fidelium, quod a parentibus fidelibus nascereris : sine dubio vocavit te, ut justificaret te, et ut glorificaret te, nisi per te ipsum steterit; bene age, sequere vocantem, et confide de tua salute. Ut hoc beneficium Christus extolleret, dixit : « Multi sunt votati, pauci vero electi : » multi quidem, sive omnes, qui audiunt Evangelium, ex quibus pauci comparative eliguntur. Unde de hoc beneficio gloriatur Psalmista dicens : « Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. »

Considera sexto singula quæ Christus Ecclesiæ contulit beneficia, quorum, ut Ecclesiæ filius, particeps existis; nam, præter salutarem doctrinam, sacramenta concessit, quæ sunt fontes Salvatoris, et fluenta gratiæ; quibus facile fidelis regeneratus vitia relinquit, et virtutes acquirit ; sed, inter ea, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum attende, cuius dignitatem, utilitatem, et delicias infra declarabimus.

Considera septimo speciale beneficium vocationis ad statum religionis, non tam multis concessum. Attende terminum a quo te vocavit, sæculum scilicet nequam, in quo continuum est perditionis æternæ periculum. Attende terminum ad quem te vocavit, religionem videlicet, « in qua homo vivit purius, ambulat cautius, cadit rarius, surgit velocius, purgatur citius, irroratur frequentius, moritur confidentius, præmiatur copiosius. »

Considera octavo multa beneficia particularia Dei, variis in occasionibus concessa, tam circa animam quam circa corpus; quæ tu melius concipies, quam ego tibi possem exprimere. Attende, quoties te liberaverit a morte corporali, dum forte essem in peccato mortali; unde te etiam ab æterna damnatione misericorditer eripuit. At-

tende, quoties te a statu peccati mortalis ad statum gratiæ reduxit, et quoties te ab occasionibus peccandi liberavit, quoties denique a multis aliis tam animæ quam corporis miseriis eduxit, quæ singula sunt maxima Dei beneficia.

Ex hac beneficiorum Dei consideratione, debes gratiæ animi sensum colligere, ut tibi gratias infinitas agenti divinæ majestati plura concedantur, quæ tibi ingrato juste denegarentur : quia, ut ait Bernardus, « ingratitudo est ventus urens, siccans fluenta gratiæ, et fontes misericordiæ. » Debes etiam tibi persuadere, quod, nisi divinis bene utaris beneficiis, rationem reddes in die judicii, et inde damnationis sententiam accipies, ubi salvationis gratiam reperire potuisses. Scias quod « dum augmentur dona, rationes etiā crescent donorum ; » et concludas, cum sancto Gregorio, quod « tanto esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatorem esse conspicit in reddenda ratione. »

Prædictis harum omnium meditationum notitiis debet occupari memoria, saltem in principio conversionis, ut aliis nocivis et intulibus superius expressis evacuata, ac penitus liberata, soli Deo vacare possit, et ad contemplationem, hac purgatione memorie, anima valeat disponi.

## TRACTATUS II.

### DE PURGATIONE ACTIVA PARTIS AFFECTIVÆ, PER PŒNITENTIAM ET MORTIFICATIONEM.

Post considerationem purgationis activæ partis cognoscitivæ, statim considerandum occurrit de purgatione item activa partis affectivæ ; quæ scilicet fieri debet ab homine, divina præveniente gratia suaviter excitato, et eadem concomitante fortiter roborato. Active autem purgat homo infectam partem affectivam, cum, divinis auxiliis munitus, peccata et imperfectiones evacuat, vitiorum pravos habitus eradicat, passiones coercet inordinatas, refrænando rebelles earum motus : et sic ad pristinum innocentiae statum, unde sua culpa miserrime decidit, magno cum labore ac sudore vultus sui aliqualiter reddit. Huic activæ purgationi cooperatur appetitus etiam in licitis mortificatio ; de quibus omnibus variis agetur discursibus.

---

## DISCURSUS I.

### DE PECCATORUM ET IMPERFECTIONUM EVACUATIONE.

Ad perfectam affectus humani purgationem, illuminationi et unioni divinæ necessario prærequisitam (cum sit dispositio sine qua non, quia solum purgato Deus oculo videtur, et tantum mundo corde possidetur), tria per se et necessario requiruntur jam indicata. Primum est, peccatorum et imperfectionum jam existentium

evacuatio. Secundum est, vitiorum seu pravorum habituum, ex quibus, tanquam ex malis arboribus, venena peccatorum et imperfectionum pullulant, extirratio. Tertium est, passionum, ex quarum inordinatione velut ex corrupta radice, praedicta venena primitus oriuntur, refrænatio seu debita moderatio. De quibus sigillatim et ordinate dicetur: sed prius de peccatorum et imperfectionum evacuatione, cum per se magis immediate et directe continuati defectus actuales, quam habituales seu habitus defectuosi, spiritualis vitæ perfectioni contrariantur, ad quam incipientes per viam purgativam prope-  
rant, et paulatim inducuntur.

## ARTICULUS I.

### DEBENT INCIPIENTES PECCATA ET IMPERFECTIONES EX ANIMA EVACUARE.

In hoc maxime divina reluet misericordia, quæ superexaltat judicium, ac benigni et miserantis Dei charitas maxime erga nos commendatur, quod, « cum inimici essemus, ipse prior dilexit nos, » ait Apostolus; et cum assiduis divinam ipsius majestatem offensis provocaremus ad iram, ipse ad pacem nobiscum ineundam consueta sua misericordia propendit: discesseramus ab ipso, et in viis nostris pessimis errabamus diabolum sequuti, sed ipse pastor bonus vocavit nos tanquam oves errantes, et jam perditas ad suum ovile reduxit, non solum universalis beneficio redemptionis, sed etiam speciali vocatione, qua multos etiam gravissimos peccatores, de via lata iniquitatis variis et miris modis evocatos, ad perfectionis angustam semitam adducit. Varios et miros vocationis modos, de quibus partim supra disseruimus, Gregorius magnus, Homilia 36 in Evangelia, sic paucis describit: « Ecce Deus vocat per se, vocat per angelos, vocat per pastores, vocat plerumque per miracula, vocat plerumque per flagella, vocat aliquando per hujus mundi prospera, vocat aliquando per adversa. » Harum vocationum exempla facile est in medium adducere. Christus Dominus Saulum, adhuc spirantem minarum et cædis, et Damascum properantem, per se, sociis audientibus, vocat in via; de lupo feroci in agnum mansuetis-

simum convertit; de Christianorum persecutore, efficit christianæ fidei prædicatorem. Vocat per angelos pastores ad præsepe nati recenter Salvatoris; vocat et Cornelium centurionem. Vocat per Pastores jam vocatos, quamplures alios ad celebrandam Christi nativitatem. Vocat quotidie pene innumeros per miracula: nonne sic vocati sunt illi duo, quos refert Augustinus, Libro 8 Confessionum, Cap. 6, qui, vitam et miracula S. Antonii Abbatis legentes, exclamarunt attoniti: « Quid patimur? quid est hoc? quid audisti? Surgunt indocti, et cœlum rapiunt, et nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne et sanguine. » Vocat per flagella et adversa, scilicet, per poenarum temporalium vel æternarum timorem: sic vocavit S. Brunonem, qui, cum ad celeberrimi ejusdam magistri funus convenisset, accidit ut ad illa verba psallentium: « Responde mihi, » prima die se accusatum, secunda judicatum, tertia condemnatum ore proprio defunctus exclamaverit; rei novitate, ac certæ damnationis sententia percussus inter alios Bruno cum sex aliis familiaribus mundo renuntians, ad asperrimos Carthusiæ montes Deo servitus accessit. Vocat per prospera, cum per amoris signa peccatis induratum cor emollit, ut contigit in Maria Magdalena, quæ, a Christo Domino charitatis jaculo transfixa, et in lacrymas resoluta, ad ipsius corruit pedes.

Funiculi Adam, quibus a se vocatos trahit Dominus, duo sunt, timoris scilicet et amoris: funiculus timoris ordinarie præcedit, quo recenter justificati, propriæ perditionis timidi, et æternorum cruciatuum terroribus attoniti, virtutis iter arduum aggrediuntur, obedientes Apostolo præcipienti ut cum timore et tremore salutem nostram operemur; hic timor Domini est initium sapientiae, qui postmodum adveniente perfecta charitate recedit, perfecta quippe charitas foras mittit timorem, utique hunc servilem, timor enim filialis, ex majestate Patris coelestis dimans, perfectam, imo et fruitivam charitatem, per immensam omnium sæculorum æternitatem, comitatur. Nonnunquam tamen contingit, quod Deus aliquos a peccatorum et imperfectionum cœno ad eximum virtutis splendorem amoris funiculo trahat, hos maxime, quos virtutis amore potius quam formidine peñæ ad summam disposuit adducere perfectionem. Hunc vocationis et tractionis modum B. Laurentius Justitianus, Libro 2 de spirituali anim. resurrect., luculenter describit: « Gratia igitur, ait, lucens est radius a throno Dei procedens,

illuminans eorū, et divinæ voluntatis pandens arcana. Deus vero ipse est sol æternus invisibili luce corporalia et spiritualia universa perlustrans. Idem plane gratuita sua bonitate matutinam lucem in quorundam justicandorum cordibus oriri facit, quatenus ex cognitione munerum intelligent, quanta a Deo charitate diligentur. Singularis profecto est ista vocatio, quæ in beneficiorum cœlestium agitur speculo, per quam rationalis spiritus a suo torpore surgere, ac Deum suum toto affectu diligere cogitur, tot facibus spiritualibus irradiatur accensis, tot amoris casti stimulis agitatur, quot sunt dona, quæ a Domino sibi noscit esse impensa. Magna profecto insinuatæ hujus veritatis est vis, et præpotens istius lucis est virtus, quæ repentina suo splendore mentis dissolvit torporem, interiores propulsat tenebras, gratiam simul confert et vitam. Quocumque considerationis sue divertit aciem, quisquis illa effectus est dignus, reperit quo nutriatur, et a quo trahatur erectus. Nutriunt equidem meditantes exhibita a Deo beneficia eo suavius, eoque dulcior, quo frequentius animo revolvuntur, et in memoriae armario reconduntur. Manu quoque quadam spirituali jacentem erigunt et gratitudinis funiculis ad Deum trahunt, a quo eadem percepisse cognoscunt. Nequaquam (ut arbitror), in peccati morte diu jacere valet exanimis, cuicunque ex infuso lumine donatum est beneficiorum numerositatem tractare secum, et corde gustare.»

Quisquis ad perfectionis semitam a Deo vocatur, statim a principio peccata et imperfectiones e corde suo debet evacuare : peccata quippe mortalia, gratiam sanctificantem et charitatem excludentia, non solum perfectionem impediunt, verum etiam spiritualem animæ mortem inferunt; peccata vero venialia et imperfectiones, charitatis fervorem minuentia, properantem in via perfectionis retardant : unde necesse est, quod qui in eadem perfectionis via currere, et ad ejus terminum fauste ac feliciter pervenire desiderat, non solum peccata, sed etiam imperfectiones evacuet, et quo liberior erit ab imperfectionibus, eo facilius et gloriosius inceptum iter virtutis percurret. Quod ut melius percipiatur, peccati tam mortalis, quam venialis et imperfectionis moralis naturam opus est explicare. Et, quamvis de his more theologicō fusius alibi a nobis dictum sit, hic tamen aliqua ex multis illis sunt ad nostrum intentum apponenda. Peccatum igitur generaliter sumptum, est dictum, factum, vel concupitum contra, aut præter legem aeternam; mor-

tale quidem est contra legem, veniale est præter legem : mortale, destructo debito ordine ad ultimum finem, præcepta quoque ad ultimum finem dirigentia dissolvit; veniale autem, servato ad dictum finem debito ordine, præcepta quidem ad illum dirigentia relinquit intacta, sed tamen eis parum conformatur.

Unde peccatum mortale, ut ab illo tanquam a graviori incipiamus, definitur ab Augustino, quod sit « legis transgressio, seu hominis inordinatio atque perversitas. » Ab Ambrosio autem definitur quod sit « divinæ legis transgressio, ac cœlestium inobedientia mandatorum. » Ex quibus manifeste declaratur, quam recte B. Joannes Apostolus peccatum vocet iniquitatem, dum, 1 sua Catholica, Cap. 3, inquit : « Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit ; et peccatum est iniquitas ; » quid enim aliud est iniquitas quam privatio sive transgressio aequi, vel exorbitatio ab eo, quod per legem saltem æternam et naturalem justum et aequum est? Sed, quia præcepta legis quædam sunt affirmativa, quæ faciendum aliquid injungunt, et alia negativa, quæ prohibent aliquid faciendum, inde est quod transgressio priorum dicitur peccatum omissionis, transgressio vero posteriorum dicitur peccatum commissionis. Inter quæ discriben obligandi notandum est : præcepta quippe affirmativa semper quidem obligant, sed non ad semper seu pro semper ; præcepta vero negativa semper, et ad semper seu pro semper obligant. Fœditatem, malitiam, gravitatem, aliasque malas peccati mortalis conditions postea describentur, ratione quarum a quolibet fideli debet abhorri et penitus evacuari; ad præsens vero intentum dicere sufficit, quod iter perfectionis omnino præcludit. Et quia peccatum veniale et imperfectiones currentem in via perfectionis retardant, debent similiter evacuari, ut sic impedimentum omne currendi per viam mandatorum Dei removeatur. Sed maxime peccatorum mortalium insistendum est evacuationi : ipsa quippe divinam solvunt amicitiam, spiritualem animæ mortem inferunt, et peccatorem diaboli filium efficiunt, multaque alia causant damna, quæ per se et directe peccata venialia et imperfectiones non causant. Unde ait Augustinus : « Quamvis diabolus sit author et princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli facit quocumque peccatum ; peccant enim et filii Dei, quoniam si dixerint se non habere peccatum, seipso seducunt, et veritas in eis non est ; sed ea conditione peccant, qua sunt filii adhuc hujus saeculi ; qua vero gratia sunt filii Dei, non utique peccant, quia

omnis qui natus est ex Deo, non peccat. Illa tamen peccata, sive mortalia, sive venialia, præsertim evacuanda sunt, quæ sponte et malitiose committuntur : licet enim peccatum omne, utpote ad genus moris pertinens, debeat esse voluntarium, non tamen omnia sunt æque voluntaria; quedam namque vel nimia dæmonis tentatione, vel forti passionum impugnatione, vel aliqua subreptione, vel etiam ignorantia redduntur secundum quid involuntaria, in quantum prædicta voluntatem a suo connaturali modo volendi detorquent, ita ut non solum agat, sed etiam agatur. Alia tamen sunt, quæ a voluntate predictis libera, et sponte ad malum inclinata procedunt, quæ proinde sunt omnino voluntaria, nihilque habent admixtum involuntarii; unde, ex hac parte, majoris sunt malitiae et deformitatis.

Sicut inter peccata mortalia, ex parte generalis aversionis ab incommutabili bono inter se aequalia, reperitur essentialis inæqualitas specifica ex parte conversionis indebitæ ad bonum commutabile, scilicet ad objectum magis aut minus difforme regulis morum; sic inter peccata venialia reperitur inæqualitas, essentialis quidem ex parte objecti, et accidentalis ex parte circumstantiarum, quæ proinde graviora et leviora dicuntur. Unde solent authores tria quasi genera peccatorum venialium assignare, comparata ligno, et stipulae, per Apostolum, 1 ad Cor. Cap. 3, indicata, dum ait: « Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc (scilicet Christum) aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuecujusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit: si cuius opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet; si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen salvus erit, sic tamen quasi per ignem. » Christus Dominus est fundamentum spiritualis ædificii, supra quod ædificant justi, secundum illud Apostoli in eodem loco: « Fundamentum enim aliud nemo ponere potest præter id quod positum est, quod est Christus Jesus: » superædificant autem aurum, argentum, et lapides pretiosos, id est bona opera mente concepta, sermone proposita, et exemplo confirmata, ut expavit Anselmus dicens: « In auro sensus occultus designatur, in argento sermo docens, in lapidibus pretiosis opera Deo placentia. Aurum sapientiae, quod in occulto sensu ejus est, in cordis arcane splendet vero lumine Dei; superædificat iste et argentum, id est nitorem sanctæ eloquentiæ, qua docet alios, et lapides pretiosos, id est

exempla virtutum et bonorum operum, quibus adornat ea quæ loquitur sive cogitat.» Sed justi, quantumcumque virtutibus eminentes, huic spirituali ædificio lignum, fœnum, et stipulam admiscent, dum, bene vivendo et secundum legem divinam operando, peccata venialia multiplici via committunt, quæ sine speciali privilegio, Christi proprio, et Sanctissimæ ejus Matri communicato, vitari non possunt. Hanc tradit doctrinam D. Thomas, 1. 2, Q. 89, Art. 2, dicens : « Ipsa peccata venialia, quæ admiscent se procurantibus terrena, significantur per lignum, fœnum et stipulam : sicut enim hujusmodi congregantur in domo, et non pertinent ad substantiam ædificii, et possunt comburi ædificio remanente, ita etiam peccata venialia multiplicantur in homine, manente spirituali ædificio, et pro istis patitur ignem, vel temporalis tribulationis in hac vita, vel purgatorii post hanc vitam, et tamen salutem consequitur æternam.» Quorum peccatorum discrimina, predictis tribus indicata, sic amplius explicat noster Cyrillus, L. 14 in Leviticum, ostendens omnia quidem esse levia et inter ipsa quædam leviora, quædam levissima; ait enim : « In quo manifeste ostenditur esse quædam peccata ita levia, ut stipulae comparentur, cui utique ignis illatus diu non potest immorari. Alia vero fœno esse similia, quæ et ipsa non difficulter ignis absumat, verum aliquanto tardius quam stipulis immoretur. Alia vero esse, quæ lignis conferuntur, in quibus, pro qualitate criminum, diuturnum et grande pabulum ignis inveniat. Ita ergo unumquodque peccatum, pro qualitate, vel quantitate sui, pœnarum justa persolvit. »

Imperfectio quoque, sive confundatur cum peccato veniali, et sumatur positive pro actu defectuoso quoad substantiam, sive distinguatur a peccato veniali, etsumatur privative pro modali defectu actus debiti, puta pro parentia justæ intentionis, vel alterius circumstantiæ concomitantis, opponitur summæ perfectioni unionis cum Deo, ad quam hujusmodi incipientes aspirant; unde etiam evacuanda est.

## ARTICULUS II.

DE MOTIVIS, PROPTER QUÆ DEBENT INCIPIENTES PECCATA  
ET IMPERFECTIONES EVACUARE.

Plura et gravia sunt motiva, propter quæ debent incipientes peccata et imperfectiones evacuare. Nam, præter illud intrinsecum jam articulo præcedenti designatum, quod scilicet perfectioni, ad quam aspirant et tendunt, opponuntur, alia diversa a sanctis Patribus aliisque doctoribus proponuntur, in præsenti sigillatim examinanda, quamvis de his etiam alibi fiat mentio. Peccatum mortale est summum malum, quod homini accidere potest, et plurima confert detrimenta, sive ex parte Dei, sive ex parte ipsius peccatoris, sive ex parte proximi illud consideremus. Si consideretur ex parte Dei, multiplicem continet malitiam, utpote injuria seu offensa ipsi intentata: nam est virtualis destructio ipsius Dei, est expressa transgressio legis ipsius, tam æternæ, quam naturalis et positivæ, ac proinde ipsius ut legislatoris est formalis despectus; unde, ex hac parte, malitiam continet infinitam.

Si consideretur ex parte ipsius peccatoris, innumera secum affert damna: inimicum Dei constituit; diaboli filium efficit; maculam in anima, et æternæ pœnae reatum causat; rationalem naturam inficit; mortem spiritualem et lethales morbos, servitutem, imo et captivitatem, dolorem, infamiam, et miserrimam paupertatem inducit, ut jam superius dictum est, et statim amplius ostendetur.

Si tandem consideretur ex parte proximi, diversa etiam confert detrimenta: nam, præter illa quæ directe ac immediate justitiam laedunt, et contra proximum committuntur, vitam, honorem, aut aliquod temporale bonum ejus tollentia, omne peccatum exterius apparens scandalum ei præbet, sive totalis ruinæ præstat occasionem; et quamvis peccata venialia et imperfectiones tanta non afferant detrimenta, multa tamen afferunt, et ad mortalia peccata disponunt.

Quis neget peccatum mortale, ex assignato dupli capite, non esse injuriam seu offensam Deo intentatam, quantum ad affectum saltem interpretativum et virtualem ipsius peccatoris? Esto non intendat

ordinarie Deum offendere, hoc enim diabolicæ est malitiæ ; tamen peccando, virtualiter et interpretative vult ipsum offendere, imo et destruere. Quod si Deum in seipso non destruat nec offendat, ex supereminenti Dei natura procedit, qui, sicut bonorum nostrorum non indiget, ut sit undequaque beatus, sic nec malitia nostra lœdi potest. Constat autem hanc injuriam Deo intentatam esse gravissimam et infinitæ malitiæ : si quippe in humanis gravitas injuria ex vilitate personæ offendentis, ex dignitate personæ offensæ, et ex qualitate illati nocimenti consideratur, ut ex graduali inductione manifeste patet, nonne ex infinita vilitate creature Deum offendentis, ex infinita dignitate Dei creatoris offensi, et ex infinite nocumenti intentati (peccator enim peccando mortaliter Deum destruere saltem virtualiter intendit), infinitam peccati malitiam colligemus ?

Peccatum mortale divinam solvit amicitiam, gratiam videlicet sanctificantem, et individuam comitem seu filiam charitatem, in qua sola supernaturalis amicitia Dei consistit, expellendo ; unde peccatorem inimicum Dei constituit. Propterea dicit Apostolus, quod qui diligit mundum, et leges ejus peccando observat, inimicus Dei constitutur. Peccatum peccatorem diaboli filium efficit ; dicitur enim, 1 Joannis 3: « Qui facit peccatum, ex diabolo est (tanquam ex patre scilicet procedens) quoniam ab initio diabolus peccat. » Unde Judæi peccatores maligni sic a Christo Domino, Joannis 8, redarguntur : « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. » Et merito peccatores filii diaboli nuncupantur, tum quasi naturales, tum adoptivi : naturales quidem, quia propriam et jam con naturalem sibi malitiam, suggestione et inspiratione, diabolus illis communicat ; adoptivi autem, quia peccatores, non natura sed ipsorum malitia sibi subordinatos, ita volentes subjugat diabolus, ut in eos eamdem ac patres in filios adoptivos exerceat autoritatem, aut potius tyrannidem. Unde Augustinus, 8 Confessionum, Cap. 5, ait de seipso peccatore ante conversionem : « Suspirabam ego, ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate ; velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constringerat me : quippe ex voluntate perversa facta est libido ; dum servitur libidini, facta est consuetudo ; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas ; quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (unde catenam appellavi), tenebat me obstrictum dura servitus, etc. » Peccatum

maculam inducit in anima, magnam quidem mortale, parvam autem veniale. Mortale quippe duplum offuscat nitorem : unum ex refulgentia luminis naturalis rationis oriundum, per quem homo dirigitur in suis actibus ; alium vero ex refulgentia divini luminis, scilicet sapientiae et gratiae, dimanantem, per quem etiam homo perficitur ad bene et decenter operandum. Hæc autem carentia nitoris, per peccatum inducta, mystice macula vocatur ; et merito, nam, ut explicat D. Thomas, 1. 2, Quæst. 86, Art. 1, macula proprie dicitur in corporalibus, quando aliquod corpus nitidum perdit suum nitorem ex contactu alterius corporis, sicut vestis, et aurum, et argentum aut aliud hujusmodi : unde, cum in spiritualibus, ad similitudinem hujus, oporteat maculam dici, et aliunde sit quasi quidam animæ tactus ad rem sordidam, cum indebitè per amorem aliquibus rebus inhæret, tunc nitorem et rationis et gratiae perdit, et sic metaphorice ac mystice maculam incurrit, quæ tamdiu in anima remanet, donec, per contrarium motum, ad lumen rationis legisque divinæ (per gratiam denuo collatam) homo redeat. Peccatum mortale pœna æternæ reatum inducit : cum enim peccator tali peccato charitatem excludens, irreparabiliter, quantum est ex parte ipsius, ordinem creaturæ rationalis ad ultimum finem pervertat, unde talis perversitas ex eodem capite est æterna; inde est quod peccatori pœna debetur æterna; perversori quippe alicujus ordinis tamdiu pœna debetur, quamdiu manet ejusdem ordinis perversitas. Peccatum mortale rationalem naturam inficit, per hoc quod bonum rationis diminuit, connaturalem scilicet inclinationem ejus ad virtutem, quæ est bonum honestum rationi consentaneum, diminuendo, non quidem per subtractionem, sed tantum per impedimenti oppositionem. Unde, quamvis a suo motu connaturali, quo fertur in virtutem, retardetur, nunquam tamen potest hoc bonum rationis extingui : sicut enim per peccatum fieri non potest, ut homo desinat esse rationalis, sic bonum naturæ, quod est naturalis inclinatio ad virtutem, homini conveniens ex hoc ipso quod rationalis est, non potest per peccatum ab eo in totum auferri.

Peccatum mortale sic nominatur, quod spiritualem animæ mortem afferat : vita siquidem animæ est gratia sanctificans, virtutibus et donis supernaturalibus ab ea dimanantibus sociata, per gratiam quippe sanctificantem, quæ est divinæ naturæ formalissime consideratae participatio, cum Petrus Apostolus per eam doceat nos

« divinæ fieri consortes naturæ, » supernaturale ac divinum Esse participamus; per virtutes autem et dona supernaturalia, quæ sunt divinarum perfectionum et proprietatum derivationes, animæ facultates seu potentiae ad propria objecta supernaturales consequuntur motus, ac divinis potentiis uniformes redduntur, ita quod intellectus creatus, per habitum fidei, primam veritatem divinam attingat in seipsa, et creata voluntas, per charitatem, summam bonitatem divinam immeditate in seipsa complectatur. Nonne ergo peccatum mortale spiritualem animæ mortem inducit, cum gratiam sanctificantem ex ejus substantia, et virtutes ac dona supernaturalia ex ejus potentiis excludat? Vix fides et spes remanent, nam etiam illa per peccatum infidelitatis, ista vero per peccatum desperationis evacuatur. Unde Gregorius ait : « Quid est peccatum, nisi mors? Hinc etenim scriptum est : non est in morte qui memor sit tui. Et iterum : intravit mors per fenestras nostras. » Et Bernardus, ex analogia mortis corporalis, ita demonstrat : « An aliud mors corporis est, nisi cum sensu privatur et vita? Peccatum, quod mors animæ est, nec compunctionis mihi sensum, nec confessionis reliquerat vocem, et eram mortuus. Venit is qui peccata dimittit, et utrumque restituit, et dicit animæ meæ : Salus tua ego sum. » Peccatum mortale lethales animæ causat morbos, dum per ipsum mali habitus seu pravæ dispositiones generantur, quæ etiam redeunte per pœnitentiam gratia remanent, et ad simile peccatum mortale inducunt. Unde merito dicitur Psalmo 15 : « Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt; » et Psalmo 37 : « Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. » Peccatum inducit servitutem, imo et captivitatem : unde, Joannis 8, Veritas incarnata dicit : « Amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati. » Et quidem servitutis voluntariæ causam adducit Apostolus, ad Rom. 6, dicens : « Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obediens ad justitiam. » Servitutis autem quasi necessariæ causam adducit S. Petrus, in 2 Catholica, Cap. 2, dicens : « A quo quis superatus est, hujus est servus. » Miserrimam igitur, sive voluntariam, sive necessariam peccatores subeunt peccati servitutem et captivitatem. Peccatum inducit dolorem : ipsum experiuntur peccatores; nam, coacti veritate, fateri tenentur quod via perfectionis, per quam justi ambulant, plana et

facilis est, etsi difficilis aliquando appareat; iniquitatis autem via, per quam peccatores late videntur incedere, multum ardua et per-difficilis est. Audiamus ipsos, Sapientie Cap.5, de utroque loquentes: « Videntes (scilicet impii) turbabuntur timore horribili, et mirabun-tur in subitatione insperatae salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes: hi sunt quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam et finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors il-lorum est. Ergo erravimus a via veritatis, et justitiae lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? » Et subdunt quod haec omnia tran-sierunt tanquam umbra, tanquam nuntius percurrens, tanquam navis, tanquam avis volans in aere, aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum. Hi sunt, qui summam in creaturis felicitatem paulo ante constituebant; unde mutuo se ad earum fruitionem exhortabantur: « Venite ergo, inquiunt, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter; vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis; coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra; nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ, ubique relinquamus signa lætitiae, quoniam haec est pars nostra, et haec est sors. » Peccatum inducit infamiam peccatoris, non solum coram Deo et angelis ejus, sed etiam coram hominibus: pro-prietas quippe virtutis est, tanquam boni honesti, quod sit laudabilis; sicut proprietas vitii est, tanquam mali moralis, quod sit damna-bilis, et ab omnibus vituperabilis. Quamvis enim impii suæ con-sortes impietatis nonnunquam exterius laudent, ut sic suæ patroci-nentur impietati, in corde tamen, conscientiae stimulis acti, et bono-rum extollere virtutes, et malorum vitia solent condemnare; et justos interius laudant, quos foris vitant; et iniquos in anima des-piciunt, quos corpore frequentant.

Tandem peccatum inducit miserrimam paupertatem: semper enim omnes thesauros sapientiae et scientiae Dei, gratiam videlicet sanctificatam, qua divinae sumus consortes naturæ, omnes virtutes infusas (excepta fide et spe theologica), omniaque dona superna-

turalia miserrime dissipat, quibus exclusis, infelici mendicitati subjicitur anima; maxime, quia jure cœlestis regni manet spoliata. Unde Chrysostomus, Homilia 5 de Providentia, dicit: « Nihil est peccante pauperius. » Si omnia forent adducenda quæ peccatum mortale causat detrimenta, propter quæ debet evacuari, nunquam concluderemus, sanctorum Patrum et Scripturæ sacrae autoritatem proferendo. Unde, cum Chrysostomo, Homilia 9 in 1 ad Cor., vivis coloribus illud depingamus: « Barbarum, inquit, peccatum est, quod, cum animam semel captam, ita ut contra persuaderi nesciat, in suis sordibus demerserit, sub tyrannidem redigit: nihil enim tam præter rationem est, quam peccatum; nihil tam stultum, nihil tam fatuum, nihil tam vehemens; omnia evertit, confundit, perdit; quocumque inciderit, visu injucundum est, grave, onerosum. Quod si quis pector effingeret, non sane mihi errare videretur, si in hunc modum id pingaret, feminam quamdam in feræ similitudinem, barbaram, ignem efflantem, horrendam, nigram, quales externi Poëtae Scyllas effingunt: innumeris enim manibus, nostris insidiatur cogitationibus, et inopinantes aggreditur; omnia dilacerat, more canum claneulum mordentium. » Hactenus Chrysostomus. Quis ergo tam immane monstrum de finibus suis non expellet? Quis tantum malum ex anima sua non evacuabit? Si omnes alii, qui gloriae Dei et propriae saluti uteumque invigilant, hujusmodi expulsioni et evacuationi debent insistere, multo magis incipientes, qui, viam purgativam ingredientes, majori gloriae Dei, et speciali virtutis perfectioni attendunt, vires nervosque omnes debent intendere, ut peccatorum tam mortalium, quam venialium, imo et imperfectionum, omnimodam emundationem procurent.

### ARTICULUS III.

#### DE ORDINARIA PECCATORUM ET IMPERFECTIONUM EVACUATIONE, PER SACRAMENTUM PÆNITENTIÆ.

Motiva omnia, propter quæ debent incipientes peccata et imperfectiones evacuare, unico comprehendimus articulo: quilibet enim ad perfectionem aspirans non solum capiet adducta motiva; sed etiam ex illis facile sibi persuadebit se virtutis iter inceptum pro-

sequi non posse, nisi prius ex animo peccata et imperfectiones evacuaverit; hæc enim in intentionis ordine, multo faciliori, consistunt; sed ubi ad ordinem executionis acceditur, novæ et majores apparent difficultates antea non prævisæ, et vix per multa media mandature executioni, quod ante per quodlibet eorum executioni facile mandandum credebatur. Unde, per plures articulos de variis peccata et imperfectiones evacuandi mediis disseremus.

Primum et ordinarium hujus evacuationis medium, ad hoc per se primo ac directe divinitus institutum, est Pœnitentiae Sacramentum, quod, licet admodum difficile peccatoribus appareat, utilissimum tamen, certissimum, et humilibus purgationis viam ingressus suavissimum est. Utilissimum, quia dispensatione divina contritum facit de attrito. Certissimum, quia major moralis certitudo haberi de peccatorum remissione non potest, quam per Sacramentum pœnitentiae: quam vis enim supernaturalis actus attritionis de peccatis ad illud prærequiratur, cum proposito future emendationis, qui sine gratia non potest elici, quia tamen in honesto amore concupiscentiae fundatur (procedit enim vel ex fœditate peccati, vel ex inferni concepto timore, vel ex orto gloriæ desiderio), est multo facilior quam actus contritionis ad peccatorum emundationem extra Sacramentum requisitus, cum hic in puro amore amicitiæ radicetur: plures enim sunt, qui proprio studentes commodo, Deum amore concupiscentiæ ament, quam qui, summae bonitati divinæ attentes, eum amore puro amicitie diligent.

In sacramento Pœnitentiae fit ordinaria peccatorum et imperfectionum evacuatio: siquidem hoc sacramentum mortuorum a Christo Domino fuit institutum, ad tollendos omnes defectus morales propria voluntate post baptismum commissos. Ejus namque materia remota sunt omnia et singula fidelium peccata; mortalia quidem materia necessaria, venialia vero sunt materia sufficiens; et materia proxima sunt actus pœnitentis, scilicet contritio vel attritio, confessio, et satisfactio. Cujus ratio est, quia peccata, ut detestanda, sunt materia remota sacramenti pœnitentiae, ut statim amplius declarabitur; constat autem quod vere peccata detestari non possunt, nisi concurrant tres actus assignati ex parte pœnitentis, scilicet dolor de ipsis, qui vel sit perfectus contritionis, vel saltem imperfectus attritionis; confessio, quia pœnitens sua peccata supremo judici Christo et ministris ejus absolvenda subjicit; et

satisfactio aliqua, qua pœnitens offenso Deo satisfaciat, se contritum ostendat, et propositum emendationis manifestet.

Peccatum dividitur in originale et actuale : originale non propria voluntate committitur, sed cum natura ex primo parente contrahitur ; actuale propria voluntate commissum, vel accidit ante baptismum susceptum, vel post illud. Peccatum originale per baptismum evacuatur ; ordinarie quidem, per baptismum fluminis seu aquæ elementaris, quod est sacramentum ; extraordinarie vero, per baptismum sanguinis sive martyrium, quando quis catechumenus, suscipiendo non habens occasionem baptismi, in testimonium fidei mortem subit, vel etiam per baptismum fluminis, id est per actum charitatis conjunctum desiderio baptismi. Unde nullo modo pertinet nec ad sacramentum pœnitentiæ, nec ad virtutem pœnitentiæ proprie dictam, licet pertineat ad pœnitentiam, ut importat quamdam displicantiam. Non quidem pertinet ad sacramentum pœnitentiæ, quia per baptismum, quod est primum sacramentorum, mundatur, dum homo spiritualiter regeneratur ; nec pertinet ad virtutem pœnitentiæ proprie dictæ, quia pœnitentia proprie dicta tantum est de peccatis propria voluntate commissis, hæc enim importat contritionem cordis per peccatum indurati, constat autem quod peccatum originale non est propria voluntate commissum, sed est commissum voluntate primi parentis merito nobis imputata, respectu cuius fuit peccatum actuale. Quod autem pertineat ad pœnitentiam, ut importat quamdam displicantiam, ex eo constat quod de omni peccato contra Deum commisso, quale est peccatum originale, displicantiam habere debemus; non quod ex præcepto teneamus formales actus odii et displicantiae circa hoc peccatum habere, sed ex quadam tantum decentia ad illud detestandum obligamur, dum ejus occurrit memoria, ut docet D. Thomas, in 4, Dist. 6.

Peccatum actuale, commissum ante baptismum, pertinet ad pœnitentiam, ut est virtus, non autem ut est sacramentum. Quod pertineat ad pœnitentiam, ut est virtus, probatur ex illo Actuum 8, ubi dicitur : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum. » Et merito, nam si quis multum peccasset ante baptismum, et ad illud accederet absque pœnitentia seu dolore peccatorum, cum fundamento judicaretur habere voluntatem in illis perseverandi, et sic fructum baptismi non recipere. Quod autem non pertineat ad pœnitentiam, ut est sacramentum, ex eo demonstratur quod pœni-

tentia, prout sacramentum, est quoddam judicium, quo judicat Ecclesia de peccatis absolvens illa, ut ex hujus sacramenti forma constat, qua, post confessionem peccatorum, minister Ecclesiæ dicit: « Ego te absolvo a peccatis tuis; » ut autem Ecclesia judicet de peccatis, debet in illa jurisdictionem habere; non autem habet jurisdictionem in peccata ante baptismum facta, quia, cum baptismus sit Ecclesiæ janua, per illum solum Ecclesiam ingredimur: unde per illum solum incipit in nos et res nostras habere jurisdictionem. Ex quo sequitur, quod omnia et sola peccata, post susceptum in re baptismum commissa, sunt materia sacramenti pœnitentiae: peccata quidem mortalia sunt materia necessaria, id est necessario confitenda; peccata vero venialia sunt materia sufficiens ad hoc sacramentum. Sic habetur ex apostolica traditione, ex communi consensu fidelium, et ex definitione concilii Tridentini, Sess. 14.

Qui igitur peccata sua per sacramentum pœnitentiae (quæ dicitur secunda post naufragium tabula, baptismus enim est prima), desiderat evacuare, debet se ad sacramenti receptionem apte præparare. Primo, debet conscientiam examinare, quantum sufficit moraliter, ut omnium peccatorum mortalium recordari possit; nam, ut dictum est, non tenetur ad confitenda venialia, nec est possibile quod omnia advertat et retineat. Secundo, debet, hoc sufficienti examine facto, tunc omnia peccata simul occurrentia detestari, ut sunt injuria Deo facta seu intentata; sub hac enim ratione formali continentur etiam peccata non occurrentia; qui namque peccata detestatur in particulari, quia sunt injuria Deo facta, præsumitur detestari sub hac ratione formali, et virtualiter detestatur omnia sua peccata sub hac ratione formali contenta: quod necesse est observare, ut de peccatis omnibus habeatur attritio sive contritio saltem virtualis, ad sacramentum pœnitentiae necessaria. Tertio, debet cum summa humilitate, ad majorem sacramenti effectum, non semel veniam a Deo petere, dicens ex corde cum Propheta: « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. » Unde, odio habens peccatum, propter motivum aliquod supernaturale, vel quia excludit a regno coelesti, vel quia reum facit inferni, vel quia Deum offendit, propositum emendationis efficax eliciat. Quarto, cum eadem humilitate dispositus, ac sic contritus, accedat ad confessionem, omnia confiteatur peccata mortalicia, non solum quantum ad speciem, sed etiam quantum ad numerum, si fieri possit; quod si non possit, dicat se

commisisse tale peccatum tot circiter vicibus ; vel si fuerit assuetus illud committere, dicat se toto illo temporis spatio, v. g., unius anni illud commisisse, tot circiter vicibus qualibet hebdomada, vel quolibet die, ut saltem formetur aliquis conceptus de magno ejus numero; dicat circumstantias speciem mutantes, et hoc ex necessitate sacramenti ; dicat etiam, ad majorem ejus perfectionem, alias circumstantias aggravantes. Quantum ad peccata venialia, dicat saltem præcipua, et quorum emendationem principaliter intendit ; quod si solum habeat peccata venialia tunc confitenda, prout accidit viris devotis et religiosis, in fine confessionis accuset se de peccatis vitæ præteritæ saltem in communi, vel quantum ad aliquam speciem : non quod peccata venialia non sufficient ad sacramentum, sed ad exitandam contritionem facilius, ex recordatione peccatorum vitæ præteritæ, quæ valde displicent, quam forte non haberet ex sola consideratione peccatorum venialium, quæ quotidie committuntur, nec ita certum est displicere : necessarium est autem ad validitatem sacramenti quod habeatur contritio perfecta vel imperfecta de peccatis ; procuret autem habere perfectam, quantum fieri poterit, tum quia utilior est pœnitenti, tum quia tutior, dum enim perfectam procurat, saltem habebit imperfectam. Posset autem habere formulam eliciendi actum contritionis, quæ ipsum moveat, cuius exemplum articulo sequenti proponetur. Ad facilem autem methodum confessionis, bonum esset percurrere mandata Dei, et dicere quod occurrit circa singula ; ad hæc enim facile cuncta reducuntur peccata : et sic commodius pro pœnitente, et pro confessore compendiosius fit confessio. Quinto tandem, debet impositam a confessore pœnitentiam seu satisfactionem injunctam humiliter admittere : debet enim peccator Deo satisfacere pro injuriis divinæ majestati illatis. Unde, præter voluntariam retractationem ejus quod peccando factum est, in qua est contritio ; præter humiliem subjectionem illi factam, qui gerit personam Dei tanquam ejus minister, quæ fit per confessionem peccatorum ; requiritur quod, ex parte peccatoris, Deo fiat aliqua reparatio pro injuria ipsi intentata, quæ fit per injunctam pœnitenti satisfactionem arbitrio confessoris ut ministri Christi et judicis in hac causa.

In hoc igitur sacramento pœnitentiae, summa peccatori fit misericordia, dum ei peccata contra Deum commissa gratis remittuntur.

tur, per sententiam judicis ab ipso Deo constituti, qua misericorditer absolvitur, et ad pristinam Dei reducitur amicitiam; ita ut non sit jam impius, injustus, Dei inimicus, filius diaboli, reus æternæ damnationis; sed sit sanctus, justus, Dei amicus, adoptivus ejus filius, et haeres regni cœlestis. Unde multo facilius nunc in lege gratiæ peccatores justificantur hujus virtute sacramenti, quam vel in lege naturæ, vel in lege scripta justificarentur: tunc enim ad justificationem requirebatur actus perfectæ contritionis, nunc autem solum requiritur actus imperfectæ contritionis seu attritionis; per hoc namque sacramentum peccator de attrito fit contritus: certum est autem, quod, ex natura rei, facilius est homini præsertim peccatori actum attritionis habere fundatum in amore concupiscentiæ, ut dictum est, quam habere actum contritionis fundatum in puro amore amicitiæ, quamvis ad utrumque requiratur auxilium divinæ gratiæ: naturæ siquidem et præsertim corruptæ connaturalius est attendere utilitati propriæ per amorem concupiscentiæ, quam divinæ gloriæ per actum purum amicitiæ. Unde, quamvis ex obligatione confessionis Ecclesiæ ministris factæ, non leve fuerit onus impositum peccatori, ut ex ipsa colligitur naturali repugnantia, quam quilibet patitur in revelandis peccatis suis et maxime latentibus in secreto cordis, quæ vellet etiam ipsi Deo celare si posset, hæc tamen repugnantia facile vincitur, si consideret quod et ipse confessor homo est similis ipsi circumdatus infirmitate, qua possit pœnitentibus compati, et eos in Domino solari; cui cooperatur tam libertas in confessore diligendo magis idoneo, quam strictissimum confessio-  
nis sigillum, multo majus secreto naturali, quo tenetur confessor sic de peccatis in confessione auditis silere, ut non solum cum aliis, sed nec cum ipso pœnitente loqui de eis valeat extra confessionem, nisi prius obtenta ejusdem permissione, dum in ejus bonum et utilitatem oportet de eis loqui. Aliunde vero, hoc onus impositum multipliciter compensatur, tum ex majori certitudine morali, quod in sacramento peccata remittantur quam extra sacramentum, propter rationem adductam, unde maximum oritur animæ solatium in testimonio conscientiæ fundatum; tum ex uberiori fructu qui colligitur in sacramento pœnitentiæ, qui per solam virtutem pœnitentiæ haberis non posset. Quod sic ostenditur: nam cuilibet pœnitenti, ad pœnitentiæ sacramentum accedenti cum minima sufficienti dispositione, conferatur gratia, sacramenti hujus virtuti et naturæ, juxta Christi institu-

tionem correspondens ; si vero dispositio crescat per intensionem et multiplicationem actuum ipsius pœnitentis, non solum confertur major gratia ex opere operantis, sive debita talibus actibus, etiam si extra sacramentum fierent, sed etiam confertur major gratia ex opere operato, seu virtute sacramenti, quod agit ad instar agentis naturalis, ita ut perfectiorem habeat effectum sue virtuti correspondenter in subjecto magis disposito : unde eidem actui virtutis dispositivo subjecti duplex correspondet portio gratiae, ex adducto duplice principio. Deinde vix exprimi potest, quantum peccator avertatur a peccando, tum concepta obligatione manifestandi peccata, tum salutaribus confessoris exhortationibus, tum propositis ab eo mediis, quibus ea facile potest evitare.

Advertat peccator, ut æque sit confessori fidelis ac Deo in sua confessione, manifestando scilicet sua omnia peccata; et sciat quod per pœnitentiam unum peccatum mortale sine alio remitti non potest : quod duplici ratione D. Thomæ, 3 P., Q. 86, Art. 3, probatur. Prima est, quia peccatum non potest remitti sine infusione gratiae : unde, cum omne peccatum opponatur gratiae, ita ut simul esse non possint aliquid peccatum (scilicet mortale, de quo loquimur) et gratia, sequitur vel quod non infundatur gratia, et sic nullum peccatum remittatur, vel, si gratia infundatur, omnia peccata remittantur. Secunda ratio est, quia sine vera pœnitentia nullum potest peccatum remitti : constat autem quod, ut sit vera pœnitentia, debet pœnitens detestari peccatum ut est offensa Dei ; eum igitur sub hac ratione communi offensæ Dei contineantur omnia peccata, sequitur quod omnia peccata detestatur, cum rationem omnibus communem detestetur : unde vel remittuntur omnia, vel nullum absolute remittitur. Sit tandem pœnitens fidelis in complenda satisfactione sibi per confessorem imposta, ne de novo peccet ex ejus omissione ; et credat sibi maximum factum esse beneficium, dum æterna et gravissima inferni pœna, cuius reatus per peccatum mortale solet incurri, in brevissimam et levissimam commutatur.

## ARTICULUS IV.

DE PECCATORUM ET IMPERFECTIONUM EVACUATIONE, PER  
VIRTUTEM PÆNITENTIÆ.

Etsi verum sit quod nullum actuale peccatum, post baptismum commissum, sine sacramento pœnitentiae remittitur, non semper tamen requiritur, ad peccatorum evacuationem, quod hoc sacramentum in re suscipiatur, sed aliquando sufficit quod sit in voto susceptum.

Tunc autem ad peccati mortalis remissionem necessario requiritur, de via saltem ordinaria, perfectæ contritionis actus, qui per se loquendo sit formalis actus virtutis pœnitentiae; per accidens tamen potest remitti peccatum mortale per actum virtualem pœnitentiae. Quod ad remissionem peccati mortalis, per se loquendo, requiratur actus formalis pœnitentiae, seu actus quo formaliter detestamur peccata a nobis commissa, prout sunt offensa Dei, constat auctoritate sacrae Scripturæ, ubi tum apud Prophetas, tum alibi passim injungitur peccatori, ut de peccatis commissis pœnitentiam agens veniam a Deo humiliter deposcat. Cujus ratio manifesta est, nam dum aliquis recordatur se contra Deum peccasse, et non detestatur peccata tunc occurrentia, dolens quod illa commiserit, voluntarie censemur in illis manere, et, quoad affectum habitualem, illis adhaerere: unde remanet habitualiter aversus a Deo; quamdiu vero manet aliquis aversus a Deo, peccatorum remissionem consequi non valet, imo nec actum charitatis elicere, nam alias simul esset aversus a Deo, et ad ipsum conversus. Quod autem, per accidens, peccatum mortale remitti possit per actum virtualem penitentiae, puta per actum charitatis, ex eo patet, quia in moralibus eo ipso quod aliquis convertitur ad terminum ad quem, avertitur etiam a termino a quo, quatenus opposito ad terminum ad quem: unde, cum per actum charitatis homo convertatur ad Deum summe dilectum, incommutabile bonum, tanquam ad terminum ad quem et ultimum finem, simul avertitur a termino a quo, scilicet bono commutabili creaturæ, quod peccando elegerat tanquam ultimum finem, et simul censemur detestari peccatum.

Debet igitur peccator, qui peccati mortalis conscientiam habet, nec sacramenti pœnitentiæ beneficio frui potest, maxime noctu dum it cubitum, vel dum urget aliquod periculum, auxiliis divinæ gratie præventus, in seipso veræ et perfecte contritionis actum excitare, et ad Deum conversus ita cum humilitate summa dicere : Domine Jesu Christe, Deus et homo verus, creator et redemptor meus, quia summe es bonus in teipso, imo bonitas ipsa per essentiam, ac proinde propter te ipsum summe amabilis, amo te super omnia, et toto corde doleo quod te tam bonum offenderim, ita quod sola bonitas tua sit mei causa doloris, non metus inferni, nec jactura regni cœlestis, nec alind quodvis extra te, Domine ; licet nec infernus, nec paradiſus foret, æque de meis peccatis propter te solum offendum dolerem. Firmiter statuo me nunquam in posterum peccatum, et ab omnibus peccandi recessurum occasionibus ; propono me prima commoditate peccata mea confessurum, et completurum injunctam mihi pœnitentiam. Insuper offero divinæ majestati tuae vitam meam, cogitationes, et operationes, omnes motus et labores meos, deinde totum me ipsum cum omnibus ad me spectantibus in meorum satisfactionem peccatorum. Et sicut te, Deus meus, et Pater meus, (cujus non sum dignus vocari filius propter multitudinem iniquitatum mearum, quibus in te peccavi et malum coram te feci) suppliciter deprecor ut mihi parcas, sic in summa bonitate tua et infinita misericordia certissime confido quod mihi parcas, propter amarissimam passionem tuam, ac pretiosissimum sanguinem tuum pro nobis effusum, et mihi concedas gratiam emendationis ac perseverantiae in bonis operibus usque ad mortem : sic confido, quia te scio misericordem, qui dixisti per tuum Prophetam : « Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat ; » et per te ipsum affirmasti in Evangelio, quod « erit in cœlo gaudium super uno peccatore pœnitentiam agente. »

Poterit, his vel similibus verbis, se ad contritionem peccatorum sub ratione offendæ Deo factæ, ad perfectum etiam charitatis seu amoris Dei actum excitare; et, ex una parte, divinorum in se beneficiorum consideratione, ex alia vero parte, gravitatis peccatorum contraria beneficium Dominum meditatione bonum erit uti. Potius prorumpat in verba et sensus doloris, qui ex corde procedant, quam qui bene componantur. Quod si aliquam habuerit alicujus sancti Patris orationem ad contritionis sensum ordinatam, cuius prolatione se plu-

rimum videat excitari, bonum est ut illa utatur. Sed optimum erit, si devotissimam regis Manasse poenitentis orationem, in fine Bibliorum adductam, et alibi in hoc opere adducendam, recitet; cum enim pie credatur fuisse a Spiritu Sancto inspiratam, et per eam fuisse justificatum regem prædictum, peccatorem prius maximum, sine dubio magnam vim habet ad excitandum contritionis affectum; et certe verba ejus efficacissima possunt etiam cor lapideum emollire. Vel etiam poterit uti verbis sacrae Scripturæ, hinc inde repertis, ad poenitentiam excitantibus. Sæpius, si opus fuerit, reiteret, ut sic magis spiritus contritionis in ipso commoveatur.

Tunc etiam bonum erit, divinum suppliciter auxilium implorare, ad eliciendum veræ ac perfectæ contritionis actum; et etiam, ad illud obtinendum, sanctos suos patronos adhibere intercessores, præcipue sanctum Angelum custodem suum, et super omnes Beatisimam Virginem Dei Matrem. Unde dicat ei cum S. Bernardo: « Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excusat apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, et humilitas Deo grata nostræ veniam impetrat vanitatis; copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et fœcunditas gloriosa fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta. Fac, o benedicta, per gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, ut qui, te mediente, fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriæ nostræ, te quoque intercedente, participes faciat nos gloriae et beatitudinis suæ, Jesus-Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen. »

Sic igitur ad remissionem peccati requiritur actus poenitentiae ex parte peccatoris, qui saltem sit attritio in sacramento, et perfecta contritio extra sacramentum, secundum legem ordinariam, quod etiam de potentia Dei absoluta remitti sine aliquo actu poenitentiae, formaliter vel virtualiter, perfecto vel imperfecto, non possit actuale peccatum mortale, ut docet D. Thomas, 3 P., Q. 86, Art. 2, ubi dicit quod est impossibile peccatum actuale mortale sine poenitentia remitti, loquendo de poenitentia quæ est virtus. Et sic probat: « Offensa peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa a

Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem divinae offenditæ, quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ et proposito emendationis, quod pertinet ad rationem pœnitentie, secundum quod est virtus : et ideo, impossibile est quod peccatum alicui remittatur sine pœnitentia secundum quod est virtus.» Quæ ratio D. Thomæ sic aliquantum expenditur et declaratur : ad remissionem peccati requiritur necessario et indispensabiliter, quod tollatur deordinatio hominis a Deo tanquam ab ultimo fine, per peccatum inducta ; quamdiu enim manet homo deordinatus a Deo ultimo fine, tamdiu manet peccatum in homine, et solum tollitur peccatum, quando sublata tali deordinatione, iterum ordinatur homo ad Deum, universalem et suum finem ultimum. Hæc autem deordinatio per peccatum inducta, non est voluntatis ut natura est, sed ut est potentia formaliter libera ; voluntas namque creata duplice habet ordinem ad Deum ultimum finem. Primum ordinem habet ut est natura, et talis ordo penitus est immobilis, implicat enim quod sit creatura aliqua, quæ non referatur ad Deum creatorem suum, primum principium simul et ultimum finem, quia ratio primi principii et ratio ultimi finis in eodem reperiuntur. Unde dicitur de Deo : « Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.» Secundum ordinem habet ad Deum ultimum finem ut est libera, quatenus eligit ipsum ut ultimum finem suarum actionum, et talis ordo tollitur, quoties voluntas se avertit a Deo bono incommutabili, et se convertit indebite ad creature bonum commutabile, et sic remanet voluntas, ut libera, per peccatum deordinata, et tunc tantum fit peccati remissio, quando fit reparatio talis deordinationis, et pristinus ordo restituitur : est autem impossibile, quod deordinatio voluntatis ut potentiae liberae reparetur, et pristinus ordo ipsius ad Deum ultimum finem restituatur, nisi per actum liberum ipsius se in Deum bonum incommutabile convertentis, et simul se a bono commutabili creature, cui indebite adhærebat, avertentis ; quamdiu namque voluntas non facit actum contrarium ei quo se averterat a Deo et converterat ad creaturam, tamdiu censetur habitualiter perseverare hæc aversio a Deo et indebita conversio ad creaturam, ac proinde deordinatio peccati. Unde, quamvis gratia sanctificans, infusa animæ dispositæ, voluntatem ordinet, medio charitatis habitu, non solum ut naturam, sed etiam ut liberam, imo

principaliter ipsam ordinet ut liberam, sicut ex contrario colligitur, nam ex privatione gratiae solum est deordinata voluntas ut libera, ad ejus tamen infusionem, in anima peccatrice, prærequiritur actus pœnitentiae, propter rationem adductam. Propterea, quamvis concedatur quod gratia sanctificans possit infundi peccatori dormienti secundum generalem rationem habitus, non tamen potest infundi secundum specialem rationem, qua est talis habitus habens justificare voluntatem ut liberam. Ut igitur deordinatio libera voluntatis ex parte nostri reparetur, requiritur aliquis actus pœnitentiae; ut autem totaliter reparetur, requiritur simul infusio gratiae.

Ex dictis inferimus primo, quod actus pœnitentiae, neque in sacramento, neque extra sacramentum, est causa formalis perfectiva justificationis peccatoris; hæc enim causa formalis est gratia sanctificans, permanens in justis sive vigilantibus sive dormientibus, ut docet Concilium Tridentinum, Sessione 6, Cap. 7. Inferimus secundo, quod actus pœnitentiae extra sacramentum, est causa efficiens dispositiva gratiae, qui namque pœnitet de peccatis disponitur ad gratiam; sed in sacramento est causa efficiens perfectiva gratiae, quia forma et materia sacramenti pœnitentiae concurrunt efficenter et physice ad productionem gratiae, actus autem pœnitentis sunt materia hujus sacramenti. Inferimus tertio, quod habitus pœnitentiae est tam causa formalis perfectiva justificationis, quam causa efficiens dispositiva ad ipsam justificationem: est quidem causa formalis perfectiva, quia supernaturalis habitus pœnitentiae est virtus annexa gratiae, constat autem quod gratia, et virtutes supernaturales ipsi annexæ, sunt causa formalis perfectiva justificationis; est autem causa efficiens dispositiva, quia actus pœnitentiae est causa efficiens dispositiva justificationis, et hic actus procedit vel procedere potest ab habitu pœnitentiae, qui presupponitur in anima ad gratiam secundum esse completum consideratam, prout scilicet justificat animam; licet ipsam presupponat in esse incompleto et inchoativo, prout est elicativa virtutum.

## ARTICULUS V.

DE ALIIS MEDIIS, QUIBUS PECCATA ET IMPERFECTIO NES  
EVACUANTUR.

Plura sunt alia media, præter sacramentum et virtutem pœnitentiæ, quibus peccata et imperfectiones evacuantur, quamvis semper sit necessarius aliquis actus pœnitentiae, saltem virtualis, ut dictum est; de quibus in præsenti disserimus.

Primum medium est martyrium, ob perfectissimum actum amoris Dei seu charitatis in eo repertum; « majorem enim charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » Hujus igitur ratione charitatis maxima, qua quis propter Deum et in odium fidei mortem subit, martyrium habet, non solum omnia peccata actualia, verum etiam peccatum originale penitus evacuare, tam quoad culpam quam quoad pœnam. Unde martyr, quantumcumque fuerit peccator, recte in cœlum evolat, quia martyrium est baptismus sanguinis. Debet igitur ille, qui capitur aut rapitur ad martyrium, si conscientiam vel actualis vel originalis peccati habeat, desiderare baptismum aut pœnitentiæ sacramentum; quod si recipere non possit, doleat et conteratur de peccatis actualibus; deinde statim animum applicet ad considerandum ea que fortius et suavius ipsum animare possunt ad subeundum martyrium. Et primo, quam sit res Deo grata mori pro ipso; secundo, quam sit Christo Domino et Ecclesiæ honorifica; tertio, quanti sit meriti et præmii; quarto, quam magnum ei conferatur beneficium, quod a Deo prætot aliis eligatur ut sit martyr, proprio sanguine fidem catholicam attestando. Hæc enim motiva et delectabiles in martyrio considerationes miris modis animum ad patiendum elevant, quem continua peccatorum cogitatio potius deprimeret. Unde, ut dictum est, facto contritionis actu, statim animum ad consideranda hujusmodi motiva debet applicare.

Secundum medium est receptio sacramentorum Ecclesiæ. Ad cuius evidentiam, sciendum est quod sacramenta quædam dicuntur vivorum, alia vero mortuorum; quia quædam sunt ordinata pro viventibus vita spirituali animæ per gratiam; et sunt tria in bo-

num singularium personarum, videlicet Confirmatio, Eucharistia, et Extrema-Unctio; et duo in bonum totius reipublicæ christianæ, videlicet Ordo, et Matrimonium. Alia vero sunt ordinata pro mortuis in vita spirituali, sive pro peccatoribus parentibus gratia sanctificante, quæ est vita animæ, videlicet Baptismus et Pœnitentia. Ex quibus constat, quod illa quinque priora sacramenta non habent ex vi primariae suæ institutionis, evanescere peccata, vel causare primam gratiam, cum gratiam in subjecto supponant; sed tantum ista duo posteriora hunc habent effectum. Cum hoc tamen stat, quod sicut, ex vi secundariae institutionis, sacramenta mortuorum habent causare secundam gratiam seu augmentum gratiæ, sic sacramenta vivorum, ex secundaria sua institutione, habent causare primam gratiam, et evanescere peccatum mortale. Quod asserimus in præsenti, et docet expresse D. Thomas, 3 P., Q. 79, Art. 3, in Eucharistiam; ait enim: « Hoc sacramentum perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cuius conscientiam et affectum non habet (forte enim primo non fuit sufficienter contritus) sed devote et reverenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficit et remissionem peccati. » Quod sic declaratur: si quis peccatum mortale commiserit, et oblitus postea sumat Eucharistiam, vel Extremam-Unctionem, vel etiam alia vivorum sacramenta cum ordinaria dispositione, credens se debite ad illa accedere, non appareat, cur debeat negari talem recipere gratiam in illo sacramentorum usu, cum malitiose non apponat obicem. Concilium enim Tridentinum, Sess. 7, Can. 6, definit sacramenta novæ legis, nulla limitatione posita, continere primam gratiam, eamque conferre non ponentibus obicem. Maxime, quia communiter conceditur, sacramenta mortuorum sæpe causare secundam gratiam, non obstante primaria eorum institutione. Nam, si quis ante susceptum realiter baptisma justificetur, vel propter actum contritionis, ut conceditur de Cornelio Centurione, vel ex actu charitatis, vel etiam ex pura Dei misericordia, et postea suscepit baptismum (tenetur enim illum recipere, quamvis sciret se justificatum), vere reciperet gratiam, quam semper causant sacramenta in non ponentibus obicem: non primam, quia jam præsupponitur, sed secundam. Similiter, si quis accedens ad sacramentum pœnitentiæ, peccata tantum venalia, vel etiam mortalia jam dimissa confiteatur, quia non commisit alia, vere recipit gratiam, ut apud

fideles est indubitatum, et Ecclesiæ laudabili usu comprobatum; non primam, quia subjectum supponitur existens in gratia, sed recipit secundam. Unde etiam, ex iisdem principiis, debet concedi sacramenta vivorum aliquando primam causare gratiam, non obstante primaria eorum institutione; præsertim, cum sit major necessitas primæ gratiæ quam secundæ gratiæ, ad summam pertinuit Dei bonitatem, providere quod sacramenta vivorum aliquando primam causarent gratiam in suscipientibus sine malitia.

Tertium medium est receptio sacramentalium, sed tantum respectu peccatorum venialium. Pro cuius intelligentia, notandum est illa proprie vocari sacramentalia, quæ consistunt in aliqua Ecclesiæ consecratione, ut est aqua benedicta, benedictio episcopalis, oratio in ecclesia dedicata; sed lato modo omnes illos actus, qui præ se ferunt aliquam sanctitatem, sive qui illam manifestant, ut est confessio generalis, tunsio pectoris, Oratio Dominicæ, etc. Dicimus igitur, quod hæc omnia remittunt peccata venialia, sed tantum ex opere operantis. De sacramentalibus lato modo sumptis ex se patet, quia consistunt in aliquo actu contritionis aut attritionis. De aliis vero sacramentalibus proprie sumptis sic ostenditur. Primo quidem, quod hæc sacramentalia remittant aliquo modo peccata venialia, constat ex communi traditione et consensu Ecclesiæ; item ex epistola Alexandri I, qui servari jubet in ecclesia aquam sale aspersam, ad sanctificationem et emendationem. Secundo, hæc sacramentalia non remittunt peccata venialia, per hoc quod ex opere operato dispositionem suscipientis imperfectam et insufficientem reddant perfectam et sufficientem; hoc enim falsum est, alias eamdem haberent ac sacraenta virtutem, quod nullus dicet catholicus. Tertio, nec remittunt peccata venialia, per hoc quod causent ex opere operato supernaturale aliquod auxilium, quo quis elevatur ad eliciendum actum per quem evaenientur peccata venialia: nam si sacramentalia ex opere operato tale causarent auxilium, semper illud eodem modo causarent, et suscipiens sacramentalia semper talem elicere actum, et tamen videmus contrarium. Quarto, dicimus quod sacramentalia per hoc remittunt peccata venialia, quod applicant nobis intercessionem Ecclesiæ deprecantis Deum, ut congruum suscipienti conferat auxilium, quo præventus et adjutus elicere valeat actum contritionis, aut charitatis, aut similem ad evacuanda peccata venialia. Unde, sicut sacraenta nobis applicant interces-

sionem et merita Christi, sic sacramentalia nobis applicant intercessionem et merita Ecclesiæ. Et sic patet quod totum quod causant sacramentalia, est per modum impetrationis, et ex opere operantis, ut docet D. Thomas, Q. 7, de Malo.

Quartum medium, quod potius deservit ad vitanda quam ad evanquanda peccata, est victoria temptationum; quando scilicet quis, dum urgentem in aliqua peccati materia videt temptationem, contra illam viriliter agit, et legitime certando devincit, quod est de peccato gloriiosius triumphare, quam si semel admissum evacuaretur. Hæc autem victoria temptationum debet obtineri, divino auxilio implorato, vel per resistentiam temptationibus factam, vel etiam et melius per exercitium virtutum oppositarum temptationibus; ut, si quis eliciat actum fidei, dum contra fidem tentatur; si exerceat actum mansuetudinis, dum ad iram provocatur.

Quintum denique medium, quod etiam magis deservit ad vitanda peccata quam ad evanquanda, est fuga temptationum seu occasionis temptationum: quod medium semper est tutum, et in aliquibus materiis necessarium, quales sunt illæ quarum præsentia vehementer accenditur appetitus concupiscibilis, et ordinarie rapitur, præter ordinem rationis, ad objecta sibi proportionata; hæ materiæ sunt in cibis et venereis. Unde, dum adest tentatio vel contra abstinentiam vel contra castitatem, tutum erit, imo necessarium est fugere occasiones quibus hujusmodi tentatio potest augeri; quin etiam est magis meritorium, quam in occasionibus velle resistere, quod forte temeritate multum damnabili et periculo non caret. Quamvis igitur sit gloriiosius vincere resistendo, dum occasiones accident in inevitabiles, quam fugere dum possunt vitari, e contra tamen gloriiosius est et magis meritorium fugere quam resistere, dum possunt occasiones vitari. Sed de his satis, quia fusius alibi dicitur.

## ARTICULUS VI.

### DE RELIQUIARUM PECCATORUM EVACUATIONE.

Peccatum omne, sive commissionis sive omissionis, est contra legem, saltem æternam et naturalem: unde est ipsi essentiale, quod sit injuria seu offensa Dei, ut Legislatoris; nam qui transgre-

ditur legem ab aliquo impositam sciens et volens, et cum sufficienti cognitione legislatoris ipsius, ut contingit in peccatore, vere legislatorem ipsum offendit, ita ut transgressio et prævaricatio legis sic facta sit offensa et injuria legislatoris ipsius. Est etiam peccato essentiale, quod sit injuria Dei ut ultimi finis, tam naturalis quam supernaturalis, ut explicatum est supra. Unde ratio injuriæ et ratio defectus moralis in peccato non sunt ex æquo distinctæ ac impermixtæ; nec una est superior, alia inferior; sed se mutuo includunt. Hic autem defectus sive malitia moralis in peccato commissionis, non est denominatio realis extrinseca, nec est purum ens rationis; sed est aliiquid saltem realiter a parte rei, eo prorsus modo quo sunt privationes et negationes. Et ita ratio formalis constitutiva peccati commissionis non est aliiquid positivum, totum namque positivum, quod in actu peccati commissionis reperitur, ad materiale talis peccati spectat; sed est aliiquid privativum, privatio scilicet rectitudinis in actu peccaminoso, ad quam consequitur privatio rectitudinis in persona peccatoris. Idem, quantum ad hoc, dicendum de peccato omissionis, cum hac tamen differentia quod actus in eo repertus, non est materiale ipsius, sicut est peccati commissionis, sed tantum est causa vel occasio; quamvis sit moraliter malus intrinsece, et eadem malitia morali, qua ipsum peccatum omissionis, etiamsi alias sit bonus. Essentia igitur peccati consistit in hac privatione rectitudinis, sive in deordinatione ipsius ad leges, quæ sunt regulæ morum, et ad ultimum finem.

Præter hanc deordinationem peccato essentialiem, plures ei assignantur effectus mali, videlicet: macula, quæ, tam in actu per se primo, quam ex consequenti, dicit in persona, tum privationem nitoris gratiæ, tum privationem nitoris provenientis ex lumine rationis; deinde est reatus poenæ, aternæ quidem, si peccatum sit mortale, temporalis autem, si peccatum sit veniale; item diminutio naturalis inclinationis ad bonum morale, per appositionem pravorum dispositionum; ac denique mors et alii defectus corporales.

Hi omnes effectus mali possunt dici reliquiæ peccatorum: unde disserentes in præsenti de reliquiarum peccatorum evaevatione, de his omnibus sigillatim, sed de aliquibus breviter tantum agemus.

Quantum igitur ad maculam, certum est quod per remissionem peccati totaliter evaevatur: nam, sicut hæc macula privationem importat, tam nitoris provenientis ex gratia, quam provenientis ex

lumine rationis, consequentem actum deordinatum; sic, per reparationem gratiae in actu contritionis, et similiter per reparationem luminis rationis in eodem actu, conformi tum ad legem æternam, tum ad naturalem, evacuatur haec macula, et refulget anima reparato utroque nitore.

Quantum ad reatum pœnæ, tam damni quam sensus, qui per omne peccatum actuale inducitur (per peccatum enim originale non inducitur reatus pœnæ sensus, sed tantum inducitur reatus pœnæ damni, ut puram dicit visionis beatificæ privationem), per sacramentum, aut etiam per virtutem pœnitentiæ, semper secundum quid evacuatur, aliquando vero totaliter. Quod sic declaratur: per omne peccatum actuale, sive veniale aut mortale, sive commissionis aut omissionis, inducitur reatus pœnæ, tam damni quam sensus, ut dictum est; per peccatum quidem mortale, inducitur per se reatus pœnæ æternæ, quia, ut docet D. Thomas, 3 P., Q. 87, Art. 5, tamdiu debetur pœna peccato, quamdiu durat ejus deordinatio, ratione cuius ei debetur pœna; constat autem quod inducta deordinatio per peccatum mortale, ex propria sua ratione, et ex parte ipsius, peccatoris, durat in æternum, quia, quantum ad ipsam attinet, est irreparabilis, solum enim potest reparari per infusionem gratiae sanctificantis conjunctam actui supernaturali contritionis, quæ non sunt in manu peccatoris, sed tantum in voluntate Dei miserentis. Per peccatum autem veniale, non inducitur per se reatus pœnæ æternæ, sed tantum pœnæ temporalis, quia per ipsum non inducitur deordinatio simpliciter seu ab ultimo fine, unde facile reparatur deordinatio secundum quid, seu circa media, per ipsum inducta; bene tamen per accidens per peccatum veniale inducitur reatus pœnæ æternæ, quatenus scilicet conjunctum mortali, nec dimissum in hac vita, ratione status damnationis habet culpam et deordinationem irreparabilem. Reatus igitur pœnæ æternæ secundum quid evacuatur in justificatione ordinaria, sive fiat per sacramentum, sive per virtutem pœnitentiæ; pœna siquidem æterna mutatur in temporalem, ita quod injustus, reus æternæ pœnæ, per justificationem desinit esse reus talis pœnæ, et manet tantum reus pœnæ temporalis, vel in purgatorio post hanc vitam luendæ, vel in hac vita per opera pœnitentiæ et satisfactoria compensandæ. In justificatione vero extraordinaria, reatus pœnæ æternæ totaliter evanescit, quando scilicet quis vel eminentissimo contritionis et cha-

ritatis actu justificatur, vel in ipsa justificatione plenariam luca-  
tur indulgentiam. In primo quippe casu, tam sublimi contritionis  
et charitatis actu meretur, ut Deus, non solum culpam suorum pec-  
catorum, sed etiam totam poenam eis debitam liberaliter condonet;  
si namque inter homines haec liberalis, tam culpe quam poenae, con-  
donatio reperitur, dum qui offendit alium, extraordinaria submis-  
sione ac displicantia, pro illata injuria, personae satisfacit offensae,  
multo magis in Deo reperitur, qui totus bonus, totus liberalis, totus  
misericors est. In secundo casu, supplet infinita Christi merita  
nobis per Ecclesiam applicata; unde tunc copiosa ejus satisfactio  
plenariam totius et culpæ et poenae meretur indulgentiam.

Quantum ad diminutionem naturalis inclinationis ad bonum mo-  
rale, quia fit per appositionem pravarum dispositionum, dicimus  
quod non statim evacuatur in justificatione, sicut nec in illa præ-  
dictæ pravæ dispositiones evanescunt. Ad cujus evidentiam, sciendū  
est quod inclinatio naturalis ad bonum honestum seu ad vir-  
tutem, diminuitur in nobis per quodlibet peccatum actuale, sive  
commissionis aut omissionis, sive mortale aut veniale, ut ipsa dis-  
cimus experientia, non quidem per remotionem alicujus intrinseci,  
sed per extrinseci appositionem impedimenti; nunquam tamen po-  
test totaliter extingui, quia tale impedimentum (scilicet vitium  
multiplex ad contrarium virtutis inclinans), quantumcumque radi-  
cetur, augeatur, intendatur, semper est rationis dictamini, seu na-  
turæ rationali, ad bonum honestum rationi consentaneum seipsa  
propensæ, subordinatum. Quia vero per justificationem non  
omnino tolluntur pravæ dispositiones peccatorum effectus, nec  
etiam totaliter evacuatur diminutio naturalis inclinationis ad bo-  
num morale, ut etiam ipsa constat experientia. Et quamvis de hoc,  
Discursu sequenti, fusius disseremus, bonum tamen erit in praesenti  
rationem D. Thomæ proponere, qui, 3 P., Q. 86, Art. 5, sic ait: « Pe-  
ccatum mortale (et idem dicendum de veniali quantum ad hoc), ex  
parte conversionis inordinate ad bonum commutabile, quamdam  
dispositionem causat in anima, vel etiam habitum, si actus frequen-  
ter iteretur: culpa vero peccati mortalis remittitur, in quantum tol-  
litur per gratiam aversio mentis a Deo, sublato autem eo quod est  
ex parte aversionis, nihilominus remanere potest id quod est ex  
parte conversionis inordinate, cum hanc contingat esse sine illa.  
Et ideo, nihil prohibet quin remissa culpa remaneant dispositiones

ex præcedentibus actibus causatæ, quæ dicuntur peccati reliquiæ; remanent tamen debilitatæ, et diminutæ, ita quod homini non dominentur; et hoc magis per modum dispositionum, quam per modum habituum, sicut etiam remanet fomes post Baptismum. »

Quantum ad mortem et alios defectus corporales (qui sunt effectus peccati originalis, et sæpius etiam peccati actualis tam quoad materiale quam quoad formale considerati, consequenter tamen ad peccatum originale, et ad corruptionem humanæ naturæ; unde supposito originali peccato et corruptione naturæ, sunt quodammodo naturales homini), dicimus quod in justificatione non evacuantur, sed in nobis relinquuntur, tum ad satisfactionem peccatorum actuallium, tum ad continuum meriti augmentum, tum ad imitationem Christi Domini nostri, qui propter nos tales defectus pati voluit; justum igitur est, ut nos ipsi illos patiamur propter nos ipsos. In resurrectione tamen evacuabuntur, quia resurgemus incorruptibles, impassibiles, et immortales, ad imitationem Capitis nostri, qui « jam non moritur, nec mors ultra illi dominabitur. » Salvator ergo noster perfecte ruinas omnes peccati reparavit, et omnium reliquiarum ejus evacuationem meruit, vel in præsenti vita, vel in futura faciendam, juxta consilium sapientiæ suæ: « ipsi gloria in saecula. »

---

## DISCURSUS II.

### DE VITIORUM ERADICATIONE.

Vitium simul est effectus et causa peccatorum: effectus quidem præcedentium peccatorum, quibus iteratis generatur; causa vero subsequentium, ad quæ voluntatem inclinat. Dum igitur aliquis peccatum in aliqua materia committit, puta furti, per ejusdem peccati iterationem acquiritur quædam dispositio prava, quæ peccatorem inclinat ad facile, imo et delectabiliter, peccandum in eadem materia; quod ipsa probatur experientia, videmus enim quod non tam facile quis in principio furatur, sicut in fine. Hæc

prava dispositio paulatim per actuum frequentationem augetur, magisque radicatur, ita ut habeat naturam et perfectionem habitus difficile mobilis a subjecto, et quodammodo transeat in naturam, vitium namque radicatum pro natura inolevit. Unde non tam evacuandum dici potest vitium, quam eradicandum et extirpandum; consistit enim in habitu radicato, et non in actu transeunte ad instar peccati. Qui autem vult peccata vitare vel evacuare, debet eradicare vitia, quae sunt cause et principia peccatorum.

## ARTICULUS I.

### DE NATURA VITIORUM.

Quia vitium aliquo modo virtuti opponitur, ut articulo sequenti declarabitur, inde est quod vitium definitur aut describitur per oppositionem ad virtutem. Sic illud describit Bernardus, Sermone ad Fratres de monte Dei: « Vitium est privatio virtutis; cuius vastitas et enormitas tanta est, ut obruat et opprimat; foeditas tanta, ut inquiet et inficiat; adhæsio tam pertinax consuetudinis, ut vix a se eam natura executiat. Vitium igitur est quasi corruptus humor, qui non in corpore, sed in anima morbos peccatorum procreat, plagas et feda vulnera generat, et spiritualem salutem dominari non sinit. Vitium est radix mortis, et omnium malorum origo quia et origo peccati, in quo omnium malorum cumulus invenitur. Vitium est indicium infamiae, et signum ignominiæ, quod illo affectos a nobilium, id est studiosorum ac perfectorum hominum, consortio repellit. Vitium est sordidum indumentum, quod nos ad nuptias Agni vocatos, illius convivio et mensa reddit indignos. Vitium est catena, et vinculum animam in carcere rerum terrenarum detinens. Vitium est laqueus, de quo dictum est: « In via hæc qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi, » quod nos servos adversarii humani generis ac mancipia constituit.

D. Thomas, 1. 2, Q. 1, Art. 1, docet quod « vitium uniuscujusque rei est in hoc quod non sit disposita secundum quod convenit suæ naturæ. » Cui consonat Augustinus, Lib. 3, de Libero Arbitrio, Cap. 14, dicens: « Quod perfectioni naturæ deesse perspexeris, id voca vitium. »

Ex quo sequitur, quod vitium deordinat naturam, deviando scilicet a regula, et in hoc convenit cum peccato; differt tamen in hoc quod vitium dicit habitum seu dispositionem permanentem, peccatum vero dicit actum secundum et transeuntem: quamvis aliquando etiam, in sacra Scriptura, vitium sumatur pro peccato, et peccatum pro vitio. Vitium igitur deviat a regula per modum actus primi inclinantis ad actionem deordinatam, peccatum vero deviat per modum actus secundi. Sed, quia triplex est regula, videlicet naturalis, artificialis, et moralis sive rationis, propterea vitia et peccata sunt in triplici differentia: quedam namque sunt naturæ, scilicet quicumque defectus naturales; alia sunt artis, scilicet defectus in artium exercitio contingentes; alia sunt moralia sive rationis, scilicet defectus circa regulas morum, et haec simpliciter et absolute dicuntur vitia et peccata. De vitiis in genere morum in præsenti tantum agimus, de peccatis enim supra jam actum est.

Possunt, ex tradita D. Thomæ doctrina, multæ colligi definitiones aut descriptiones vitii, in idem tamen coincidentes. Quidam dicunt quod vitium est aegritudo animæ, virtutis ab ea sanitatem tollens. Alii dicunt quod est deformitas animæ, ejus pulchritudinem a virtute provenientem deturpans. Alii, quod est curvitas animæ, virtutis rectitudinem tollens. Alii, et conformiter ad doctrinam D. Thomæ, dicunt quod est prava dispositio ex peccato reicta, et ad peccandum inclinans.

Sicut igitur virtus est sanitas anima, qua servatur incorrupta et fortis in seipsa; qua disponitur ad operandum secundum regulas morum facile, constanter, et delectabiliter; qua sic operando potest omnes diaboli tentationes vincere, legitime certare, cœlum violenter rapere, ac de cunctis inimicis triumphare: sic vitium est aegritudo et infirmitas animæ, qua debilitatur, languet, deficit, et paulatim corrupta peccati mortem incurrit anima; qua disponitur ad facile et delectabiliter operandum, preter et contra regulas morum, scilicet contra legem æternam, contra naturalem, et contra positivam; qua facile diaboli tentanti consentit, ad omnia quæ voluerit iniqua perpetranda; qua fugit de certamine; qua nec ad cœlum aspirare potest; qua debilitata facile vincitur ab inimicis.

Sicut virtus est animæ pulchritudo, qua in seipsa rite composita, in suis potentiis ornata, et in suis operibus nitida, Deo suo creatori, redemptori, patri, et sponso placet, ita quod ipse Deus, ejus affectu

captus et quasi raptus in admirationem, dicat: «Quam pulchra es, et quam decora charissima in deliciis! Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te. Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?» sic vitium est animæ deformitas hanc pulchritudinem deturpans, qua, super carbones denigrata, super omnem immunitatem feedata, tanto displicet Deo, quanto prius placebat; tanto est apud ipsum in horrore, quanto prius fuit in deliciis; tanto fit digna execratione, quanto prius erat in admiratione laudabilis.

Sicut virtus est rectitudo animæ, qua, in omnibus suis operibus directa, non declinat ad dexteram aut sinistram, sed recta per viam mandatorum Dei currit, qua inoffenso pergit pede, quamdiu sic dirigitur, donec ad finem viæ pervenerit, et montem perfectionis læta concenderit; sic vitium est curvitas animæ semper et ubique claudicantis, qua declinat passim a semita virtutis, a via mandatorum, et in suo cursu toto cœlo aberrat.

Sicut virtus est animæ optima dispositio, quæ bonam facit ipsam habentem, et opus ejus perfectum reddit; quæ, ex bonis operibus relictæ, ad bene operandum sic inclinat, quod bene operari quodammodo sit ei connaturale: sic vitium est animæ prava dispositio ex peccato relictæ, et ad peccandum sic inclinans, ut male operari sit quodammodo ei naturale, et bene operari contra naturam esse videatur, certum est enim quod habitus, sive virtuosus sive vitiosus, est altera natura. Et, sicut per actus virtutum acquiritur paulatim habitus virtutis, qui radicatus in anima ad similes inclinat actus; sic per actus pravos et peccaminosos acquiritur paulatim habitus vitii, quamvis naturæ rationali contrarius, qui radicatus in anima ad similes inclinat actus iis, quibus fuerit acquisitus. Similes, inquam, in natura speciei, sed dissimiles in modo: nam in principio natura rationalis, habens in seipsa quædam virtutum semina, et ex seipsa ad bonum honestum inclinata, vitium horret et timet tanquam rationi contrarium sicut et legi aeternæ: lumen quippe rationis est quædam illius aeternæ legis impressio, juxta illud Psalmista: «Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.» Sed, postquam incepit timorem illum et horrorem malitia sua depolare, et pravorum actuum frequentatione pudorem exuit, facile sibi imo delectabile reddit, quod prius difficile ac horridum apparebat; et cum in profundum malorum venerit, contemnit, ita ut palam se

jactet commisso, quod in secreto se prius commisso pudebat.

Hi sunt nocivi et perniciosi effectus formales vitii, cuius hic naturam aliqualiter descripsimus, quae tamen clarius et evidentius apparebit, dum infra referentur damna causata per ipsum in anima; et etiam dum, secunda parte hujus operis, tractatu 2, referentur effectus formales virtutis; cum enim vitium opponatur virtuti oppositione contraria, ut statim ostendetur, tot habet effectus formales quot virtus, sed oppositos.

## ARTICULUS II.

### VITIUM OPPONITUR VIRTUTI.

Nullus est, qui nesciat vitium opponi virtuti, et effectus vitii contrariari virtutis effectibus. Sed, ad expressiorem vitii descriptio-nem, opus est ut quae sit, et in quo consistat talis oppositio, manifestetur. Ad cuius evidentiam, sciendum est quod quadruplex est oppositio, scilicet contraria, contradictoria, privativa, et relativa: oppositio contraria est inter duas formas positivas, quae sub eodem genere maxime distant, et ab eodem subiecto se mutuo expellunt, ut inter calorem et frigus; oppositio contradictoria consistit in affirmatione et negatione ejusdem de eodem secundum eamdem rationem, qualis est inter album et non album; oppositio privativa est inter formam et ejus privationem, ut inter lucem et tenebras; tandem, oppositio relativa consistit in respectu mutuo aliquorum, ut patris et filii, domini et servi.

Sciendum est etiam quod, sicut virtutes, aliae sunt ordinis naturalis, quae sunt per se acquisitae, aliae sunt ordinis supernaturalis, quae sunt per se infusae priores procedunt in suis actibus ex motivo naturali, posteriores autem ex motivo supernaturali; sic alia sunt vitia ordinis naturalis, quae procedunt in suis actibus ex motivo naturali; alia sunt ordinis supernaturalis, quae procedunt in suis actibus ex motivo supernaturali. Est tamen differentia inter virtutes et vitia, quod vitia, tam ordinis naturalis quam ordinis supernaturalis, acquiruntur nostris actibus, cum homo seipso sit in utroque ordine defectibilis in operando. Virtutes autem ordinis supernaturalis non acquiruntur nostris actibus, bene tamen virtutes

ordinis naturalis; quia illæ sunt proprietates gratiae sanctificantis; propterea cum ipsa simul infunduntur. Ex quibus constat, quod virtutes ordinis supernaturalis sunt perfectiones in sua entitate supernaturales, sicut virtutes ordinis naturalis sunt perfectiones in sua entitate naturales; sed vitia ordinis supernaturalis sunt in sua entitate quid naturale, non minus ac vitia ordinis naturalis, quamvis distinguantur in hos ordines, propter diversum motivum tendendi, et propter oppositionem formalem, quam habent ad diversas horum ordinum virtutes. Et inde est, quod virtutes proprie et simpliciter in naturales ac supernaturales dividuntur, ac dicuntur absolute tales; vitia vero non proprie et simpliciter dividuntur in naturalia et supernaturalia, nec absolute dicuntur talia, sed tantum secundum quid possunt dici supernaturalia propter rationem adductam: unde aptius dividuntur in vitia contra naturalia et in vitia contra supernaturalia; quamvis aliquando dicantur vitia naturalia et vitia supernaturalia, subintelligendo reductive, quantum ad supernaturalia.

Supposito igitur quod, ex actibus vitiosis, ex motivo supernaturali procedentibus, acquirantur habitus vitiosi contra supernaturalia, similes illis actibus, sicut per actus vitiosos, ex motivo naturali procedentes, acquiruntur habitus vitiosi contra naturalia, et quod virtutes, aliæ sint ordinis naturalis et acquisitæ, aliæ vero ordinis supernaturalis et infusæ, varias, inter vitium et virtutem, in utroque ordine comparationes faciemus, ad perfecte dignoscendam virtutis et vitii mutuam oppositionem.

Generaliter igitur loquendo, vitium opponitur virtuti contrarie. Quod vitium opponatur virtuti probat, tum communis omnium consensus et vox, tum universalis sanctorum Patrum et Doctorum authoritas. Unde Augustinus, Libro de Perfectione Justitiae, circa finem quartæ ratiocinationis, oppositam utriusque definitionem adducit, dicens: « Vitium est qualitas, secundum quam malus est animus; virtus autem est qualitas, quæ facit bonum habentem. » Et D. Thomas, 1. 2, Q. 71, Art. 1 et 2, probat ex professo, quod vitium opponitur sive contrariatur virtuti; unde, Art. 1, ait: « Secundum id quod directe est de ratione virtutis (scilicet secundum quod virtus importat directe dispositionem quamdam alicujus convenienter se habentis secundum modum suæ naturæ), opponitur virtuti vitium; vitium enim uniuscujusque rei esse videtur, quod

non sit disposita secundum quod convenit suæ naturæ; unde Augustinus dicit, in 3, de Libero Arbitrio, Cap. 14, quod perfectioni naturæ deesse perspexeris, id voca vitium. » Quod autem vitium opponatur virtuti contrarie potius quam alio genere oppositionis, ex doctrina communi probatur: nam, ex una parte, oppositio contradictoria consistit in affirmatione et negatione ejusdem de eodem secundum eamdem rationem, unde unum extrellum est positivum, aliud negativum, virtas autem et vitium sunt extrema positiva; oppositio privativa consistit in habitu et privatione, sive habet unum extrellum positivum et aliud privativum, virtus autem et vitium sunt extrema positiva, ut dictum est; oppositio relativa habet extrema, quæ se mutuo ponunt, sunt simul natura et cognitione, dicuntur ad convertentiam, et formaliter considerata nullam dicunt perfectionem, quæ conditiones non reperiuntur inter virtutem et vitium, ut discurrenti patet: ex alia vero parte, oppositio contraria est inter ea, quæ sub eodem genere maxime distant, et ab eodem subjecto se mutuo expellunt, quæ conditiones vere convenient virtuti et vitio, quæ sub genere dispositionis contenta maxime differunt, et ab eodem subjecto se mutuo excludunt, juxta enim subjecti dispositionem et operationem, vel vitium excludit virtutem, vel virtus vitium, ut fatentur omnes, et experientia docet: unde vitium opponitur virtuti contrarie.

Sed, ut magis distincte et particulariter loquamur, vitium quod est contra naturalia, est proprie et directe contrarium virtuti acquisitæ, ut docet Aristoteles, Cap. de Qualitate, ubi loquendo de contrarietate directa et proprie dicta, affert exemplum in virtutibus et vitiis, dicens injustitiae justitiam contrariari; quod etiam docet, 2. Ethicor., Cap. 7. Certum est autem, quod Aristoteles non novit vicia nisi ut sunt contra naturalia, nec virtutes nisi acquisitas; ordo quippe supernaturalis ethnicoz illos latuit philosophos, solis fidelibus notus. Hoc adducta superius ratione confirmatur.

Attenta rerum natura, vitium contra naturalia non est proprie ac directe contrarium virtuti per se infusæ; opponitur tamen ei contrarie, contrarietate impropria et indirecta, sed supposita elevatione hominis ad ordinem gratiæ. Quod attenta rerum natura, vitium contra naturalia non sit proprie ac directe contrarium virtuti per se infusæ, docet D. Thomas in 4, D. 14, Q. 2, Ar. 2 ad 4. Et ratio convincit: nam habitus specificantur et distinguntur per ordinem ad objecta

formalia, ex quibus essentialiter dependent, unde illi tantum habitus proprie ac directe contrariantur, attenta ipsorum natura, qui habent objecta formalia proprie ac directe contraria. Constat autem, quod objectum formale vitii contra naturalia et objectum formale virtutis per se infusae non sunt proprie ac directe contraria, quamvis materialiter contrariantur; nam vitium contra naturalia suum habet objectum formale ordinis naturalis, sive tendit ad objectum sub motivo pure naturali; virtus autem per se infusa habet objectum formale ordinis supernaturalis, sive tendit ad objectum sub motivo supernaturali, ut ex ipsis patet terminis; objectum autem naturale et objectum supernaturale non proprie ac directe contrariantur, cum sint in diverso ordine; et maxime, quia non sic vitium contra naturalia et virtus per se infusa sunt incompossibilia in eodem subjecto, ut quodlibet excludat aliud extreum, nam ut alibi dicetur, posita per justificationem virtute infusa, non statim expellitur vitium contra naturalia, ut ipsa percipitur experientia. Quod autem vitium contra naturalia opponatur virtuti per se infusae contrarie, contrarietate impropria et indirecta, sic ostenditur. Ad contrarietatem propriam et directam requiritur, quod extrema (si sint habitus affectivi, quales sunt habitus vitii et virtutis moralis) sic se habeant, quod unum sit per modum prosecutionis, et aliud per modum fugae, respectu ejusdem objecti formalis; hoc enim requiritur, ut sub eodem genere maxime distent; et insuper requiritur, quod se mutuo directe ab eodem subjecto expellant, per actus scilicet proprios formaliter oppositos: ad contrarietatem autem impropriam et indirectam requiritur, sed sufficit, quod unum extreum sit per modum prosecutionis, et aliud per modum fugae, respectu ejusdem objecti materialis, sic enim sub eodem genere saltem remoto plurimum distant; et insuper requiritur, sed sufficit, quod se mutuo ab eodem subjecto expellant, per proprios actus aliquo modo oppositos. Constat autem, quod vitium contra naturalia et virtus per se infusa sic se habent ut unum sit per modum prosecutionis, et aliud per modum fugae, respectu ejusdem objecti materialis, ut ex se patet, nam temperantia per se infusa prosequitur moderatam cibi sumptionem, quam intemperantiae vitium refugit; et insuper se mutuo indirecte ab eodem subjecto expellant, per actus aliquo modo oppositos; nam virtus infusa tollitur indirecte per actum vitii contra naturalia, per hoc quod excluditur gratia

sanetificans, si sit peccatum mortale, vel per hoc quod subjectum disponitur ad actum vitii similis contra supernaturalia; et similiter per infusionem gratiae sanctificantis ac virtutum supernaturalium debilitati remanent habitus vitiosi, et sunt in via corruptionis: unde vitium contra naturalia opponitur virtuti per se infusae contrarie contrarietate impropria et indirecta. Quod autem ad hanc contrarietatem supponi debeat elevatio hominis ad ordinem gratiae, ex eo patet quod ordo naturae et ordo gratiae secundum se nullam habent connexionem, sicut nec proportionem: unde creatura intellectualis potuit in puris produci naturalibus; et tunc nulla fuisset oppositio vel contrarietas, sive propria et directa, sive impropria et indirecta, inter vitium contra naturalia et virtutem per se infusam, cum in illo statu nulla fuisset virtus per se infusa, haec enim pertinet ad ordinem gratiae, utpote supernaturalis; sed, supposita creature intellectualis elevatione ad ordinem gratiae, vitium contra naturalia et virtus per se infusa connexionem aliquam habent, propter subordinationem finis naturalis ad finem supernaturalem ejusdem creature; propter hanc enim subordinationem non potest per actum vitii contra naturalia circa finem naturalem deficere, nisi simul indirecte deficiat circa finem supernaturalem, quem per se respicit virtus infusa.

Posset forte cui videri, quod vitium contra supernaturalia sit proprie contrarium virtuti per se infusae, cum sint in eodem ordine gratiae et circa idem objectum formale; sed tamen certum est, quod tantum improprie contrariantur; quod sic demonstratur. Ad contrarietatem proprie dictam haec tria necessario requiruntur, scilicet quod extrema contrarietatis sint sub eodem genere, quod maxime distent, et quod ab eodem subjecto saltem materiali se mutuo expellant, ita quod, si desit aliquid ex ipsis, jam non sit propria, sed tantum impropria contrarietas: manifestum est autem, quod haec tria non reperiuntur inter vitium contra supernaturalia et virtutem per se infusam, etiam ipsi vitio correspondentem; nam, licet sint sub eodem genere, et maxime distent, non tamen ab eodem subjecto se mutuo expellunt, non tantum quantum ad subjectum formale, quod respectu virtutis infusae, utpote supernaturalis in entitate, est potentia obedientialis, respectu vero talis vitii in sua entitate naturalis est potentia mere naturalis; unde cum tale vitium non possit esse successive in eadem formaliter potentia cum

virtute infusa, non expellit eam ab eodem subjecto formalis; sed etiam nec quantum ad subjectum materiale, ut communiter docent Theologi, cum D. Thoma, 2. 2, Q. 24, Art. 12, qui dicunt virtutem per se infusam esse supernaturalem in sua entitate, et consequenter a solo Deo pendere in suo fieri, conservari, et augeri; unde non potest effective vel formaliter proxime ab ulla creatura corrumphi, vel a subjecto expelli, nec etiam virtus per se infusa formaliter aut etiam per se effective vitium contra supernaturalia expellit; quod sic a posteriori et ab experientia probatur. Nam vitium contra supernaturalia et virtus per se infusa saepe reperiuntur in eodem subjecto, non solum in gradibus intensis, sed etiam in gradibus intensissimis, ut si quis habens intensissimum habitum intemperantiae justificetur per actum contritionis intensissimum, acquirat gratiam cum omnibus virtutibus infusis, et inter eas erit temperantia, in gradu intensissimo, et tamen experietur intensissimum habitum intemperantiae; cuius exemplum habemus in S. Maria Aegyptiaca: ut enim refertur in ejus vita, post conversionem tam intensam ac post receptam gratiam cum virtutibus infusis tam copiosam, perseverabat cum tot tantisque molestiis in horrenda solitudine; nihilominus tamen in principio vehementissimam in peccatum intemperantiae sentiebat inclinationem, ab habitu intemperantiae procedentem: constat autem ex communi doctrina, quod contraria contrarietas propria et directa non possunt simul esse in eodem subjecto in gradu intensis.

Major tamen est contrarietas impropria et indirecta inter virtutem per se infusam et vitium contra supernaturalia, quam inter eamdem virtutem et vitium contra naturalia: nam licet in hoc conveniant vitium contra naturalia et vitium contra supernaturalia in ordine ad virtutem per se infusam, quod neutrum illam expellat, nec ab illa expellatur proprie ac directe ab eodem subjecto; in hoc tamen differunt, quod vitium contra supernaturalia maxime distat a virtute per se infusa sub eodem genere, cum sint de eodem objecto formalis; vitium autem contra naturalia non ita distat ab eadem virtute, cum sint tantum de eodem objecto materiali.

Sufficit tamen quod vitium quomodocumque contrarietur virtuti, tam infusae quam acquisitae, et quod ad ejus expulsionem ac destructionem cooperetur, suppositis tot tantisque ejus damnis, tum positivis tum privativis, jam relatis et postmodum referendis,

ad hoc ut quilibet fidelis totis viribus procuret quodcumque vitium eradicare; sed ad hoc præcipue debet attendere, qui, viam perfectionis ingressus, pure desiderat vivere, ac Deo summe dilecto in omnibus placere.

### ARTICULUS III.

#### VITIUM EST INTRINSECE MALUM.

Quia contrariorum eadem est doctrina, inde est quod, sicut in virtute contraria ipsi vitio duo possunt considerari, sicut in ipso vitio, ut docet D. Thomas, 1-2, Q. 71, Art. I. Primum est ipsa essentia virtutis et vitii; secundum est id ad quod est virtus et vitium, scilicet actus ordinatus ac moraliter bonus respectu virtutis, et actus inordinatus ac moraliter malus respectu vitii. Ad essentiam autem virtutis et vitii, aliquid pertinet directe, et aliquid pertinet ex consequenti: directe pertinet quod est constitutivum ipsius per modum partis essentialis, scilicet generis et differentiae; ex consequenti vero pertinet omnis proprietas, vel quasi proprietas talis essentiae. Et sicut virtus dicitur bona dupliciter, sic et vitium dicitur malum dupliciter, scilicet causaliter et formaliter. Dicitur virtus bona causaliter, quia est principium actus boni; et vitium dicitur malum causaliter, quia est principium actus mali, in quo est causalitas effectiva utriusque. Dicitur virtus bona formaliter, quatenus ex hoc quod est principium actus boni moraliter, est conveniens et conformis naturæ rationali hominis; et vitium dicitur malum formaliter, quatenus, ex hoc quod est principium actus mali moraliter, est disconveniens ac difformis naturæ rationali hominis: quia natura rationalis ex dictamine rationis et syndesis inclinat ad bonum morale, cuius principium est virtus; et avertit a malo morali, cuius principium est vitium. Rursus, virtus dicitur bona, et vitium dicitur malum formaliter, vel proxime vel remote sive fundamentaliter. Bonitas formalis proxima virtutis importat actualem relationem convenientiae et conformitatis ipsius ad naturam rationalem hominis; malitia vero formalis proxima vitii importat actualem relationem disconvenientiae et difformitatis

ipsius ad naturam rationalem hominis; sed bonitas formalis remota sive fundamentalis virtutis importat quidditatem ipsius, quæ est fundamentum bonitatis proximæ; malitia vero formalis remota sive fundamentalis vitii importat quidditatem ipsius, quæ est fundamentum malitiæ proximæ. Bonitas formalis proxima denominat virtutem alteri bonam, et malitia formalis proxima denominat virtutem alteri malum; sed bonitas formalis remota denominat virtutem in se bonam, et malitia formalis remota denominat virtutem in se malum.

Juxta diversitatem adductam tam bonitatis quam malitiæ, dicimus quod, secundum omnes propositas bonitatis acceptiones, virtus est intrinseca bona, et secundum omnes malitiæ acceptiones, vitium est intrinsece malum, sed diversimode, ut statim explicabitur. Et ne ultra propositum nostrum procedamus, relictæ pro nunc virtute, de solo loquemur vitio, ita tamen quod, proportione servata, intelligantur de virtute, quæ hic dicentur de vitio.

Malitia causalis est de intrinseca ratione vitii, sive pertinet directe ad essentiam ipsius: nam malitia causalis in vitio importat quod vitium sit principium effectivum actus moraliter mali; manifestum est autem esse de intrinseca ratione vitii, quod sit principium actus moraliter mali; nam, sicut est de intrinseca ratione eujuscumque habitus operativi, quod sit principium actus, a quo specificatur in ordine physico, cum habitus operativus sit essentialiter propter suum actum; sic est de intrinseca ratione habitus operativi defective in ordine morali, qualis est habitus vitii, quod sit principium actus defectuosi in esse moris, sive mali moraliter, ut constat ex paritate rationis; nam, sicut habitus in ordine physico consideratus est propter actum ejusdem ordinis, et ab illo specificatur in esse physico; sic habitus in ordine morali consideratus, qualis est habitus vitii, est propter actum ejusdem ordinis, et ab illo specificatur in esse morali.

Similiter, malitia formalis remota, quæ fundamentalis etiam dicitur, est de intrinseca ratione vitii: nam talis malitia importat in vitio, quod sit dispositio disconveniens et difformis naturæ rationali tanquam subjecto, ad quod consequitur relatio disconvenientiae ipsius vitii ad eamdem naturam; est autem de intrinseca ratione vitii, quod sit dispositio disconveniens et difformis naturæ rationali tanquam subjecto; sicut, e contrario, est de intrinseca

ratione virtutis, quod sit dispositio conveniens et conformis naturæ rationali : nam quia habitus, tam virtutis quam vitii, soli naturæ rationali convenient, et ei ad hoc conceduntur, ut mediis illis proprios actus connaturaliter eliciat, inde est quod tales habitus essentialiter sunt dispositiones, vel convenientes et conformes illi naturæ, si sint habitus virtutis, vel inconvenientes et difformes, si sint habitus vitii, semper tamen in ordine ad actus correspondentes. Ex quibus patet, quod malitia formalis remota idem est ac malitia causalis : dicitur quippe malitia formalis, ut attenditur ex parte vitii subjectum afficientis ; dicitur autem malitia causalis, ut attenditur in ordine ad actum moraliter malum.

Malitia vero formalis proxima, quamvis non sit de ratione intrinseca vitii, quasi pertinens ad essentiam ipsius, est tamen ei intrinseca, per modum proprietatis consequentis ad essentiam ejus : nam, ut dictum est, malitia formalis proxima vitii importat actualem relationem inconvenientiæ et difformitatis ipsius ad naturam rationalem hominis ; sicut bonitas formalis proxima virtutis importat actualem relationem convenientiæ et conformitatis ipsius ad eamdem naturam rationalem hominis : constat autem, quod talis relatio inconvenientiæ et difformitatis non est de intrinseca ratione vitii, sed tantum consequitur ad ejus essentiam tanquam proprietas ipsius, et idem dicendum de relatione convenientiæ et conformitatis respectu virtutis ; nam vitium et virtus non sunt respectiva prædicamentalia. Unde ad eorum essentiam transcendentaliter respectivam consequitur per modum proprietatis relatio prædicta convenientiæ, et similiter relatio inconvenientiæ.

Tanta est vitii malitia, quod sit secundum quid pejus in esse morali quam ipsum peccatum, quamvis simpliciter et absolute peccatum sit pejus quam vitium, ut ait D. Thomas, 2. 2., Quæst. 71, Art. 3, ad I., ubi sic ait : « Unde simpliciter actus est potior, tam in bonitate, quam in malitia ; sed habitus est potior secundum quid. »

Quod vitium sit secundum quid pejus in esse morali quam ipsum peccatum, ex eo constat quod habitus vitiosus sive vitium est causa actus vitiosi sive peccati; deinde quia vitium est causa plurium numero peccatorum; denique quia vitium denominat vitiosum, non autem peccatum, licet sit actus vitiosus. Quod autem simpliciter et absolute peccatum sit prius quam vitium, probat ex

professo D. Thomas, loco citato, et hoc triplici ratione. Prima est a priori, quia scilicet habitus non dicitur bonus vel malus (in ordine scilicet morali), nisi ex hoc quod inclinat ad actum bonum vel malum: unde, propter bonitatem vel malitiam actus, dicitur habitus bonus vel malus, et sic potior est actus in bonitate vel malitia quam habitus, quia propter quod unumquodque tale, et illud magis. Secunda est a posteriori, quia scilicet pro actu vitioso sive peccato aliquis juste punitur, non autem pro habitu vitioso, si non procedat ad actum: unde actus vitiosus est prior in esse morali quam habitus vitiosus. Quæ ratio sic amplius declaratur: meritum et demeritum sunt proprietates bonitatis et malitiae moralis; merito autem correspondet præmium, et demerito supplicium sive punitio: unde illud cui correspondet majus præmium, est magis meritorium; et illud cui correspondet majus supplicium, est magis demeritorium; illud autem quod est magis meritorium, est moraliter melius; et illud quod est magis demeritorium, est moraliter pejus: constat autem ex Augustino, de Prædestinatione Sanctorum, Cap. 10, et D. Thoma, Q. 2. de Malo, Art. 2, ad 9, quod nemo meretur aut demeretur per id quod facere potest, sed perid quod facit; nec præmiatur aut punitur propter id quod facere potest, in quo continetur tam potentia quam habitus, sed propter id quod facit, in quo est actus: et consequenter, actus peccaminosus est prior in esse morali quam habitus vitiosus, imo habitus participat bonitatem aut malitiam moralem ab actu in genere causæ finalis, quod est præcipuum in ordine morali, quamvis actus participet in genere causæ efficientis bonitatem aut malitiam moralem ab habitu. Tertiam tandem sic proponit: «Habitus medio modo se habet inter potentiam et actum; manifestum est autem quod actus in bono et malo præeminet potentiae, melius est enim bene agere quam posse bene agere, et similiter vituperabilius est male agere quam posse male agere. Unde etiam sequitur, quod habitus in bonitate et malitia medium gradum obtineat inter potentiam et actum, ut scilicet, sicut habitus bonus vel malus præminet in bonitate vel malitia potentiae, ita etiam subdatur actui. »

Ex quibus omnibus manifestum est, quanta sit vitii malitia: nam, si se habeat in illa per modum excedentis et excessi respectu peccati, ita ut cum eo quodammodo competat, certum est talem malitiam esse maximam, cum peccati mortalis malitia sit summa

quæ possit imaginari; manifestum est etiam, quam vitium sit periculorum et nocivum, cum unicum vitium sit causa efficiens tot peccatorum.

## ARTICULUS IV.

### MULTÆ SUNT SPECIES VITII.

Cum vitium opponatur virtuti, ut dictum est, necessario sequitur quod, sicut sunt multæ species virtutis, sic multæ sint species oppositæ vitii; et multo plures vitii quam virtutis, quia, cum virtus consistat in medio, ejusdem virtutis plura sunt extrema vitiosa, per defectum juxta dictum Poetæ :

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,  
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

Longum esset de singulis disserere vitii, nec ad intentum nostrum utile sufficiet igitur, in præsenti, plura magis nota indicare; maxime, quia fusius infra, parte secunda, tractatu secundo, de virtutibus agetur, quarum explicata natura consequenter etiam explicabitur natura vitiorum ipsis oppositorum. Et quamvis, ut plurimum, utamur nominibus potius actum vitiosum sive peccatum quam habitum vitiosum experimentibus, sub illis tamen nunc habitus vitiorum intelligimus: ob penuriam enim vocum, desunt propria vitii nomina, et mutuata a suis actibus seu a peccatis correspondentibus solent eis attribui. Supponimus enim quod, sicut per frequentationem actuum virtutis in aliqua materia generatur habitus, qui ad eosdem actus in specie facile ac delectabiliter eliciendos inclinat, sic per frequentationem actuum peccati in aliqua materia generatur habitus vitii, qui ad eosdem actus in specie facile ac delectabiliter eliciendos inclinat, ut constat, tum communi doctrina, tum paritate rationis, tum ipsam experientia.

Ordinate igitur procedendo, fidei divinæ virtuti theologicæ generaliter opponitur infidelitas, sub qua continentur proprie vel reductive multa vitia: proprie quidem continentur hæresis, quæ negat ea quæ fides docet; apostasia, per quam aliquis discedit a fide exterius; blasphemia, quæ opponitur confessioni fidei: redu-

ctive vero continentur cæcitas mentis, et hebetudo sensus, quæ dono intellectus opponuntur.

Spei theologicæ opponuntur duo vitia, desperatio scilicet et præsumptio: desperatio quidem, qua maximi peccatores, iniquitatum suarum pondere pressi, de bonitate Dei et infinita desperant ejus misericordia, et, ad instar reprobri Cain, dicunt: « Major est iniqutias mea, quam ut veniam merear; » præsumptio autem, qua peccatores, de eadem Dei bonitate ac infinita ejus præsumentes misericordia, libere peccant, et sumunt inde motivum peccandi ac Deum offendendi, unde deberent eum ferventius amare, et ei fidelius deservire.

Charitati, virtutum reginæ, per se primo ac directe opponitur odium Dei et odium proximi: opponitur quidem odium Dei, quatenus ipsa est dilectio Dei; opponitur autem odium proximi, quatenus ipsa est dilectio proximi. Odium Dei est maximum peccatorum. Opponuntur autem charitati plura vitia reductive, quia contraria sunt effectibus charitatis, ut acedia gaudio spirituali, invidia gaudio de bono proximi, discordia paci, contentio paci quantum ad os, schisma paci quantum ad opus, sicut et bellum, rixa et seditio; scandalum, quod opponitur charitati quantum ad beneficentiam; stultitia, quæ opponitur sapientiae. Et tandem remote ac indirecta cuncta vitia charitati opponuntur, quatenus per cuncta peccata mortalia charitas expellitur simul cum gratia sanctificante.

Quantum attinet ad virtutes morales, prudentiae generaliter opponitur imprudentia, sub qua continentur præcipitatio sive temeritas, inconsideratio, et inconstantia; opponitur etiam negligentia; imo et alia vitia, quæ quamdam cum prudentia similitudinem habere videntur, ut prudentia carnis, astutia, continens dolum et fraudem.

Justitiæ generaliter opponitur injustitia, sub qua multæ species vitiorum continentur. Unde contra justitiam distributivam est damnabilis acceptio personarum; contra justitiam commutativam est homicidium et mutilatio, furtum et rapina. Est etiam multiplex injustitia in ipso judicio, tum ex parte judicis, tum ex parte rei, tum ex parte accusatoris, tum ex parte testium, tum ex parte advocatorum. Est similiter extra judicium multiplex injustitia in verbis, ut est contumelia, detractio, susuratio, derisio,

maledictio. Est tandem fraus in emptionibus et venditionibus, ac usura.

Quantum ad virtutes justitiae annexas, religioni opponitur supersticio, idololatria, tentatio qua Deus tentatur, perjurium, sacrilegium, simonia: pietati opponitur impietas in parentes et patriam; observantiae opponitur inobservantia seu irreverentia in maiores; obedientiae inobedientia; gratitudini ingratitudo; veritati opponitur mendacium, simulatio seu hypocrisis, jactantia et ironia; amicitiae, quae est affabilitas, opponitur asperitas locutionis, litigium, adulatio; liberalitati opponitur avaritia, et prodigalitas.

Fortitudini opponitur timor, intimiditas timori contraria, et audacia. Magnanimitati opponitur, per excessum, præsumptio, ambitione, et inanis gloria; per defectum vero, pusillanimitas. Patientiae opponitur impatientia; perseverantiae mollities et pertinacia.

Temperantiæ generaliter opponitur intemperantia; sed specialemente verecundiæ opponitur inverecundia, honestati inhonestas. Abstinentiæ opponitur gula, sobrietati ebrietas. Castitati opponitur luxuria, secundum diversos utriusque gradus, ita ut sint plures luxuriæ species, videlicet simplex fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, sacrilegium, et vitium contra naturam. Continentiæ opponitur incontinentia. Clementiæ seu mansuetudini opponitur iracundia, crudelitas, et saevitia vel feritas. Humilitati opponitur superbia, quæ consistit in immoderato excellentiæ appetitu. Cui quatuor quasi species assignat S. Gregorius, Libro 23 Moralium, Cap. 9, dicens: « Quatuor quippe sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, cum bonum aut a semetipsis habere se aestimant; aut, si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant; aut certe cum jactant se habere quod non habent; aut, despiciens cæteris, singulariter videri appetunt habere quod habent. » Studiositati opponitur curiositas. Modestiæ in exterioribus immodestia, vel in aspectu, vel in gestis, vel in ornatu.

Plura de multiplicitate vitiorum, et quantum ad numerum ipsorum, et quantum ad singulorum naturam. Sed, circa primum, sufficiat indicasse prædicta, quasi magis nota, et frequentius occurrentia; maxime quia, ut dictum est, euilibet virtuti morali saltem, duo vitia extrema secundum excessum et defectum opponuntur. Circa secundum vero, prædicta vitia sunt satis suo nomine nota,

quantum sufficit ad præsens institutum, ut scilicet quis possit eradicationem procurare; sed notiora fient, dum infra uniuscujusque virtutis in medio consistentis natura declarabitur: extrema namque vitiosa, cuique contraria, fient manifesta.

## ARTICULUS V.

### QUAM NECESSARIA SIT VITIORUM ERADICATIO.

Ex hactenus dictis, facile constare poterat quam necessarium sit omnibus, et iis maxime qui ad statum perfectionis pervenire desiderant, vitiorum eradicationem procurare. Cum enim status perfectionis in virtutum acquisitarum possessione consistat, et virtia virtutibus contraria virtutum acquisitionem impedian, contraria namque se mutuo ab eodem subiecto expellunt, inde sequitur quod qui virtutes acquirere desiderat, et ad perfectionem attingere, virtia debet pro viribus eradicare, paulatim namque debilitata virtutibus locum cedent. Sed, ad majorem horum confirmationem, et dictæ necessitatis expressionem, nova quædam proferemus damna, malos vitiorum effectus.

« Vitium, ut ait Chrysostomus, in Cap. 6 ad Ephesios Hom. 18, est dirus tyrannus, qui nostram libertatem eripit, et operibus luti et lateris satis laboriosis addicit. Vitia hostes nostri sunt, et gentes nobis infestæ atque inimicæ, de quibus in Deuteronomio dictum est: Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis conjugia. » Duplicem hic sanctus Pater in hoc testimonio facit allusionem: primam ad præfectos operis ægyptiaci, quando rex Pharao voluit Israëlitas affligere, ac eorum multiplicationem impedire; tunc enim, volens coquere lateres ad ædificationem suarum civitatum, decrevit hoc opus summe laboriosum et afflictivum per Israëlitas impleri, quos velut mancipia vilissima tractabat, eisque præfectos ægyptios tam crueles et duros depupavit, ut miseri supra modum affligerentur, et ad Dominum Patrum suorum clamarent, donec clamor eorum ad ipsum perveniret, et ad misericordiam provocaret, ut, misso Moyse, non solum ab inimicis liberarentur, sed etiam ipsos inimicos in mari rubro submerge-

rent : non minus aspere ac crudeliter torquentur a vitiis, qui subduntur eorum tyrannidi; sed, si velint ab ipsis liberari, clament ad Dominum, qui, motus ad misericordiam miserabili clamore ipsorum, mittet suam auxiliatricem gratiam, qua roborati et muniti vitia debellabunt, et ab anima penitus eradicabunt. Secundam facit allusionem ad Jebuseos aliosque similes populos, qui diu populum Israëliticum afflixerunt, continuis bellis vexaverunt, ac saepe captivum detinuerunt, quia contra praeceptum Domini nimiam exercuit in eos indulgentiam, pacemque ac fœdus cum eis init : sic virtus suos tractant hospites ac benevolos receptores; nam eorum animam inquietant, bonas cogitationes expellunt, sancta desideria excludunt, gratiam destruunt, virtutes dissipant, vires enervant, ac tandem cruentam mortem inferunt, post longam et tyrannicam captitatem.

Si Chrysostomus vitium tyranno comparat, Beatus Cæsarius ipsum æquat dæmoni corpus humanum possidenti. « Multi, ait, dæmonem in corpore alieno formidant, in suo corde dissimulant; omnis enim qui superbiam diligit, diabolo plenus est; et si cum superbia etiam invidiam habere voluerit, duobus demonibus subditus erit; et si cum invidia etiam adulterium fecerit, a tribus dæmonibus possidetur; et si cum his malis mendacium amare voluerit, ab integra quadriga dæmonum subjugatur et premitur; nam quot virtus habuerit homo, tot habet dæmones. Denique et in Evangelio ille a quo immundus spiritus exierat, cum per gratiam Dei ab uno idolatriæ dæmons meruerit liberari, pro eo quod in loco vitiorum virtutes noluit intromittere, reversus ille immundus spiritus adduxit secum septem alios spiritus nequiores se, et impletum est in eo illud quod scriptum est: A quo quis superatur, hujus et servus est. »

Cassianus, Collatione 7, C. 25, ulterius procedens, vitium præfert dæmoni possidenti tanquam crudeliorem tyrannum. Ait enim « multo gravius vehementiusque vexari, qui cum corporaliter à dæmonibus suppleri minime videantur, animo tamen perniciosius possidentur, eorum scilicet vitiis ac voluptatibus involuti : nisi quod isti in hoc desperatius ægrotant, quod, cum sint eorum mancipia, nec impugnari se ab illis, nec dominatum eorum fere cognoscunt. »

Sed, ut paucis vitiorum damna comprehendamus propter quæ

debent expelli, et ab anima penitus eradicari, consideremus hinc, optimum animæ virtutibus ornatæ statum; inde vero, pessimam ipsius plenæ vitiis conditionem; contraria namque juxta se posita magis elucescunt. Utrumque nobis proponit Dionysius Richelius, Libro primo de Vita et Fine Solit., Articulo decimo sexto; ipsum audiamus sic dicentem: «O desiderabilis emundatæ mentis nobilitas! En enim, o anima, per passionum victoram, per immunditiae odium, per virtutum splendorem, Christi officieris amica et sponsa, Creatoris tui hæres et filia; insuper per hæc dæmonibus jubes ac prævalles; lex tibi ordoque naturæ subjicitur; et quicquid divinitus petis, mox desuper obtines. In carne angelica vivis, et usque in consortium Divinitatis migras, neque a Creatoris tui dignitate ignobiliter miserabiliterque degeneras. Venerantur te angeli, Deus diligit, dæmon formidat, caro mundusque sub te sunt. Denique hinc abeundi cœli patent, sydereæ mansiones præbentur, et Beatorum præstantur contubernia, venientem Trinitas Sancta amplectitur, et æterna felicitas remunerat. » Hactenus de animæ virtutibus ornatæ statu; prosequitur de miserrima conditione ipsius vitiis subjectæ. Unde ait: « Porro vilis atque infelix, contemptibilis ac lugenda nimis anima, que carni ministras, que beatitudinis tuæ æmulis servis, que peccato itemque concupiscentiis famularis; quam Deus odit, angeli spernunt, dæmon inhabitat; quea Creatorem non curas, imo offendis atque contemnis; quea Salvatori ingrata es, et in criminibus fœtes, passionibus langues, ac sensualitati subjiceris; in qua præterea tyrannica potestate malitia regnat, ira superequitat; quea demum humanam amplius quam divinam præsentiam veneraris ac metuis. »

Quis, tot tantaque vitiorum damna intelligens ac in seipso frequenter expertus, non procurabit totis viribus cunctorum eradicationem? Unde qui, viam perfectionis ingressus, eam fauste percurre desiderat, statim, post peccatorum expiationem ac evacuacionem, ad vitiorum eradicationem attendat. Primo quidem, ut sic purificatus Domino placeat, eique fideliter in virtutum exercitio deserviat, ac ejus divinae majestati cor mundum tanquam hospitium desirerabile præparet. Secundo, ut propriæ consulat saluti, et profectui spirituali studeat. Noverit tamen, quod non sufficit unum et alterum vitium eradicare, sed cuncta sunt extirpanda: nam, sicut virtutes ita sunt connexæ, ut se simul concomitentur, nec una sine

aliis possint in statu perfecto reperiri; sic contingit et vitiis, quod facile se mutuo concomitentur, et unum retentum alia revocet; et, quamvis minimum videatur, aditum tamen ad animam dæmoni præbebit, qui solet eam aggredi, quaparte noverit esse debiliorum. Unde, civitatis usus similitudine, Cassianus, Libro tertio de Gastimar. Capite undecimo, hoc ipsum declarat, dicens: « Quantalibet urbs sublimitate murorum, et clausarum portarum firmitatem muniatur, posterulæ unius, quamvis parvissimæ, proditione vastabitur. Quid enim differt, utrum per excelsa mænia et ampla portarum spatia, an per cuniculi angusti latibula, perniciosus hostis penetralibus civitatis irrepat? » Sed clarius loquitur Gregorius, Libro decimo nono Moralium, Capite decimo tertio, pertractans parabolam Pharisæi et Publicani, ubi sic ait de Pharisæo: « Ecce civitatem cordis sui insidianibus hostibus per elationem aperuit, quam frustra per jejunium et eleemosynas clausit. In cassum munita sunt cætera, cum locus unus, de quo hosti patet aditus, munitus non est. Gratias recte agit, sed perverse se super Publicanum extulit: civitatem cordis sui extollendo prodidit, quam abstinendo et largiendo servavit. Victa est per abstinentiam gula, destructa ventris ingluvies; superata est largitate tenacia, avaritia repressa. Quibus hoc laboribus actum eredimus? Sed o quot labores uno vitio percussi ceciderunt! quanta bona unius culpæ gladio sunt perempta! »

Licet autem omnia vitia debeant eradicari, non tamen omnia simul aggredienda sunt, sed singula seorsim; et incipiendum ab illis quæ magis radicata videntur, ac magis animæ dominantur: his enim quasi ducibus superatis, reliqua facile vincuntur ac dissipantur; sicut exercitus, duce victo, totus ordinarie difflit exercitus, ac infallibilis ejus ruina sequeretur, si loco ducis, non substitueretur aliis, qui vicem ejus ageret. Hoc suadet Cassianus, Collatione quinta, Capite decimo quarto, dicens: « Ita nobis adversus hæc arripienda sunt prælia, ut unusquisque vitium, quo maxime infestatur, explorans, adversus illud arripiat principale certamen, omnem curam mentis ac sollicitudinem erga illius impugnationem observationemque defigens, adversus illud quotidiana jejuniorum dirigens spicula, contra illud cunctis momentis cordis suspiria crebraque gemituum tela contorquens, adversus illud vigiliarum labores ac meditationes sui cordis impendens, indesinentes

quoque orationum fletus ad Dominum fundens, et impugnationis suæ extinctionem ab illo specialiter ac jugiter poscens. » Sed accedamus ad modum, quo vitia sunt extirpanda.

## ARTICULUS VI.

### QUOMODO FACIENDA SIT VITIORUM ERADICATIO.

Omnes quidem homines, rationis lumine ducti, sciunt et fatentur eradicanda esse vitia, tanquam naturæ rationali contraria. Perfectius idem Catholici norunt, instructi lumine fidei, quo vident quam nociva et perniciosa sunt animæ vitia. Sed, proh dolor, quam pauci sunt qui speculativam hanc doctrinam ad proximū vere reducant eradicando vitia, vel quia nolunt, vel quia modum eradicandi nesciunt.

Qui ergo vitia desiderat extirpare, necessarium est ut, cognita prius eorum natura, et perspectis, quæ causant, damnis, perfectum odium et implacabilem adversus ea concipiat indignationem : opus enim est inimici naturam et damna per illum causata cognoscere, ut, concepto inde odio et indignatione, contra eum procedatur, ac de eo triumphetur.

Deinde, implorato divinæ gratiæ auxilio, sine quo nihil possumus, determinata procedendum est voluntate, confidentes cum Apostolo, quod omnia poterimus in eo qui nos confortat, si, divinæ gratiæ prævenienti et adjuvanti correspondendo, firmiter statuamus non desistere, quæcumque difficultates occurrant, donec, in nomine Domini victoriā reportantes, acerrimos animæ nostræ inimicos deleamus. Adhibeat ad hoc fervidas orationes, oratio namque non solum divinam flectit majestatem, ut nobis in necessitate succurrat, sed etiam animæ vires ad fortiter agendum subministrat, ut quotidiana discunt experientia, qui sancto orationis vacant exercitio. Adhibeat præterea rationabilem corporis mortificationem, ut, subiecto rationi corpore, facilius vitia superentur, quæ non nisi deordinatis motibus corporis generantur ac foventur.

Generaliter loquendo in hac materia, dupli via possunt vitia eradicari. Prima est, per cessationem actuum; secunda est, per actus

contrarios. Commune namque est omnibus habitibus, quod hac duplice via destruantur; efficacius tamen et brevius secunda. Videmus enim quod qui desistit ab aliquo vel vitii, vel virtutis, vel scientiae alicujus exercitio, paulatim inclinationem facilitatemque in illud amittit, et experitur laborem ubi prius capiebat delectationem. Videmus etiam, quod qui contrarium assumit exercitum ei cui prius vacabat, si delectetur in recenter assumpto, solet in praecedenti difficultatem ac laborem pati, ita ut nullam retineat circa illud inclinationem.

Debet igitur quicunque vitiis impugnatur, in principio temptationibus et impugnationibus resistere fortis in fide, ac sic caput diabolique conterere, id est suggestionis initium, ut illud in initio malae suasionis excludat, ut ait Augustinus; hoc enim facilius est, quam semel admissis temptationibus ac nostra roboratis negligentia velle resistere: nam si sensualitas carne signata, ratione annuente, caput pravae suggestionis non frangat, qua ad opera vitiorum incitamur, quomodo, vitio domum cordis ingresso, et corde robore ejus occupato, jam capti et victi resistemus?

Debet postea contrariis virtutum actibus impugnare vitia, cum maiores divinae gratiae vires a misericordi Domino impetraverit, sicque facilis ac brevius victoram obtinebit, ut suadet Bernardus, de Ordine Vitae, dicens: « Adversus impetus vitiorum contrariis virtutibus est pugnandum, contra luxuriam adhibetur cordis munditia, contra odium dilectio, contra iracundiam patientia, contra timorem fiduciae virtus, contra torporem fervor boni studii; opponatur tristitiae gaudium, acediae fortitudo, avaritiae largitas, superbiae humilitas. » Et Sanctus Laurentius Justinianus, Libro de Casto Connubio, Capite septimo, inter alia, ad praesens institutum sic ait, concludens: « Vitiis virtutum oppositione resistendum est; nunquam ut ad actum, numquam ut pertrahant ad consensum, permittenda sunt: sicut intus fremunt, ut prosiliant ad opus, ita quoque intus mucrone resistantiae jugulentur, juxta Prophetae admonitionem dicentis: » Quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. » Si quando vero tramitem virtutis excesseris, et vitio impugnatus in aliquod leve peccatum incideris, te ipsum ob illum defectum, ultra reprehensionem jam dictam qua temetipsum increpas, aliqua exteriori poena castiga. Levissimam impudentiae cogitationem dira carnis flagellatio, motum nonnullae indignationis

adversus fratrem humillima veniae postulatio, assumptorum ciborum excessum longum jejunium puniat, ut mens, in quadruplum castigata, leves etiam casus reformidet. » Sed fusiū idem docet Casianus, Collatione decima nona, Capite decimo quarto, dicens: « Cum se igitur impatientiae sive irae perturbationibus incusari unusquisque deprehenderit, contrariis semetipsum objectionibus semper exerceat, et propositis sibi multimodis injuriarum dispendiorumque generibus, velut ab alio sibimet irrogatis, assuefaciat mentem suam omnibus quae inferre improbitas potest, perfecta humilitate succumbere, atque aspera sibi quæque et intolerabilia frequenter opponens, quanta eis occurrere debeat benignitate, omni jugiter cordis contritione meditetur : et ita, respiciens ad illas sanctorum omnium, sive ipsius Domini passiones, universa non solum convitiorum, sed etiam pœnarum genera inferiora meritis suis esse proununtians, ad omnem se dolorum tolerantiam præparabit. » Quod si eccliderit in occasionibus, sic seipsum objurgans et increpans alloquatur, juxta mentem ejusdem Patris: Tune ille es bonus vir, qui te dum in illa solitudinis tuae exerceres palaestra, omnia superaturum mala constantissime præsumebas; qui dum tibi non solum summas convitiorum acerbitates, verum etiam intoleranda supplicia ipse proponeres, satis validum atque ad omnes procellas immobilem te credebas? Quomodo invicta illa patientia tua levissimi verbi prolusione confossa est? Quomodo domum tuam super illam solidissimam petram tanta, ut tibi videbatur, mole constructam levis aura commovit? Ubi est illud, quod inani fiducia bellum in pace desiderans proclamas: « Paratus sum, et non sum turbatus; » et cum Prophetæ sæpe dixisti: « Proba me Domine, et tenta me, ure renes meos et cor meum; » et: « Proba me domine, et scito cor meum; interroga me, et cognosce semitas meas; et vide si via iniquitatis in me est? » Quomodo ingentem certaminis apparatum exigua hostis umbra conterruit? Tali semetipsum compunctionis animadversione condemnans, inultam animi sui commotiunculam esse non sinat, sed arctiore carnem suam jejunii ac vigiliarum correptione castigans, ac jugibus continentiae pœnis culpam sue mobilitatis exercuians, id quod ad plenum excoquere in cœnobii conversatione debuerat, in sua cella constitutus, hoc exercitationis igne consumat. Debet igitur contrariis actibus, tam internis quam externis, virtutis oppositæ contra vitium quod eradicandum aggreditur, fortiter dimi-

care; et imposta sibi voluntaria quadam pœnitentia, quoties ceciderit, sibi metum cadendi incutere. His omnibus adhibitis contibus et diligentiis, sine dubio de vitiis triumphabit, et ex anima penitus eradicabit.

Sed, ad majorem traditæ generalis doctrinæ evidentiam et confirmationem, opus est ut eam applicemus ad vitia particularia; non quidem per singula discurrendo, longum enim foret, et excederet limites summae quam intendimus scribere, ac forte lectori esset fastidiosum; sed ad capitalia vitia restringendo, quæ quasi radices aliorum quodammodo cætera comprehendunt, et adhuc breviter expediendo, ne propositos nobis limites excedamus. Qui plura circa haec scire desiderat, consulat D. Thomam, 2. 2, ubi de omnibus vitiis fuse disserit; V. P. N. Joannem a Jesu-Maria, Scholæ Jesu-Christi Parte 4; et Jacobum Alvarez de Paz, Tomo 2, Libro 1, Parte 2, et alios plurimos; haec enim doctrina est plurimum trita et valde communis. Aliquid tamen de ipsa dicendum est, ne quid desideretur in hoc opere.

In schola ergo Jesu-Christi, in qua veri ejus discipuli corruptam solent mundare naturam, et ex vivifica cœlestis Magistri doctrina mores sæculi et leges mundi reformare procurant, necesse est ut documenta ad vitiorum extirpationem utilia et plurimum conducentia tradantur. Incipiendo igitur a superbia, quæ primum ponitur vitium capitale, dicimus quod sumitur large pro quadam rebellione contra Deum, et sic in omni peccato continetur tanquam conditio generalis, omnis enim peccator peccando insurgit et extollitur contra Deum; vel sumitur stricte ac proprie pro inordinato appetitu propriæ excellentiæ, et sic est peccatum speciale, de quo disserimus in præsenti. Est vitium maximum, cum sit quodammodo peccatorum omnium origo; dicitur enim Ecclesiastici 10: « Initium omnis peccati est superbia; » et hoc probat D. Thomas, 1. 2, Quæst. 84, Art. 2, quia immoderatus amor propriæ excellentiæ finis est, quem bonorum visibilium adeptione conquerimus, in qua omnis turba peccatorum includitur; finis autem humanarum actionum, principium etiam est ad illas inclinans; quare immoderata excellentia, quæ ut finis appetitur, delictorum omnium reputatur exordium: unde potest dici quod in visceribus peccatorum sedet superbia regina vitiorum, quasi in solio suo, et impellit stultos, ut ambulent in magnis et in mirabilibus super se. Hæc est primum

absolute peccatum a Luciferō commissum, eujus rebellioni ac prævaricationi subscribunt superbi, dum ad illius exemplum super astra Dei ascendunt, et exaltant se ut æmulatione mala fiant similes Altissimo; dicitur enim a Prophetā ipsi Deo: « Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper, » ipsa namque facit homines obliuisci conditionis suæ, et ambitiosissime majora se quærere. Superbiæ gradus quatuor ponit S. Gregorius, ut supra vidimus; D. Bernardus ponit duodecim, et alii, plures aut pauciores. Hi tamen sunt gradus præcipui. Primus est, quo quis se præsumit a semetipso habere bonum quod habet. Secundus est, quo quis credit se propriis meritis debita, et non gratis a Deo concessa, possidere bona quæ habet; utrumque tamen debet intelligi quantum ad affectum saltem interpretativum ipsius superbi, et non quantum ad judicium; quamvis enim non eo erroris ac dementiæ venerit, ut judicet se a seipso, vel propriis tantum meritis aliquod bonum habere, sic tamen arroganter se gerit, et absque gratiarum actione erga Deum, ac si revera totum a se vel sibi debitum haberet. Tertius est, quo quis bona sua quæ gratis a Deo processisse fatetur, majora judicat esse quam sint, unde se cæteris præfert. Quartus est, quo quis se jactat ex operibus, et vanum quaerit gloriam supra meritum. Quintus est, quo quis eo præcise inflatur, quod non peccat, et magnos aliquos peccatores aliqua virtutis excedit apparentia. Sextus est, quo quis peccata sua defendit, et correctionem subire pro peccatis detrectat. Septimus tandem est, quo quis cæteros et verbis et factis despicit, ac si melior omnibus esset. Haec est haereditas filiorum Adæ, quæ cum peccato in homines pertransiit: hæc infirmitas non solum vexat amatores sæculi, sed etiam famulos Dei, qui, cum sciant etiam instinctu naturali se natos ad gloriam, facile vanam pro vera captant, nisi feliciter in schola Christi proficientes et præsentis et humanae gloriæ vanitatem agnoscentes, motus ejus omnes repellant, quia sciunt mendaces esse homines in stateris, et parum prodesset si quis bonus aut sapiens reputetur, nisi Deus scrutator cordium ac discernens merita singulorum probet illum. Unde fidelissimi sunt in omnibus Deo gloriam attribuere, nolentes sibi partem aliquam tribui; nec curant despici vel irrideri, dummodo Deus glorificetur; mundum et fastum ejus contemnunt, et solum Deo servire credunt esse gloriosum; si superbi se jactant et super alios exaltant, ipsi se cunctis humiliant, et juxta diversos humili-

litatis gradus ascendunt aut descendunt, de quibus infra agetur.

Avaritia est amor inordinatus bonorum temporalium; qui majorem partem generis humani alligavit in compedibus. De quo sic ait Apostolus: « Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. » Adoratur aurum, in quo confidunt homines, et quaeritur per terras et maria cum oblivious hæreditatis æternæ. Contra avaritiam sic ait Dominus, Matthæi 6: « Nolite solliciti esse in crastinum, crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua; » et Lucæ 12: « Videte et cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita ejus est, ex his quæ possidet. » Unde merito S. Prosper, Lib. 2, de Vita Contemplativa, Cap. 15, dicit: « Jubet imperiosa cupiditas, ut divina parvipendentes, possessionum terrestrium damnosa compendia cogitemus, ut in eis totam sollicitudinem curamque ponamus, ut inde nos morbida vanitate jactemus, ut amplitudine patrimonii diffusioris elati, fieri pauperes spiritu negligamus. O facinus inauditum! suavi jugo Christi contempto, ferreum cupiditatis imperium voluntaria mentium inclinatione suscipimus, et Domini nostri levi onere, quod subjectos non onerat sed sublevat, posthabito, plumbeum pondus nostris cervicibus aggeramus. » Sed, quod magis mirandum ac deflendum est, viri nonnunquam religiosi, qui suæ professionis virtute soli Deo vacare deberent, avaritiæ culpa maculantur, qui, ut ait Bernardus, Serm. 4, de Adventu, pauperes esse volunt, eo tamen pacto ut nihil eis desit, et sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur; qui sic aliquibus vitæ commoditatibus inhærent, puta cellæ, vestibus, etc., ut Bernardus alibi dixerit eos non minus peccare, quam sacerulares amplissimarum divitiarum avaritia detentos; unde ait: « Quid refert, si forte (quod absit) non quidem divitias, sed ea ipsa quæ paupertatis sunt toto affectu desideres, aut etiam ardenter quam divitias cupiant homines sacerulares? Quid distat quæcumque substantia desideretur, dum æqualiter sit corruptus affectus, nisi quod tolerabilius illud videri possit, quæ pluris esse videntur plurimum desiderare? Non recordantur isti illius Davidici carminis: « Divitiae si affluant, nolite cor apponere: » si enim, divitiis affluentibus et se ingerentibus, et quasi ex nimio erga nos amore domum nostram quærantibus, cor apponendum non est, quanto minus in minimis rebus ad usum nobis concessis collocandum? Quæ sane, ob sui

parvitatem, nec affectu nostro sunt dignæ, nec eum, vel ob sui exilitatem, satiare possunt. » Veri amatores et imitatores Christi, qui « cum dives esset, pro nobis egenus factus est, » dvitias contemnunt in corde; quod si, ratione status sui, debeant eas acquirere, ut debite provideant familiæ, sic affectum moderantur, ut tantummodo procurent de temporalibus acquirere, quantum, et quando, et quomodo oportet juxta necessitatem naturæ, vel status sui; in quo nulla reperitur iniquitas: nam, ex una parte, considerant dictum Apostoli, 1, ad Tim. 6: « Qui volunt divites fieri, incident in tentationem et in laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem; » « Quid autem prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? » ait Magister veritatis; ex alia vero parte, ad veras eccelestes dvitias attendunt, quæ solæ possunt beatum efficere possessorem, quas nec fur auferre, nec ullus valet casus destruere. Sed viri religiosi, qui in schola Jesu-Christi doctiores esse debent, omnia visibilia cum Apostolo despiciunt et arbitrantur velut stercora, ut Christum lucrificant: unde, cum eodem Apostolo, habentes vitæ necessaria et quibus tegantur, his contenti sunt; imo nec de ipsis multum cogitant, juxta Christi præceptum, sed cogitatum suum jactant in Domino, et querunt tantum regnum Dei et justitiam ejus, certi quod cætera adjicientur eis. Et circa res ipsas, quarum usum habent, sic moderantur affectum, ut parati sint eas dimittere plusquam libenter, quando repetantur ab eis.

Luxuria est appetitus immoderatus voluptatis impuræ ac libidinosæ: ex hoc enim quod fallax gratia carnis et vana pulchritudo innumerabiles Adæ filios fascinavit, inmundus spiritus, huic vitio præfectus, templum Dei sæpe violat, » ut ait Apostolus; « paternam benedictionem ac substantiam perdit, » ait Bernardus; « de homine rationali pecudem facit, » ait Hieronymus; et, ut docet Ambrosius, « hominem miserrimæ servituti subjicit, nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, a negotio abducit, a ratione revocat, aufert consilium, amentes inquietat, lapsos inclinat, castis insidiatur, potiendo inflamat, usque succendit. » In hujus extirpatione vitii, hostis domestici, et quod ardet in medullis hominum, potentissima Dei gratia clarificatur, quæ purificat renes et corda, ut cor et caro exultent in Deum vivum. Ad ejus eradicationem, opus est fugere occa-

siones, specialiter enim contra hoc vitium triumphat quis fugiendo potius quam präliando. Unde principiis impuræ cogitationis obstandum est, nec fovenda est donec coluber in draconem formetur, quod fiet, si statim ad sanctas cogitationes recurramus. Deinde, custodiendi sunt sensus, ne quid videant, audiant, tangant, aut quovis modo percipient, quod impuritatem redoleat, aut ad eam alliciat. Adhibenda est asperitas vitæ, qua corpus debilitatum rationi subjiciatur, et potius vivere quam fornicari cogitat. Debet præsertim prä oculis haberi consideratio divini judicii ac æterni supplicii; hoc suadet S. Isidorus, Libro 2 Sent., Cap. 39, dicens: « Quando impulsu dæmonum mens ad delectationem fornicationis impellitur, divini judicii metus, et aeterni tormenta incendii ante oculos proponantur, quia nimirum omnis pœna gravioris supplicii formidine superatur, sicut enim clavus clavum expellit, ita sæpe recordatio ardoris gehennæ ardorem excludit luxuriæ. » Tandem, efficacissimum ac generale remedium orationis adhibendum est. Nec amplius hic immoramus, quia de his iterum agendum est.

Gula est inordinatus appetitus cibi et potus, ut docet D. Thomas, 2.2, Quæst. 148, Art. 1. Est vitium naturæ corruptæ plurimum connaturale, cum naturæ corruptio per originale peccatum fuerit inducta occasione gulæ: unde posteri prævaricatoris primi parentis, ejusdem naturæ corruptæ motum inordinatum sectando, ad hoc pertingunt, ut de eisdicat Apostolus: « Quorum Deus venter est. » Nam revera non aliud saltem practice colunt Deum quam ventrem suum, dum ejus desiderii in omnibus satisfaciunt, ac divinis inspirationibus aures claudunt. Ad hujus vitii extirpationem, opus est fellis et absynthii recordari, quibus pro nobis Christus Dominus in cruce refectus est; opus est sanctorum jejunia et continuas abstinentias meditari, ut eos imitemur; opus est damna gulæ considerare, quomodo mentem hebetat, et corpus ad libidinem inflamat; oportet cogitare quot merita tollit ipsa gula, quibus inquinat peccatis, et quam breviter ejus delectatio transit. Unde Christi fideles discipuli debent et valde parcos, et etiam insipidos quærere cibos, qui vitæ necessitati, non autem voluptati deserviant; et recordentur quod fidelissimus remunerator Deus disposuit regnum electis suis, ut comedant et bibant, ac satientur cum apparuerit gloria ejus, cum venerit optata dies coenæ nuptiarum Agni. Tunc inecriabuntur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis potabuntur hi, qui nunc

esuriunt propter Dominum ; sedebunt securi ad mensam Domini, et dulcissimum ligni vitæ fructum gustabunt ad satietatem, quod est in deliciosissimo voluptatis Paradiso.

Invidia est « dolor de proximi prosperitate, » ait Basilius ; vel « tristitia de alienis bonis, » ait Damascenus ; vel est « odium felicitatis alienæ, » inquit Augustinus. Unde vulgo dicitur : « Invidus alterius rebus macrescit opimis. » Et Hieronymus, ad Cap. 5 Epistolæ ad Galatas, ait : « Justius invidia nihil est, quæ protinus ipsum authorem rodit, excruciatque animum. » Primus invidorum est diabolus, cuius invidia mors intravit in orbem terrarum : unde factum est, ut filii Adam, serpentis consilia sequuti, invideant alii aliis. In invidia autem est pessimus quidam processus : nam invidus vellet in omnibus bonis esse singularis, inde est quod de aliorum prosperitate dolet, de eorum adversitate lætatur, ipsorum eminentiam tegit, apertam virtutem calumniatur, et quod laudandum foret vituperat. Sed discipuli Christi regnant quodam altiore modo, quem non invenerunt potentes hujus sæculi : videntur enim ascendisse super alas cherubim ad volandum per serenam ac purissimam regionem, ubi non inveniuntur invidiæ nebulæ, quibus obscurantur habitatores terræ ; unde charitate muniti aliorum bona quasi propria reputant, et sic de eorum prosperitate lætantur, et de adversitate tristantur, eorum virtutes manifestant et exaltant. Primum ad eradicandam invidiam remedium est, ait Basilius, Oratione 21, de Invidia, « ut nihil rerum humanarum magnum aut supra naturam existimemus ; non enim in rebus fluxis bonum constitui mus, sed ad sempiternorum et verorum bonorum participationem vocati sumus : itaque, nec dives æmulandus est propter divitias, nec potens ob dignitatis ac magistratus culmen, nec fortis ob corporis robur, nec eloquens ob dicendi facultatem ; instrumenta sunt hæc virtutis recte viventibus, nihil per se verae felicitatis habentia : miser est, qui his abutitur, non aliter quam qui, in pugna contra inimicos, ensem corripiens, in se ac interitum suum convertit. » Secundum remedium primoque conjunctum, est illud quod tradit S. Gregorius, Libro 5 Moralium, Cap. 34, dicens : « Qui livoris peste plane carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæendum numerus non angustat, quæ et omnibus una est et singulis tota, quæ tanto largior esse ostenditur, quanto ad hanc percipientium multitudine dilatatur. » Tertium remedium, est considerare cum

Basilio, quod « nihil mortalium animis invidiae perturbatione pernicius contingit, quæ ante omnia ipsi nocet authori, aliis vero quam minimum : quemadmodum enim rubigo ferrum, sic invidia hos qui eam possident consumit atque vastat ; magis autem, sicut viperas dicunt abrupto matris ventre nasci, sic et invidia concipientem se animam corrodere simul ac tabefacere solet. Quid hoc morbo perniciosius ? Interitus vitae, pestis naturæ, adversa omnibus bonis ex Deo viventibus, demum ipsi Deo contraria : fugiamus, fratres, intolerabile malum. »

Ira est immoderatus appetitus vindictæ : tunc enim irasci vitiosum est, quando iracundia est immoderata, vel quantum ad substantiam, vel quantum ad modum ; sed aliquando laudabile est contra peccatores irasci, quia, ut ait Chrysostomus, Homilia 21 in Matthæum, « qui cum causa irascitur, non erit reus ; nam, si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur. Justa ergo ira mater est disciplinæ ; itaque, non solum non peccant qui cum causa irascuntur, sed e contra, nisi irati fuerint, peccant, quia patientia irrationalis vitia seminat, negligentiam nutrit, et non solum malos sed etiam bonos invitat ad malum. » Ira causat aversionem a fratribus, cum assumitur indebite, humanam tollit societatem, odium excitat, vultus asperitatem causat, ad verba contumeliosa provocat, et frequenter impellit ad singularia certamina, imo saepius multarum est causa necium. Sed, si hoc vitium inter homines perniciosum est, multo perniciosius erit inter fratres, et maxime inter religiosos sub eodem tecto, in eadem mensa, et in eisdem exercitiis tota die conversantes : nullum est aliud vitium, aut vix aliud reperitur, quod sic rationem perturbet, et rationales homines ad ferarum naturam concitet. Verum illi tantum homines ex professo contra conservos suos irascuntur usque ad mortem, Domine, qui nesciunt potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinumerare : hi ad singulas horas prorumpunt in verba furore plena, si forte quid eis accidat contra propriam eorum inclinationem. Discipuli vero tui, tanquam agni mansuetissimi, celestis tuae scholæ documenta sectando, non solum ad irrrogatas non turbantur injurias, memores Tui, qui, in mediis opprobriis et suppliciis, tanquam agnus ductus ad victimam, obmutuisti ; sed etiam dulcissimo corde offendentes se diligunt, quasi fratres dilectissimos ac benefactores eximios ; non reddunt mala pro malis,

nec maledictum pro maledicto; non persecuntur aut comprehen-  
dunt inimicos suos, quin potius sua patientia et mansuetudine  
compungunt eos ad pœnitentiam et ad lacrymas devotionis. Reme-  
dium igitur iræ est, considerare quod Dominus ait, Matthæi 6: « Si  
dimiseritis hominibus peccata eorum, dimitte et vobis Pater ves-  
ter cœlestis delicta vestra. » Proinde, « dilectissimi, inquit Leo Papa,  
memores infirmitatis nostræ, quia facile in quælibet delicta prola-  
bimus, hoc potentissimum remedium, et istam efficacissimam  
vulnerum nostrorum curationem nullatenus negligamus; remitta-  
mus, ut remittatur nobis; demus veniam, quam rogamus; et non  
studeamus vindicari, qui nobis precamur ignosci. » Unde, juxta con-  
silium Bernardi, « accepta injuria non continuo oblique referire  
fratrem responsione festines; sed neque, sub specie quasi corri-  
piendi, verbo acuto et urenti transfigere audeas ullatenus animam,  
pro qua Christus affigi cruci dignatus est; non grunnire, quasi  
increpando; non labiis mussitare, quasi murmurando; non narem  
contrahere aut cachinnare, quasi subsannando; non frontem rugare,  
quasi invehendo aut comminando. Sane commotio tua ibi moriatur  
ubi oritur ne permittatur exire; quæ mortem portat, ne perimat,  
ut dicere possis et tu cum Prophetæ: « Turbatus sum, et non sum  
locutus. » Deinde, procura motum interiorem iræ compescere, et sic  
paulatim in tolerandis patienter injuriis assuescere. Quod si ali-  
quando succensa prævaleat ira, et aliquantum dominetur, saltem  
juxta præceptum Spiritus-Sancti, procures quod « non occidat sol  
super iracundiam tuam. »

Acedia sive pigritia est quædam tristitia de bono spirituali divino,  
quod secundum charitatem diligendum est, et de quo charitas ipsa  
gaudet. Ut autem hujus vitii naturam apprehendamus, eam in  
concreto consideremus et virtuti contrariæ comparatam, ex autho-  
ritate D. Bernardi, Serm. 6 de Ascensione, ubi sic ait: « Advertere  
potes in omnibus fere religiosis congregationibus viros repletos con-  
solatione, superabundantes gaudio, jueundos semper et hilares,  
ferventes spiritu, die ac nocte meditantes in lege Domini, crebro  
suspicientes in cœlum, et puras manus in oratione levantes, sollici-  
tos observatores conscientiæ, et devotos sectatores bonorum ope-  
rum, qnibus amabilis disciplina, dulce jejunium, vigiliæ breves,  
labor manuum delectabilis, et universa denique conversationis hu-  
jus austerioritas refrigerium videatur. Contra sane, invenire est

homines pusillanimi et remissos, deficientes sub onere, virga et calcaribus indigentes; quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est; quorum brevis et rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio; quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione; quos denique, ut videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frœnat ratio, vix disciplina coërcet: nonne tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, et affectu intellectui repugnante, necesse habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minime sustentantur, socii plane tribulationis, sed non consolationis?» Hic est miserrimus hominis, et præsertim religiosi, status, qui certissime ad ruinam eum deducet, nisi cito medeatur: nam ille, cui spiritualia desipiunt, ea refugit quasi nociva, internam relinquit eum Deo conversationem; exercitiis externis inutilibus seipsum occupat; sæcularia meditatur, et carnalia nonnunquam appetit, quibus se sperat fruiturum; sic paulatim ad apostasiam vel religionis, vel etiam fidei disponitur; non enim potest in statu sic violento perdurare. Hujus ad ruinam processum describit idem Bernardus, Serm. 63. in Cantica dicens: «Hoc frigus, si semel animam spiritu dormitante perversit, ac, nemine deinde inhibente, ad interiora ejus pervenerit, descenderit in viscera cordis et sinum mentis, concusserit affectiones, occupaverit consilii semitas, perturbaverit judicii lumen, libertatem addixerit spiritus; mox, ut in corpore solet evenire febricitantibus, subit quidam animi rigor, et vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor sollicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio, spiritus extinguitur, defervescit novitus fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, revocat consuetudo. Quid plura? Dissimulatur lex, abdicatur jus, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur postremo impudentiæ manus, præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia et confusione, saltus de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de cœlo in cœnum, de claustro in sæculum, de paradiſo in infernum. » Ecce infiustissimum saltum tepentis animæ, cui applicare possumus illud Isaiæ: «Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram

qui vulnerabas gentes.» Hi sunt effectus acediæ pessimi, qui veneno suo mortem animæ causant, et Deo summe displicant. Hos debet meditari, qui tam perniciosa desiderat arborem eradicare. Considerare debet, quod hoc vitium specialiter torquet habentem, et incipit in eo penas inferni in hac vita, ut perficiat in alia; cætera quidem vitia conjunctam aliquam habent recreationem, hoc nullam, imo est continuum animæ supplicium, cum sit interior tristitia. Debet considerare, quod « non coronabitur nisi qui legitime certaverit; » quod « regnum cœlorum vim patitur et soli violenti rapiunt illud; » quod segnes ab illo miserabiliter excluduntur; quod est breve tempus præsentis vitæ; quod momentaneum est istud quod patimur et leve, comparatum gloriæ quæ promittitur; quod austерitas vitæ fit gravis tepido et suavis fervido, ut ipsa docet experientia. Debet ferventiores socios sibi proponere imitandos, dum eorum continuam jucunditatem, vitæ puritatem, ac eximiam virtutem contemplatur; dum, e contra, tepidorum tristitiam, imperfectionem vitæ, et scandalosos videt defectus. Debet tandem suæ vocationis initia recolere; seipsum interrogare cum D. Bernardo, ad quid venerit; et cum Prophetæ quotidie proficiendi spiritum renovare, dicens cum ipso: « Nunc cœpi, » et persuadens sibi quod « spectaculum factus est Deo, angelis et hominibus. »

### ARTICULUS III.

#### DE SIGNIS ERADICATIONIS VITIORUM.

Mirabile Dei omnipotentis opus est, quod homines, ante superbi, avari, impudici, gulosi, invidi, iracundi, pigri, vitiisque cæteris contaminati, ad puritatem in omnibus angelicam transferantur: hæc est vis efficacissima gratiæ; hæc est doctrina cœlestis scholæ Jesu-Christi; hæc est virtus Altissimi transformativa hominum, reformatrix naturæ, vitiorum extirpatrix, generativa virtutum.

Quamvis autem miles Christi a pugnando contra vitia nunquam cessare debeat, nec gloriari quasi victor, quia pene extincta resurgere valent, si securus dormiat, natura namque corrupta pabulum et vires subministrat vitiis, in principio tamen conversionis, cum

vitia sint magis valida et timenda, fortius pugnandum est, nec ab eorum impugnatione cessandum, donec mortificata et eradicata penitus appareant.

Ad solatium igitur animæ spiritualis, afferenda sunt quædam signa eradicationis vitiorum, seu perfectæ super ea victoriæ; non ut anima prorsus secura maneat, sed ut lætabunda in Domino confidat, se virtute gratiæ ipsius semper profuturam, ac in fine de cunctis hostibus suis fore triumphaturam. Unde, generaliter loquendo, signum eradicationis vitiorum duplex est. Primum quidem, pax interna : nam finis cujusque belli pax est, et maxime hujus belli spiritualis; cum enim vitia sint animæ rationalis hostes infensissimi, quamdiu morantur in ea, solent inquietare, commovere, ac miris affligere modis; signum igitur reportatae super ea victoriæ, est pax interna « quam mundus dare non potest, » et « quæ exsuperat omnem sensum. » Secundum autem signum est, exercitium facile ac delectabile virtutum oppositarum : cum enim virtus et vitium contraria sint, ubi probatur esse virtus ex facili et delectabili ipsius exercitio, ex consequenti demonstratur jam ibi non esse vitium contrarium, contraria siquidem ab eodem subjecto se mutuo expellunt.

Sed, ut magis ad particularia descendamus, et communem hanc doctrinam ad vitia capitalia breviter restringamus, quorum naturam et modum eradicationis supra proposuimus, signa sunt eradicatae superbiae : si ames nesciri, imo despici propter Deum procurares, bona opera tua, quantum in te est, abscondendo, et defectus propalando ; si de laudibus aliorum gaudeas, et in propriis erubescas ; si locum sublimem, dignitates, et alia honoris insignia non appetas, et, sociis talia concedendo, velis omni creaturæ subesse ac vilioribus exercitiis occupari ; si, te judicans indignum omni honore, et omni bono, ae vita ipsa, in tuis gaudeas opprobriis.

Signa sunt eradicatae avaritiae : si divitias omnes sæculi, si commoditates mundi despicias; si non solum superflua cuncta, sed multa necessaria rejicias, et ab usu proprio rescindas ; si, oblato sanctæ paupertatis exercitio, propter indigentias occurrentes, intime læteris ; si, tam in victu et vestitu, quam in omnibus aliis, semper pauperiora desideres, ad imitationem Christi, qui, « cum dives esset, pro nobis egenus factus est. »

Signa sunt eradicatae luxuriæ : si, contra ejus impuritatem hor-

rore concepto, vel non ita vehementes carnis stimulos patiaris, vel saltem sine culpa patiaris, quando Deus ad augmentum meriti misericorditer illos permittit; si vel minimum quid ad hanc materiam, etiam indirecte ac valde remote pertinens nec videre, nec audire, nec loqui, nec legere præsumas; si cogitationes impuras occurrentes illico rejicias, et a facie ipsarum tanquam a facie colubri refugias; si, erga castitatem te plurimum affici sentiens, abstineas ab omni specie hujus mali.

Signa sunt eradicatae gulæ: si non lauta ad sensualitatem foven-dam, sed tantum necessaria ad vitam utcumque sustentandam appetas, et ita clamorem ventris superflua postulantis cohubeas; si, voluptatem sentiens insurgentem inter edendum, fellis Christi recorderis, et ejus recordatione sensualitatem coerces; si cum sancto Job suspires, quoties comedis.

Signa sunt eradicatae invidiae: si de prosperitatibus ac laudibus aliorum gaudeas, et de eorum infortuniis tristeris; si virtutes eorum detegas, et defectus abscondas; si libenter alios collaudes, et damnatos excuses.

Signa sunt eradicatae iræ: si offensus tam internos quam externos indignationis motus facile cohubeas; si factam injuriam libenter dimittas; si pro offendente Deum exores, ad imitationem Christi et sanctorum, qui pro suis persecutoribus rogaverunt; si, præveniendo persecutorem, cum eo pacem resarcire studeas.

Signa sunt eradicatecediae: si prompte ac hilari animo servire Domino procures, qui, juxta dictum Apostoli, « hilarem diligit datorum; » si non tantum opera obligationis, sed etiam opera supererogationis fideliter execuaris, « declinantes enim in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem; » si, tuae professionis studiosissimus, minimam regulæ transgressionem quasi piaculum formides; si, ad eximiam sanctitatem aspirans, tepidorum refugias conversationem, et in consilio justorum semper ambules, ut eorum fervore tua præsumpta tepiditas incalescat.

Ex dictis circa hæc vitia capitalia, facile colligi poterunt signa eradicationis aliorum vitiorum, quæ sunt actus virtutum ipsis contrariarum. Qui vero hujusmodi signa victoriae in seipso deprehendit, gratias ipsi Domino referat, qui « dat nobis victoriam per Jesum Christum, » et in illo glorietur, cuius virtute triumphavit, non in

seipso, cum sua virtute solum deficere possit. Et in omnibus circumspectus, nec nimium de prima victoria securus, suppliciter a Deo postulet continuationem victiarum usque in finem præsentis vitæ, ut perfecte in æterna vita triumphet.

---

## DISCURSUS III.

### DE PASSIONUM MODERATIONE.

Passiones animæ se ad bonum et ad malum morale indifferenter habent: unde, sicut immoderatae seu inordinate sunt radices vitiorum et peccatorum, sic moderatae ac ordinatae sunt adjumenta virtutum. Non sunt igitur extirpanda passiones ad instar vitiorum, nec evacuandæ ad instar peccatorum, sed moderanda juxta dictamen rationis. Propterea, dum agimus de purgatione activa partis affectivæ, necesse est ut, post discursum de peccatorum evacuatione, ac vitiorum eradicatione, nunc discurramus de passionum moderatione, referentes quidem quicquid ad earum notitiam tam in communi quam in particulari pertinet, sed tamen breviter, juxta consuetum in aliis discurrendi modum.

### ARTICULUS I.

#### DE NATURA ET NUMERO PASSIONUM.

Quia passiones immoderatae sunt radices omnium peccatorum, ut dictum est, et constat ex illo ad Rom. 7: «cum essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris nostris,» sequitur quod sunt inimici domestici, imo domi sunt nati, et eo periculosiores, quo expelli non possunt, et difficile longo virtutum exercitio refrænantur. Et, nisi continuo moderationis malleo conterantur, sic insolescunt, ut contra rationem insurgentes implacabile ac periculosum gerant bellum. Propterea, ad referendam de

hujusmodi inimicis victoram, opus est ut eorum naturam, proprietates, effectus malos, mille nocendi artes, ac tandem characteres agnoscamus, primo in communi, deinde in particulari.

Ut materiam passionum ab ipsis deducamus principiis, Passio derivatur et denominatur a Pati. Pati vero dicitur tripliciter, ut docet D. Thomas, 1. 2, Quæst. 22, Art. 1: «Uno modo communiter, secundum quod omne recipere est pati, etiamsi nihil abjiciatur a re; sicut, si dicatur aërem pati, quando illuminatur: hoc autem magis est perfici quam pati. Alio modo dicitur proprie pati, quando aliquid recipitur cum alterius abjectione, quod non est conveniens rei; sicut, cum corpus animalis sanatur, dicitur pati, quia recipit sanitatem ægritudine abjecta, quæ non est conveniens at potius disconveniens animali. Tertio tandem modo dicitur propriissime pati, quando aliquid recipitur disconveniens rei, cum alterius ei convenientis abjectione; sicut aegrotare dicitur pati, quia recipitur infirmitas disconveniens animali, abjecta sanitate ipsi conveniente.» Passio igitur tribus his dicitur modis, ita ut primus modus sit impro prius, secundus proprius, tertius propriissimus: cuius rationem adducit D. Thomas: «nam pati dicitur ex eo, quod aliquid trahitur ad agentem; quod autem recedit ab eo quod est sibi conveniens, maxime videtur ad aliud trahi.»

Nunc agentes de passionibus, relicta passione improprie dicta secundum receptionem tantum, prout sentire et intelligere est quoddam pati, passionem assumimus proprie ac propriissime secundum receptionem cum abjectione, quæ non est nisi secundum transmutationem corporalem, quæ proinde non potest competere animæ nisi per accidens, in quantum scilicet compositum patitur: sed in hoc est diversitas, nam quando hujusmodi transmutatio fit in deterius, magis proprie habet rationem passionis, quam quando fit in melius; unde tristitia magis proprie est passio quam lætitia.

Passio igitur, prout ad præsens attinet institutum, est motus appetitus sensitivi, ad imaginationem boni vel mali, cum aliqua corporis immutatione, quo scilicet fertur ad bonum et fugit a malo; seu est illa impressio, qua excitatur appetitus ex praconcep ta sensibus internis imagine boni vel mali, ad quam sequitur corporis transmutatio. Ex qua definitione et exacta descriptione passionis, sequitur quod simplices motus animæ, in superiori parte ipsius residentes, licet iisdem insigniantur nominibus ac passiones (in ipsa

quippe voluntate, quæ est appetitus superior, vere reperitur amor, desiderium, gaudium; odium, abominatio seu fuga, et tristitia; spes, desperatio, audacia, timor et ira), passionis tamen rationem non habent; quia non immediate causant prædictam corporis transmutationem, sicut illam immediate causant motus appetitus sensitivi, qui excentur in inferiori parte animæ et in determinatis partibus corporis. Ad prædictam passionis definitionem reducuntur aliae a diversis traditæ, sicut ista Damasceni, Libro 2 Fidei, Cap. 22, ubi dicit quod « passio est motus appetitivæ virtutis sensibilis in imaginatione boni vel mali, sive passio est motus irrationalis animæ per susceptionem boni vel mali. »

Cum autem appetitus sensitivus distinguitur in duas potentias, videlicet in concupiscibilem in jecore residentem, et in irascibilem in corde residentem, sequitur quod passiones, quæ sunt actus seu motus harum potentiarum, in duas classes distinguantur, quarum aliquæ sunt appetitus concupiscibilis, aliae vero irascibilis, distinctæ ex parte objecti: objectum namque potentiaæ concupiscibilis est bonum vel malum sensibile simpliciter acceptum, quod est delectabile vel dolorosum; idem autem bonum aut malum, secundum quod habet rationem ardui vel difficilis, est objectum irascibilis. Unde, quæcumque passiones respiciunt absolute bonum vel malum, pertinent ad concupiscibilem; quæcumque vero respiciunt bonum vel malum sub ratione ardui, prout est aliquid adipiscibile vel fugibile cum aliqua difficultate, pertinent ad irascibilem. Quamvis autem passiones concupiscibiles nascantur in jecore, ubi residet appetitus concupiscibilis, perficiuntur tamen in corde, quod omnibus passionibus urgetur.

Numerus et ordo passionum ab earum objecto, scilicet bono vel malo sensibili, desumuntur. Omnes autem sunt numero undecim, sex pertinentes ad concupiscibilem, et quinque ad irascibilem, ut ex sequenti discursu manifestatur. Bonum naturaliter est prius malo, eo quod malum est privatio boni; unde passiones, quarum objectum est bonum, naturaliter sunt priores passionibus, quarum objectum est malum, unaquæque scilicet sua passione opposita; quia enim bonum queritur, ideo refutatur oppositum malum. Appetitus autem diversimode tendit in bonum et in malum: in bonum quidem ut adipiscendum, in malum vero ut fugiendum. Bonum simpliciter acceptum per sensus cognitum, statim placet qua-

tenus conveniens et proportionatum naturæ, sicut contra malum cognitum statim displicet quatenus disconveniens et improportionatum naturæ : unde circa bonum excitatur amor in appetitu, qui est complacentia boni, fundata in aptitudine ac proportione appetitus ad bonum ; circa malum autem excitatur odium in eodem appetitu, quod est displicantia mali, fundata in disproportione appetitus ad malum. Sed, quia bonum amatum allicit appetitum ad sui possessionem, sicut malum odio habitum in eodem appetitu causat sui horrorem, inde est, quod appetitus movetur ad bonum adipiscendum per actum desiderii, et movetur ad malum vitandum per actum fugæ seu abominationis. Dum autem habetur bonum, circa illud jam possessum appetitus se habet ut quiescens et fruens, per actum gaudii vel delectationis ; sicut, e contra, dum malum habetur, quod vitari non potuit, de illo manet appetitus inquietus per actum tristitiae. Unde constat, quod sunt sex passiones appetitus concupisibilis, tres circa bonum, et tres oppositæ circa malum : circa bonum sunt amor, desiderium, et gaudium ; circa malum sunt odium, fuga, et tristitia. Deinde sequuntur passiones appetitus irascibilis : sicut enim bonum aut malum simpliciter sumptum est prius seipso sub aliqua ratione particulari considerato, quod enim est simpliciter prius est eo quod est secundum quid, sic passiones concupisibilis, quæ respiciunt bonum et malum simpliciter, præcedunt passiones irascibilis, quæ respiciunt bonum et malum sub ratione ardui ; et sic istæ subsequuntur illas. Hoc autem ordine se habent, ut primo sit spes de obtinendo bono difficiili et arduo, ac desperatio de illo obtinendo ; deinde sit audacia contra malum arduum, et timor de illo, sicut enim bonum prius est malo, sic passiones que respiciunt bonum, sunt priores iis que respiciunt malum ; denique est ira, quæ non habet contrarium, quod possit habere rationem passionis. Et, si ordinem omnium passionum secundum viam generationis scire velimus, ait D. Thomas, 1. 2, Q. 25, Art. 3 : « Primo occurunt amor et odium ; secundo desiderium et fuga ; tertio spes et desperatio ; quarto timor et audacia ; quinto ira ; sexto et ultimo gaudium et tristitia quæ consequuntur ad omnes passiones. Ita tamen quod amor est prior odio, et desiderium fuga, et spes desperatione, et timor audacia, et gaudium tristitia. »

Quælibet passio suum habet characterem, quem in ipsa cor-

poris transmutatione specialiter imprimit in vultu, qui speculum quoddam est mentis, ubi ipsius mentis serenitas vel tempestas excitata per passiones relucet : character igitur passionum, est apparenſ in vultu latentium ipsarum indicium, ab ipsiſ met impressum. Hæc characteris impressio, diversa secundum diversitatem passionum, fit per diversam quatuor humorum, quibus passiones dominantur, diffusionem cum admixtione spirituum vitalium, qui in corde generantur, ubi singulæ passiones perficiuntur, ut dictum est. Diversi passionum characteres apparent manifeste : sicut enim quædam passiones causant in mente serenitatem, aliae vero tempeſ tam, sic vel aliter modificatam, ita et in vultu correspondente causant dispositionem, cum eodem aut cum diverso colore, ut in singulis passionibus exprimi posset.

Passionum moderatio fieri potest dupli via. Primo, quantum ad modum, ut de immoderata seu nimia fiat moderata : puta si quis amet immoderate aliquod licitum, ut parentes, jam excessum tollat amoris liciti, et moderate amet tale objectum. Secundo, quantum ad objectum, ut scilicet de objecto illico transeat ad licitum, ut accidit in Maria-Magdalena, quæ prius amabat mundum et vanitates ejus, postmodum amavit Christum et mente et corde. Idem, quoad utrumque, posset in singulis passionibus demonstrari.

## ARTICULUS II.

### DE PASSIONE AMORIS.

In passionibus enumerandis, non eumdem prorsus ordinem sequemur, quem in illis constituimus ; sed, velut arbitraria methodo procedentes, prius agemus de passionibus concupisibilis, quæ bonum respiciunt, deinde de aliis quæ circa malum versantur, denique de passionibus irascibilis juxta prioritatem earum et connexionem.

Amor sensitivus prima est omnium passionum et aliarum origo, (qui in hominibus aliquid libertatis participat, in quantum obedit rationi) : supposita namque boni sensibilis apprehensione, statim sequitur motus appetitus ; appetibile enim cognitum movet appeti-

tum, faciens in eo quodammodo ejus intentionem, et appetitus tendit in appetibile realiter consequendum, ut sit ibi finis motus, ubi fuit principium. Prima autem immutatio appetitus ab appetibili dicitur amor, qui nihil est aliud quam complacentia appetibilis sive complacentia appetitus in appetibili; ad quam sequitur motus ejusdem appetitus in appetibile, qui motus est desiderium; et ultimo sequitur quies, quae est gaudium. Certum est etiam, quod aliæ passiones concupiscibilis, quae malum respiciunt, ad amorem consequuntur, et in eo fundantur: nam qui odit aliquod malum, qui refugit illud absens, et tristatur de illo præsenti, ideo hæc omnia facit, quia diligit seu amat bonum, cui tale malum contrariatur. Et tandem in amore fundantur omnes passiones irascibilis: nam speratur bonum, quod amatur; desperatur de bono, quod amatur et haberi creditur impossibile; timetur malum, quod bono amato contrariatur; et contra ipsum insurgit audacia, et ira.

Ad majorem hujus passionis notitiam, statuenda est, cum D. Thoma, I. 2, Quæst. 26. Art. 3, differentia, quam important hæc quatuor nomina ad idem quodammodo pertinentia, scilicet, amor, dilectio, charitas, et amicitia. Differunt autem in hoc, quod amicitia est quasi habitus, amor autem et dilectio significantur per modum actus vel passionis, charitas utroque modo accipi potest. Differenter etiam significatur actus per ista tria: nam amor communis inter ea est, omnis enim dilectio vel charitas est amor, sed non e converso: unde amor est tam in concupiscibili, quam in voluntate; dilectio non est in concupiscibili, sed in voluntate tantum, et est in sola rationali natura; charitas autem addit supra amorem perfectionem quamdam amoris, in quantum id quod amatur magni pretii aestimatur, ut ipsum nomen designat. Amor igitur qui nomen ac rationem habet passionis, in sola est concupiscibili, et dicitur amor concupiscentiæ, qui in hoc differt ab amore amicitiæ, quod ipse amor concupiscentiæ magis fertur in bonum quod alicui vult, quam in illum cui vult; sed amor amicitiæ magis inclinatur in illum cui bonum vult, quam in bonum quod illi vult. Quiduo amores aliquando miscentur, quando scilicet amicitia est utilis et delectabilis: tunc enim aliquis vult bonum amico, et quantum ad hoc salvatur ibi ratio amoris amicitiæ; sed, quia illud bonum refert ulterius ad suam delectationem et utilitatem, quantum ad hoc, invenitur ibi ratio amoris concupiscentiæ: et inde est quod amicitia utilis et delecta-

bilis, in quantum trahitur ad amorem concupiscentiae, deficit a ratione veræ amicitiae.

Causa amoris est bonum cognitum, ut docet Augustinus; nam, Libro 8, de Trinitate, Cap. 3, dicit: « Non amatur certe, nisi bonum solum; » et Libro 10, statim a principio, dicit quod « nullus potest amare aliquid incognitum. » Bonum autem causat amorem, per hoc quod sit connaturale et proportionatum amanti, sic enim habet quod amanti complacat; ad hanc autem complacentiam objectivam connaturalitatis et proportionis sequitur complacentia formalis, quæ est actus elicitus amoris. Similitudo etiam est causa amoris, cum similitudo sit aliquorum unam formam habentium, in eaque una forma velut unum quid existentium; propterea facit quod unius affectus tendat in alterum, sicut in unum sibi, eique bonum velit, sicut et sibi.

Plures sunt amoris effectus, boni vel mali moraliter, juxta conditionem ipsius amoris: scilicet fervor, languor, extasis, liquefatio, unio, mutua inhaesio, penetratio, et zelus; qui omnes in possessione boni praesentis invalescent.

Ut possit quis passionem amoris moderari, debet considerare, an ejus immoderatio sit ex objecto amato, vel in modo amandi. Si fuerit ex objecto, quia scilicet appetitus fertur in bonum utile vel delectabile contra regulas rationis, debet, proposito meliori bono, suum affectum a priori illo ad istud posterius suaviter revocare: certum est enim, quod affectus humanus, bonorum cupidissimus, nunquam ab uno poterit bono divelli, nisi aliud proponatur; et facile ab illo divelli poterit, si melius debite proponatur. Unde, si mundanos amet honores, vel divitias utiles, vel impuras delectationes, tum rationis lumine, tum divina fide convictus, sibi suadeat vanos esse tales honores, falsas esse tales divitias, et momentaneas tales delectationes; ut sic affectum ad cœlestes sanctorum honores, ad veras gratiæ ac gloriæ divitias, et ad æternas beatitudinis delectationes convertat.

Si autem immoderatio fuerit in modo amandi, quia scilicet, præter regulas rationis, aliquid alias licitum amat, vel nimis intense, vel quovis alio inordinato modo, potest, et aliquando debet circa tale objectum conservare amorem, sed ejus excessum aut defectum moderari.

Hæc amoris moderatio debet etiam circa necessaria victus et

vestitus diligenter exerceri. Unde, qui ad summam aspirat perfectionem, ubi se nimis sentit inclinatum ad aliquid hujusmodi, debet primo, lumine rationis ductus, dicere hæc indigna esse humano amore, saltem tam vehementi, qui solum ad bonum virtutis sic tendere debet; deinde, lumine fidei edoctus, dicat hæc bona terrena non mereri hominis amorem, qui ad cœlestia bona possidenda creatus est; denique, altiori lumine confortatus, judicet inconveniens esse maximum, ut qui Christum nudum et crucifixum sequi desiderat, det operam voluptati, dum Christus ipse mortem crucis sustinuit. Persequatur in omnibus amorem proprium, amoris divini capitalem inimicum; dicat ex corde Domino, quoties aliquid occurrit arridens sensualitati, necessario assumendum: hoc, Deus meus, sensibili placet appetitui; nullam inde actu deliberato delectationem capere desidero; mallem ut mihi displiceret, ut sic illo propter solam necessitatem, et non propter ullam delectationem, uterer. Fac, bone Jesu, ut cito mihi molestiam generet, ne quid mihi placeat præter te, Domine, qui summe mihi places, et ipse tibi in omnibus placere desidero.

### ARTICULUS III.

#### DE PASSIONE DESIDERII SEU CONCUPISCENTIÆ.

Postquam bonum cognitum appetitui sensibili complacuit, si absens fuerit, statim appetitus ad illud adipiscendum tendit per desiderium illius; quod, si fuerit efficax, media adeptioni necessaria solet applicare.

Est igitur desiderium motus appetitus ad bonum absens adipiscendum: et per hoc differt ab amore et gaudio, quod amor est simplex in bono complacentia, abstrahens ab absentia et praesentia objecti; gaudium autem est quies in bono praesenti.

Hæc passio, quæ in homine desiderium etiam vocatur, quia rationis ductum comitatur, in brutis dicitur concupiscentia, et est quedam amoris extensio sive progressio, sive motus et gressus appetitus ad bonum quod aridet. Postquam enim bonum placuit appetitui, scipsum appetitus expandit et ad capiendum bonum

exporrigit; ita quod, sicut bonum complacens appetitui, in eo causat actum aut motum amoris, sic suaviter alliciens appetitum ad sui consecutionem, causat in eo motum aut actum concupiscentiae sive desiderii in homine.

Quamvis bonum cognitum, non physice, sed tantum moraliter alliciendo, moveat appetitum ad realem sui possessionem, quod tantum movet objective præsens, hæc tamen motio est efficacissima, si bonum movens fuerit magnum ac debite cognitum; quia tunc appetitus voluptate inchoata trahitur, juxta illud: « Trahit sua quemque voluptas; » quia motio talis ex amore procedit jam præexistente: « Amor meus pondus meum, illo feror quocumque feror. » Quod si boni desiderati possessio ac fruitio differatur, solet desiderium invalescere usque ad ardorem, qui fervor appellatur; et ei succedit languor, gravis scilicet moestitia, quæ non raro solet hominem perimere; unde vulgo dicitur quod « desideria dilata crescunt. »

Nomen concupiscentiae magis hanc hominis passionem exprimit, quam nomen desiderii (licet istud frequentius assumatur, excellentiæ causa, propter rationem adductam), quia desiderium, ut docet D. Thomas, proprie loquendo, pertinere potest, non solum ad inferiorem appetitum sensitivum, sed etiam ad superiorem intellectivum sive voluntatem; non enim desiderium importat aliquam consociationem utriusque appetitus in cupiendo, sicut illam importat concupiscentia; sed nominat simplicem motum in rem desideratam.

Concupiscentia igitur, proprie loquendo, est in appetitu sensitivo, et in vi concupiscibili: quamvis enim unicuique potentiaæ animæ conveniat appetere proprium bonum appetitu naturali, qui non sequitur apprehensionem, appetere tamen bonum appetitu animali, qui sequitur apprehensionem, pertinet tantum ad appetitum sensitivum; appetere autem aliquid sub ratione boni delectabilis secundum sensum (quod proprie est concupiscere) pertinet ad vim concupiscibilem.

Concupiscentia, passio sensitivi appetitus, ab amore a quo nascitur, et a delectatione in quam tendit, secundum speciem diversa, dividitur in naturalem et non naturalem. Illa communis est hominibus et brutis; ista propria solis hominibus. Hujus divisionis rationem affert D. Thomas, 1. 2, Q. 30, Art. 3, dicens quod « concupiscentia est appetitus boni delectabilis. Dupliciter autem aliquid est delectabile. Uno modo, quia est conveniens naturæ animalis,

sicut cibus et potus, et alia hujusmodi; et haec concupiscentia delectabilis dicitur naturalis. Alio modo aliquid dicitur esse delectabile, quia est conveniens animali, secundum apprehensionem; sicut, cum aliquis apprehendit aliquid ut bonum et conveniens, per consequens delectatur in ipso; et hujusmodi delectabilis concupiscentia dicitur non naturalis, et solet magis dici cupiditas. » Et concludit eum philosopho, 3 Ethicor., C. 11, quod « prima concupiscentia est communis omnibus animalibus, et necessaria; secunda vera est propria solius hominis, nec necessaria. Propterea, prima dicitur irrationabilis, secunda dicitur esse cum ratione. Et, quia natura semper ad aliquid finitum et certum tendit, concupiscentia naturalis esse non potest infinita in actu, licet secundum successionem in potentia dici possit infinita: quia vero ratio in infinitum procedere potest, concupiscentia cum ratione prorsus est infinita. »

Hæc passio potest esse immoderata, vel ex parte boni concupiscentialis, vel ex modo concupiscendi: si sit immoderata, quia fertur in illicita, mutetur objectum, temporalia scilicet bona in æterna, falsa in vera; si sit immoderata, quia fertur in licitum et alias laudabile, sed indebito modo, concupiscentia retineatur, sed modus corrigatur.

Beati sunt fideles servi tui, Domine, in schola tua erudití, qui, cum animas suas odio habeant propter te, militant contra irrationabiles earum concupiscentias, et inordinatis repugnant desideriis. Unde non ambulant in comedientibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione, sed te solum requirunt unicum desiderium suum. Et sic cum Psalmista dicunt assidue: « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, sicut anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus? » His desideriis æternitatis præventi, nociva et perniciosa carnis existimant desideria, quæ mergunt in interitum; fallacem et vanam judicant carnis gratiam et pulchritudinem; ac tandem omnia arbitrantur velut stercora, ut te Christum lucrifaciant, qui facis voluntatem timentium te, et reples in bonis desiderium eorum. Sitiat ergo in te, Domine Jesu, anima mea, quam multipliciter tibi caro mea, et solum vigeat in me desiderium collium æternorum.

## ARTICULUS IV.

## DE PASSIONE GAUDII SEU DELECTATIONIS.

Si bonum concupitum obtineatur, exurgit tertia passio, qua in bono jam adepto quiescit anima, et quæ generaliter vocatur delectatio. Cunctis animalibus communis, specialiter autem in homine dicitur gaudium, quia rationi subditur, sicut ob eamdem rationem concupiscentia in homine dicitur desiderium. Hæc passio est, non solum amoris et desiderii, sed etiam aliarum passionum, respiciens bonum, terminus et finis. Unde, si amor est prima passionum ordine executionis, hæc est prima ordine intentionis, cum cæteræ passiones ad hoc tendant, ut appetitus in bono adepto quiescat, et illo suaviter fruatur. Unde est efficacissima, ut ipsis probatur experimentis, certum est enim quod « trahit sua quemque voluptas. »

Quod delectatio sit animæ passio, constat, tum authoritate Philosophi, 10 Ethicorum, et communiter sanctorum Patrum, maxime Augustini, 10 et 14, de Civitate Dei; tum ratione D. Thomæ, nam « delectatio est motus in appetitu animali, non quidem tendente in bonum absens, sed quiescente in bono præsentí, consequens apprehensionem sensus; constat autem quod passio nihil est aliud, quam motus appetitus sensitivi consequens apprehensionem sensus. »

Sicut autem, inter concupiscentias, quædam dicuntur naturales et irrationales, quædam vero non naturales, et consequentes rationem; sic etiam, inter delectationes, quædam sunt naturales et irrationales, quædam autem non naturales, quæ sunt cum ratione: has Gregorius Nyssenus vocat animæ voluptates, illas corporis. Nam, ut explicat D. Thomas, 1. 2, Quæst. 31, Art. 3, « delectamur et in his quæ naturaliter concupiscimus, ea adipiscentes, et in his quæ concupiscimus secundum rationem. Nomen igitur gaudii non habet locum, nisi in delectatione quæ consequitur rationem: propterea gaudium non attribuitur brutis animalibus, sed solum nomen delectationis. Omne autem quod concupiscimus secundum naturam, possumus etiam cum delectatione rationis concupiscere, sed

non e converso : unde de omnibus, de quibus est delectatio, potest esse gaudium in habentibus rationem, quamvis non semper de omnibus sit gaudium ; quandoque enim aliquis sentit aliquam delectationem secundum corpus, de qua tamen non gaudet secundum rationem. »

Non habet hæc passio speciale nomen, quo ab actu simplici voluntatis distinguatur, sicut habet passio concupiscentiae : nam tam delectatio, quam gaudium simul reperitur et in appetitu sensitivo, et in intellectivo. De gaudio constat ex dictis, quomodo sit actus, et simplex voluntatis, et appetitus sensitivi consequentis ratione m ; de delectatione constat ex illo Psalmi 36 : « Delectare in Domino.» Deinde, quia ad apprehensionem rationis non solum commovetur appetitus sensitivus per applicationem ad aliquid particulare, sed etiam appetitus intellectivus, qui dicitur voluntas ; et secundum hoc, in appetitu intellectivo sive in voluntate est delectatio quæ dicitur gaudium, non autem delectatio corporalis ; hoc tamen interest inter delectationem utriusque appetitus, quod delectatio appetitus sensibilis est cum aliqua transmutatione corporali, delectatio autem appetitus intellectivi nihil aliud est quam simplex motus voluntatis.

Circa passionis hujus moderationem, simili modo ac circa præcedentem disserendum est. Unde, nunquam in illicitis debet anima delectari, et potius mortem tenetur eligere quam in tali delectatione morari ; in licitis autem sic delectari debet, ut semper eis utatur moderate, præcipuam in Domino suam constituens delectationem. Quod efficiet, si consideret quam fallaces sint creaturarum delectationes, quæ statim ut fumus evanescunt, pereunt mox exortæ quasi non fuerint ; si consideret quam limitatæ sint, quæ potius appetitum occupare quam replere, potius irritare quam satiare valent ; et, e contra, si consideret captas in Domino delectationes in hac mortali vita esse veras et solidas, sanctas et honestas, sed in futura vita penitus esse perfectas ac omnino beatificas, ubi fideles Christi famuli « inebriabuntur ab ubertate domus, et torrente voluptatis ejus potabuntur » in cœlesti illa civitate, quam « lætificat fluminis impetus. » Hac divina instructi scholæ tuæ doctrina, discipuli tui, Domine, procurant etiam in hac vita in te solo delectari, bene faciendo ; refugiunt, quantum in ipsis est, omnem creaturarum delectationem, propter te summe dilectum. Quod si aliqua

delectatio rationabilis et necessaria hic occurrat sumenda ad vitae sustentationem, eam intentione pura ad te cum gratiarum actione dirigunt, et miris mortificationis asperitatibus adinventis moderantur. Nolunt imitari filios hujus saeculi, qui praesentibus sic adhaerent delectationibus, quasi nullas in futuro sperarent; sic terrenis se tradunt voluptatibus, quasi coelestibus renuntiarent; sic carnalibus vacant oblectamentis, ac si spiritualia non crederent; sic sua in creaturis gaudia constituunt, ac si Deum, creatorem earum, optimum esse negarent aut despicerent.

## ARTICULUS V.

## DE PASSIONE OII.

Odium contrariatur amori; unde contraria est ejus natura naturae amoris. Sicut ergo amor, ut dictum est supra, non est aliud quam complacentia formalis appetitus sensitivi in bono cognito; sic odium nihil est aliud, quam displicantia formalis ejusdem appetitus in malo cognito: quemadmodum enim bonum appetiti manifestatum, eique arridens aut complacens objectiva complacentia, propter convenientiam et proportionem quam habet ad eum, statim eum excitat ad sui amorem seu ad formalem complacentiam; sic malum appetiti manifestatum, eique displicens objectiva displicantia, propter inconvenientiam et disproportionem quam habet ad eum, statim eum excitat ad odium sui, seu ad formalem sui displicantiam. Est igitur odium motus appetitus concupiscibilis dissonantis malo, seu est motus aversionis, qua appetitus afficitur, dum aliquid sibi dissonum, inconveniens, aut contrarium apprehendit.

Objectum igitur odii est malum verum vel apprensens sensibile, cognitum in tota sua latitudine, prout scilicet comprehendit in honestum, inutile, ac insuave; sicut objectum amoris est bonum verum vel apprensens sensibile, cognitum in tota sua latitudine, prout scilicet comprehendit honestum, utile, ac delectabile: quemadmodum enim quodlibet istorum bonorum appetiti sensitivo placere potest, ita quodlibet illorum malorum eidem appetiti displicere potest; contrariorum enim eadem est doctrina.

Hanc appetitus sensitivi complacentiam ad bonum, et displicentiam ad malum explicat D. Thom as, 1. 2, Q. 29, Art. 1, ex comparatione ipsius ad appetitum naturalem : dicit enim, quod « cum appetitus naturalis derivetur ab aliqua apprehensione, licet non conjuncta (que scilicet est in authore naturæ), eadem ratio videtur esse de inclinatione appetitus naturalis, et appetitus animalis qui sequitur apprehensionem conjunctam (seu existentem in ipso animali). In appetitu autem naturali hoc manifeste apparet, quod, sicut unumquodque habet naturalem consonantiam vel aptitudinem ad id quod sibi convenit, quæ est amor naturalis ; ita ad id quod est repugnans et corruptivum habet dissonantiam naturalem, quæ est odium naturale. Sic igitur, et in appetitu animali, amor est consonantia quædam appetitus ad id quod apprehenditur ut conveniens ; odium vero est dissonantia quædam appetitus ad id quod apprehenditur ut repugnans et nocivum. Sicut autem omne conveniens, in quantum hujusmodi, habet rationem boni ; ita omne repugnans, in quantum hujusmodi, habet rationem mali. Et ideo, sicut bonum est objectum amoris, ita malum est objectum odii. »

Quamvis autem odium contrarietur amori, ut explicatum est, odium tamen nascitur ex amore, quo quis seipsum et aliquid aliud amat ; quod sic discursu D. Thomæ demonstratur : « Amor consistit in quadam convenientia amantis ad amatum, odium vero consistit in quadam repugnantia vel dissonantia. Oportet autem, in quolibet, prius considerare quid ei conveniat, quam quid ei repugnet ; per hoc enim aliquid est repugnans alteri, quia est corruptivum vel impeditivum ejus quod est conveniens. Unde necesse est, quod amor sit prior odio, et quod nihil odio habeatur, nisi hoc quod contrariatur convenienti quod amatur ; propterea omne odium ex amore causatur. »

Ad majorem hujus doctrinæ confirmationem, expendamus unde provenit, quod filii hujus saeculi, seipso secundum carnis appetitum amantes, crucem Christi odio habeant ; et, e contra, ejusdem Christi discipuli, in divina ejus schola instructi, secundum rationis ductum seipso, aut potius Deum in seipsis amantes, crucem Christi diligent, et lætanter bajulent. Ex hoc igitur provenit, quod primi, seipso secundum carnis appetitum amantes, sola carnis appetunt commoda, solas corporis querunt voluptates, solam mundi vanitatem ambiunt ; quibus omnibus Christi crux, laboribus plena,

doloribus aspera, injuriis et opprobriis referta, contrariatur. Seundi vero, seipsos secundum rationis ductum, aut potius Deum in seipsis amantes, non ambulant secundum carnem et desideria ejus, sed ambulant in spiritu ut Domino placeant; unde corpus subjiciunt spiritui, et in servitatem redigunt, ne spiritui repugnet. Ad quem finem crux Christi descripta mire conductit; et ideo lætanter, ut suo desiderio convenientem, amplexantur et jugiter bajuant.

Ad hujus passionis moderationem, sciendum est quod, juxta conditionem mali, debet exerceri passio odii: malum simpliciter, quale est peccatum, et alia peccatis annexa, ut inferi, dæmones, et damnati, sunt simpliciter odio habendi; cætera vero non sunt absolute odio habenda, quia non sunt simpliciter mala, sed sunt odio habenda prout conduceunt ad peccatum, et induunt rationem mali: et hoc modo præcipimur odio habere animam nostram, sive corpus nostrum, prout fertur ad illicita, debemus mortificare ne ad illa fera tur. Qui sic odio habet animam suam, vere amat eam, quia, ut dicit Augustinus: « Si male amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti: felices, qui oderunt persequendo, ne perdant amando. »

Quoties ergo occurrit aliquid quod nobis displicet, non statim est odio habendum, solum namque peccatum et vitium odio digna sunt; Unde servi Dei, et illi maxime, qui ad summam aspirant sanctitatem, omnes motus odii, quos sentiunt in membris suis adversus legem spiritus, fideliter et fortiter reprimunt: solum exercent odium contra iniquitatem, quam odio habuerunt et abominati sunt; exercent odium in vitia (non personas) hominum iniquorum. Bene namquæ distinguunt, apteque tibi conjunguntur, Domine: amant quæ dilexisti, compati entes tecum personis hominum; et odio habent quæ odisti, detestantes tecum eorum vitia et prævaricationes testamenti tui. Quantum ad pœnas, ad persecutio nes, ad contemptus et oppro ria, non solum non odio habent, verum ea, ad imitationem Christi, fidelissime suscipiunt, totis affectibus amplectuntur advenientia, et diligenter inquirunt, tanquam portionem filiorum Dei, ut sic peccata redimant, merita augeant, et Domino placeant.

## ARTICULUS VI.

## DE PASSIONE FUGÆ SEU ABOMINATIONIS.

Ex odio mali consurgit fuga ipsius. Quæ passio est quidam recessus a malo dissono, sive motus retentionis quo appetitus animalis ab illo tanquam a nocivo recedit : in homine, propter rationem cui conjungitur, vocatur abominatio.

Hic motus appetitus animalis opponitur desiderio seu concupiscentiæ, sicut odium opponitur amori, eique in sua contrarietatis oppositione correspondet. Nam amor, quia respicit bonum per modum conversionis, excitat in appetitu animali desiderium aut concupiscentiam, tanquam motum quo ad bonum conveniens accedit, ut illud adipiscatur et possideat ; sic odium, quia respicit malum per modum aversionis, excitat in eodem appetitu fugam aut abominationem, tanquam motum quo a malo inconvenienti recedit, ut illud evitet.

Licet hic motus appetitus animalis satis seipso notus sit, per comparationem tamen ad similem motum appetitus naturalis declaratur amplius. Ex naturali, quam cuncta creata ad sui conservationem habent impressam ab authore naturæ, inclinatione, sequitur motus naturalis, quo fugiunt a nocivis, et tendunt ad connaturalem locum, in quo, propter qualitates proportionatas et convenientes suæ naturæ ibi repertas, possunt conservari, ut posset longa inductione demonstrari. Hinc est quod saepè videmus guttas aquæ, super siccum cadentes, in globulos colligi, ne a siccitate sibi contraria corrumpantur ; et hic motus attribuitur authori naturæ velut effectivo principio, et sequitur ejus apprehensionem. Sic ex appetitu animali consequente naturalem, quo cognoscentia ad sui conservationem inclinantur, sequitur quod malum, tanquam inconvenientis et nocivum, odio habeant, et motu fugæ ab eo recedant ; qui motus sequitur propriam eorum apprehensionem.

Ex hoc motu fugæ, qui reperitur in appetitu animali, sequitur exterior executio, qua quis recedit a malo imminentí, ne casu ipsius opprimatur : sicut ex motu desiderii, qui reperitur in appe-

titu animali, sequitur exterior executio, qua quis tendit ad habendum bonum quod desiderat.

Quia hic motus fugae sequitur ad motum odii, inde est quod simili fere modo debet dirigi. Unde, sicut solum verum malum, quod est peccatum et vitium, et alia his annexa, debemus odio habere simpliciter; sic etiam hoc solum malum debemus simpliciter fugere; alia vero mala poenae, quae simpliciter mala non sunt, imo plerumque sunt bona maxima, non semper debemus fugere, sed saepe debemus amplecti.

Amatores sui et filii hujus saeculi refugunt omnia quae repugnant amori proprio, quales sunt labores, afflictiones, despectus et opprobria; sequuntur autem quae eidem amori proprio congruunt, etiamsi peccatis admisceantur, quales sunt voluptates carnis, honores mundi, dignitates saeculi, et similia. Sed discipuli tui, Domine, veri amatores crucis, fugiunt tantum a facie peccati, « tanquam a facie colubri, » et pericula peccandi devitant, scientes ex doctrina tua, quod « qui amat periculum peribit in illo. » Quantum vero ad penas et labores vitae, non modo non fugiunt, verum etiam querunt et amplectuntur; indignum enim judicant, Regem ac Magistrum suum sibi crucem bajulare, et milites ac discipulos tanquam delicatos crucem fugere; unde quodammodo damnant in corde suo discipulos, qui, relicto Christo, passionis tempore fugerunt, et laudant Mariam-Magdalenam, quae fideliter Christo morienti adstitit, et post ejus mortem adhaesit anxia cruci. Hic est mirabilis, Domine, tuae doctrinæ fructus, ac potens efficacia gratiae, ut dum totus Israël, a te juste relictus desideriis suis, toto corde sequitur Absalon, discipuli ac fortissimi milites tui, non deserant Regem David, mansuetissimum scilicet Filium tuum exeuntem de Jerusalem in die afflictionis et exercitationis suæ.

Quod si aliquando fugiendi labores vitae ac penalitates secundum rectam rationem videantur, fugae modus imponatur, ne laudabilis apprens in substantia, damnabilis fiat in modo. Liceat, imo laudabiliter mortem fugerunt Sancti, dum ad supplicium querabantur, exemplo Domini confirmati; sed debito semper fugiebant modo; et cum ad majorem Dei gloriam expedire judicabant, seipsos intrepide manifestabant, et mortem querabant quam prius fugerant.

## ARTICULUS VII.

## DE PASSIONE DOLORIS SEU TRISTITIAE.

Sicut ex adeptione boni amati et desiderati sequitur gaudium seu delectatio, per modum quietis ac termini totius processus amoris in bonum, tunc enim appetitus illo fruitur, quamvis ex generali ratione passionis qua corpus transmutatur, delectatio seu gaudium dicatur motus appetitus; sic ex incursu mali, quod appetitus odio habuit ac fugit, sequitur in eodem appetitu dolor seu tristitia de ipso malo praesenti, in sua contrarietatis oppositione correspondens gaudio seu delectationi: unde est per modum termini motus aversionis a malo, a quo non amplius refugit appetitus, sed de ejus praesentia tristatur aut dolet, ac de ejus oppressione gemit.

Tristitia igitur et delectatio ex suis objectis contrariantur ad invicem, cum illa sit de malo praesenti, ista vero de bono similiter praesenti. Unde secundum genus suum universaliter contrariantur; aliquando etiam in eodem sunt contraria secundum speciem; aliquando vero non contraria sunt, sed magis diversa vel disparata dicuntur, si de diversis ac disparatis sint objectis: et tunc simul esse possunt, potest enim quis delectari de bono, et tristari de malo.

Quatuor quasi partes et quodammodo species tristitiae, vide-licet acediam, anxietatem seu angustiam, misericordiam, et invidiam ponit Damascenus. Quia enim objectum tristitiae est malum praesens, sequitur quod haec quatuor, quae malum praesens aliquatenus respiciunt, pertineant ad tristitiam. Acedia est quedam aggravatio ad exteriora membra procedens ex praesentia mali, ita quod ab opere cessent, et ipsam non amputetur. Anxetas seu angustia est oppressio animi ex praesentia mali, quia non appetet ei aliquid refugium. Misericordia est tristitia de praesenti malo alieno, in quantum tamen aestimatur ut proprium. Invidia est tristitia de praesenti bono alieno, in quantum tamen bonum alienum aestimatur ut malum proprium.

Multiplex est causa tristitiae. Prima et principalis est malum coniunctum, quod est objectum ipsius. Secunda est bonum amis-

sum, quod apprehenditur ut malum præsens, privatio namque boni est quoddam malum. Tertia est amor boni, cuius amissione seu privatione tristamur, nullus enim tristatur amissione ejus quod non amat. Quarta est major potestas, cui resisti non potest, dum mali corruptivi conjunctionem facit : unde Augustinus, Libro de Natura Boni, Cap. 20, dicit : « In animo dolorem facit voluntas resistens potestati majori, in corpore dolorem facit sensus resistens corpori potentiori. »

Multiplex etiam et perniciosus est effectus tristitiae. Animum mali præsentis consideratione ac pondere premit, et plurimum aggravat. Corpori etiam multum nocet, et plusquam aliæ passiones, dum torpor quidam frigidus totum hominem penetrat, qui artus pene dissolvit, et cordis motum vitalem impedit. Inde est quod operationes debilitat; et cum operationes virtutis sint arduæ, ratione tristitiae, vel omnino relinquuntur, vel remisse fiunt, vel animus in earum exercitio penitus succumbit. Ac tandem, cum tristitia multum intensa intensionem animi ad se trahat, non tantum diminuit, sed sæpius etiam aufert omnem addicendi voluntatem ac facultatem. Ex quibus manifesta patientibus experientia constat, quod tristitia immoderata ad nihil boni valet, et quasi dirus carnifex perimit possessorem aut possessum.

Quamvis tristitia omnis secundum se mala sit simpliciter in ordine naturæ, et secundum quid in ordine moris, in quantum impedit quietem appetitus in bono tam naturali quam morali, tristitia tamen, qua quis de malo tristatur opere, est bona, tum bonitate honesta, tum bonitate utili : bonitate quidem honesta, quia, juxta consilium Domini, Matthæi, 5 : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, » et conforme est legi aternæ, naturali ac positivæ, ut de malo tristemur opere; bonitate vero utili, quia maximam præstat homini utilitatem, quatenus ipsum impellit, ut fugiat malum morale sive peccatum, et vitet occasiones peccandi. Qui enim de commisso peccato tristatur, de ipso pœnitet, cum intentione abstinendi a simili peccato : propterea Apostolus, 2, Cor. 7, dicit : « Gaudeo, non quia contrastasti estis, sed quia contrastati estis ad pœnitentiam. »

Justa quidem esse potest tristitia in humanis eventibus, puta in morte parentum, in amissione charorum, in jactura bonorum, in passione tormentorum, et in aliis similibus; ad quorum præsen-

tiam facile, saepius licite, et aliquando laudabiliter natura fragilis ad tristitiam excitatur. Sed justissima et plurimum laudabilis est tristitia, quae de commissis excitata peccatis, tam propriis quam alienis, injurias Deo factas deplorat : juxta hoc dicitur Ecclesiastici 7: « Cor sapientum, ubi tristitia ; et cor stultorum, ubi lætitia. »

Si tristitia fuerit immoderata vel inordinata ex parte objecti, quia scilicet apprehenditur ut malum, quod revera non est malum, at potius bonum, puta, dum quis removetur ab occasione peccandi, vel de commisso corrigitur peccato, tunc qui tristatur oret, et consideret sibi potius lætandum ex hoc quod sibi feliciter accidit, et convertat tristitiam suam ad peccata; quae sola, utpote Deo graviter injuriosa, tot titulis nociva et perniciosa peccatori, sanguineis lacrimis forent deflenda.

Si vero fuerit immoderata solum quoad modum, ut dum quis nimium ex morte parentum, vel alio simili casu tristatur, debet qui tristatur defectuosum illum excessum moderari; vel motivis supernaturalibus, ut patientiae et conformitatis cum divina voluntate, quod tutius erit ac magis meritorium; vel motivis naturalibus, si supernaturalia non prosint, ut timoris ne talis tristitia noceat sanitati. Quod si nec ista juvant, ab aliis adhibeantur remedia, quae ad mitigandam tristitiam apta solent assignari. Proponatur ei tunc aliiquid vel videndum vel considerandum, unde scitur ipsum maxime delectari; nam, ut ait Philosophus, 7 Ethicorum, Cap. ultimo, « expellit delectatio tristitiam, et quae contraria, et quae contingens, si sit fortis; quod si totaliter non expellat, saltem mitigabit. » Excitetur ad fletum: nam, ut ait de seipso Augustinus, Libro 4 Confess., Cap. 7, « quando dolebat de morte amici, in solis gemitibus et lacrimis erat ei aliquantula requies, quod quislibet in se potest experiri. » Cujus rei triplex causa adducitur: prima quidem, quia per emissionem fletuum cor dilatatur, quod humoris amaritudine premebatur; secunda, quia per hoc quod nocivum ad exteriora diffunditur, animæ circum ipsum intentio (ex qua procedit tristitia) ad exteriora quodammodo disaggregatur; tertia ratio est, quia flere vel gemere est operatio conveniens tristato vel dolenti, omnis autem operatio conveniens homini secundum dispositionem in qua est, sibi est delectabilis, delectatio autem quæcumque mitigat tristitiam. Manifestis ei signis condoleatur; nam, ut ait Philosophus, 9 Ethicorum, Cap. 11, « in tristitiis amicus condolens

consolatur. » Cujus rei duas affert, ex eodem Philosopho, D. Thomas rationes, 1. 2, Q. 38, Art. 3, dicens : « Quarum prima est, quia cum ad tristitiam pertineat aggravare, habet rationem cuiusdam oneris, a quo aliquis aggravatus alleviari conatur; cum ergo aliquis videt de sua tristitia alios contrastatos, fit ei quasi quedam imaginatio, quod illud onus alii cum ipso ferant, quasi conantes ad ipsum ab onere alleviandum; et ideo levius fert tristitia onus, sicut etiam in portandis oneribus corporalibus contingit. Secunda ratio et melior est, quia per hoc quod amici contrastantur ei, percipit se a eis amari, quod est delectabile, unde mitigatur tristitia ab hac delectatione. » Proponatur aliqua veritas delectabilis; vel futurae beatitudinis, aliquando talibus successuræ tristitis; vel provenientis inde utilitatis, juxta illud Jacobi 1 : « Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis. » Unde ait Augustinus, Lib. 1 Soliloquiorum, Cap. 12 : « Videbatur mihi, si se ille mentibus nostris veritatis fulgor aperiret, aut non me sensurum fuisse illum dolorem, aut certe pro nihilo toleraturum. » Denique, juxta doctrinam medicorum, inducatur in somnum aut balnea : nam, cum ista restaurent et reforment corporalem naturam in debitum statum vitalis motionis, consequenter etiam tristitiam mitigant et minuant.

« Servi tui, Domine, vix aut nunquam nisi de peccatis contra divinam majestatem tuam commissis tristantur : cum enim infirmantur, aut tentantur, aut aliis multiplicibus modis exercentur, haec omnia a Te, Patre benigno ac misericorde, procedere considerantes, vel ad augmentum meriti, vel ad fidelis experimentum amoris, vel ad alium finem tuæ providentiae, patienter, imo suaviter ferunt dolores ac labores suos, et pro illis infinitas tuæ majestati gratias dilatato corde referant. Quod si magnitudo tribulationis, vel diurnitas videatur opprimere animas eorum, loquuntur cum laude mirabilia tua, exhortantes et læticantes seipso in hymnis et canticis spiritualibus, prout suggerit illis dulcissimus spiritus tuus. » Ita loquitur hujusmodi expertus V. P. N. Joannes a Jesu-Maria, in sua Schola Jesu-Christi, P. 3, Cap. 7. Et prosequitur : « Ideo, quamvis supra modum gravari videantur, ita ut fiant sibi metipsis graves, et tædeat illos vitæ, nihil impium loquuntur, aut murmurant adversus Te, qui cibas eos absynthio : plus enim valent apud eos rationes fidei tuæ, quæ est sperandarum sub-

stantia rerum, et persuasio æternorum bonorum nondum apparen-  
tium, quam molestia animæ et corporis quod tristitia constrin-  
gitur, et quasi suffocatur. >

## ARTICULUS VIII.

## DE PASSIONE SPEI.

Hactenus dictum est de passionibus appetitus concupisibilis; restat nunc dicendum de aliis passionibus appetitus irascibilis, quæ datae sunt in auxilium præcedentium: eum enim præcedentes respiciant bonum aut malum simpliciter tale adipiscendum aut fu-  
giendum, et aliquando conjuncta reperiatur difficultas, quia bonum aut malum est arduum, inde est quod natura ejusque parens Deus, qui non deficiunt in necessariis, providerunt appetitum irascibilem concupisibili annexum, qui suis motibus prædictam difficultatem in adēptione boni et fuga mali supereret. Unde pars irascibilis est assertrix concupisibilis, eamque in optatam boni fruitionem asserit.

Prima passio partis irascibilis dicitur spes, quæ quidem distinguitur essentialiter a desiderio seu cupiditate vel concupiscentia, propter rationem formalem distinctam bono superadditam, quam spes respicit, et non desiderium, ut statim explicabitur. Et ita spes videtur esse quædam extensio, vel potius intensio desiderii. Nam desiderium respicit bonum simpliciter, absens sive futurum, et adipisci possibile; spes autem hoc idem bonum respicit sub spe-  
ciali ratione ardui vel difficulter adipiscendi, quam rationem super-  
addit, et quam desiderium non respicit: constat autem, quod actus sive motus ex formali objecti essentialiter distinguntur.

Ad majorem dictorum evidentiam, et ad evidentiorem passionis hujus notitiam, supponendum est, ex D. Thoma, 1. 2, Q. 40, Art. 1, quod circa objectum spei quatuor conditions attenduntur. Primo quidem, quod sit bonum, non enim, proprie loquendo, est spes nisi de bono: et per hoc differt spes a timore, qui est de malo. Secundo, ut sit futurum; non enim spes est de præsenti jam habito: et per hoc differt spes a gaudio, quod est de bono præsenti. Tertio,

requiritur, quod sit aliquod arduum cum difficultate adipiscibile; non enim aliquis dicitur aliquid sperare minimum, quod statim est in sua potestate ut habeat: et per hoc differt spes a desiderio vel cupiditate, quae est de bono futuro absolute, unde pertinet ad concupiscibilem, spes autem ad irascibilem. Quarto, quod illud arduum sit possibile adipisci; non enim aliquis sperat id quod omnino adipisci non potest: et secundum hoc differt spes a desperatione.

Spes igitur, prout animae passio, est motus appetitivae virtutis, consequens apprehensionem boni futuri ardui possibilis adipisci, scilicet extensio appetitus in hujusmodi objectum. Per hoc enim quod bonum sensibile apprehensum complacens ipsi appetitui, appareat difficile, sed tamen possibile adipisci, excitatur connaturaliter in ipso appetitu circa ipsum motus, non tantum simplicis desiderii, sed etiam spei, quo fertur ipse appetitus ad ejus aedificationem, etsi difficilem et arduam, quo velut armatus congreditur cum dicta difficultate et arduitate, eamque repellit ac superat.

Haec spei passio reperitur non solum in homine, sed etiam in brutis animalibus, ut ex eorum motibus externis deprehenditur: nam, si canis videat leporem, aut accipiter avem nimis distantem, non movetur ad ipsam, quasi non sperans se eam posse adipisci; si autem sit in propinquuo, movetur quasi sub spe adipiscendi. Hic motus spei diversimode reperitur in homine ac in aliis animalibus: nam, licet etiam in brutis sit apprehensio sensitiva boni convenientis, qua excitatur in eis motus amoris et concupiscentia illius, hoc tamen fit absque discursu, ac ex quodam instinctu naturali, procedente per directionem intellectus separati, ipsius scilicet authoris naturae; cum tamen in homine hoc fiat cum discursu et participata ratione per directionem intellectus conjuncti. Quae diversitas inter homines et bruta in ejusmodi motibus appetit ex hoc, quod homines non eodem modo agunt, sed quilibet suo modo agit, imo idem homo in iisdem circumstantiis, nunc sic, nunc aliter agit; et hoc ideo, quia homines ex propria directione, et ordinario cum aliquali deliberatione agunt (si enim aliter agerent, ad instar brutorum operarentur); bruta vero similem, aut fere semper similem habent processum in suis operibus, qui processus uniformis appetitu naturali et operibus rerum naturalium, sicut et in operibus artis; quod evidenter indicat, bruta juxta suam speciem unifor-

miter ut plurimum ab authore naturæ dirigi, sicut et naturalia, et artificialia a proprio artifice; cum tamen idem author naturæ propriam et proximam directionem sui ipsorum hominibus relinquat, sub universalis ac prima ipsius directione. Cum enim homines sint liberi arbitrii (quod bruta non habent, nec alia naturalia), debent habere dominium suarum actionum, etsi non primum. \*

Quod si generaliter appetitus sensitivus brutorum animalium sequitur in suis actibus aut motibus apprehensionem intellectus separati, multo magis hoc accidit in motibus nobilioribus ac elevationibus a materia, quales sunt motus appetitus irascibilis. Unde, quamvis bruta animalia futurum non cognoscant, quod ingreditur objectum spei, ex instinctu tamen naturali moventur ad aliquid in futurum, ac si futurum præviderent; hujusmodi enim instinctus est eis inditus ab intellectu divino prævidente futura. Et idem dicendum, proportione servata, de aliis quæ naturalem brutorum capacitatem excedunt.

Causa spei est experientia, duplii titulo. Primo quidem, quia per experientiam acquirit homo facultatem aliquid de facili faciendi; et ex hoc sequitur spes, nemo enim facere metuit quod se bene didicisse confidit. Secundo, quia per experientiam homini fit existimatio, quod aliquid sit sibi possibile, quod impossibile ante experientiam reputabat; quamvis hoc secundo titulo, ac eadem ratione sed in contrarium applicata, possit experientia esse causa desperationis. Similiter amor est causa spei, quatenus spes respicit bonum speratum, solum enim speratur bonum quod amatur; sed quatenus spes respicit eum per quem aliquid fit nobis possibile, vice versa spes est causa amoris.

Spes, arduum bonum possibile respiciens, maxime confert ad operationem, ex ipsa quam gignit in unoquoque delectatione; unde dicitur, 1 Cor. 9: « Qui arat, debet arare in spe fructus percipiendi. » Solet autem spes abundare in juvenibus præ cæteris, ex D. Thoma: tum quia multum habent de futuro et parum de præterito, et ideo multum habent de spe, quæ est futuri, et parum de memoria, quæ est præteriti; tum quia juvenes, propter caliditatem naturæ, multos habent spiritus, et ita in eis cor ampliatur, ex amplitudine autem cordis est, quod aliquis ad ardua tendat, et ideo juvenes sunt animosi et bonæ spei; tum quia non sunt passi repulsam, nec experti

impedimenta in suis conatibus, ideo de facili reputant aliquid sibi possibile.

Sed, quia hujusmodi passio potest esse immoderata, tum ex parte objecti, tum ex parte medii, tum ex parte modi, inde est quod quantum ad hæc tria debet moderari. Est immoderata ex parte objecti, dum filii hominum, solis terrenis inhiantes, bona tantum caduca, vanos honores, falsas divitias, et carnis sperant voluptates. Est immoderata ex parte medii, dum spem suam ponunt in terrenis principibus, « in filiis hominum in quibus non est salus, » non advertentes quam maledictus qui confidit in homine; dum ponunt in carne fortitudinem suam, non recordantes quia « omnis caro fœnum, » fœnum scilicet quod exsiccatum est, et cuius cecidit flos, quia ventus Domini insufflavit in eo. Est immoderata ex parte modi, dum absque consilio ac prudentia quis judicans omnia sibi esse possibilia, sperat de bono rei successu, quando foret desperandum; unde in ejus prosecutione, non solum postea in vanum laborant, sed etiam notabile detrimentum incurunt. Sed servi tui, Domine, scholæ tuæ documentis instructi, sola sperant bona coelestia; sperant in te, Domine, quia neverunt suavisimum nomen tuum, quoniam nunquam dereliquisti querentes te; experientia dulcissimæ bonitatis tuæ firmat corda illorum, et totaliter in te confidentes, dicunt cum Psalmista: « Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo; Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos; bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine; bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus. » Nunquam inconsiderate suscipiunt ardua, sed tantum adhibitis prudentum consiliis, cum sciant quod, ubi sunt consilia multa, ibi est salus.

## ARTICULUS IX.

### DE PASSIONE DESPERATIONIS.

Spei desperatio contrariatur, ut ex ipsis nominibus statim apparet: unde, post considerationem spei, desperationis consideratio nobis occurrit; nam, ut vulgo dicitur, contraria juxta se posita magis elucescunt.

Spes et desperatio bonum idem futurum et arduum respiciunt; sed spes illud respicit tanquam possibile adipisci, desperatio vero tanquam impossibile: propterea spes illud respicit per modum accessus ad terminum ad quem, desperatio autem tanquam recessus a termino a quo.

Ad hujus majorem evidentiam, considerandum est id quod docet D. Thomas, 1. 2, Q. 41, Art. 4, quod scilicet « in mutationibus invenitur duplex contrarietas: una secundum accessum ad contrarios terminos; et talis contrarietas sola invenitur in passionibus concupiscibilis, sicut amor et odium contrariantur, quia scilicet amor tendit ad bonum, et odium tendit ad malum. Alia est per accessum et per recessum respectu ejusdem termini; et talis contrarietas invenitur in passionibus irascibilis. Objectum autem spei, quod est bonum arduum, habet quidem rationem attractivi, prout consideratur cum possibilitate adipiscendi, et sic tendit in ipsum spes, quae importat quemdam accessum; sed secundum quod consideratur cum impossibilitate obtainendi, habet rationem repulsivi, quia, ut dicitur 3 Ethicorum, Cap. 3: « cum ventum fuerit ad aliiquid impossibile, tunc homines discedunt; » et sic respicit hoc objectum desperatio; unde importat motum cujusdam recessus, et propter hoc contrariatur spei, sicut recessus accessui. »

Est igitur desperatio motus recessus appetitus irascibilis a bono, quod judicatur impossibile adipisci: ex hoc enim judicio totaliter opprimitur sive dejicitur appetitus, et ab hujusmodi boni prosecutio penitus abstinet, vel omnino desistit. Unde desperatio potest esse ex solo superexcessu boni, per se loquendo, cui adipiscendo vires judicantur impares, quamvis per accidens quandoque desperatio respiciat malum, in quantum facit impossibilitatem adipiscendi, seu in quantum est impedivum adeptio boni; sed hoc non est respicere malum sub ratione mali. Utrumque motivum desperationis saepius in nobis experimur: motivi quidem per se, dum sola rei sublimitate representata, quae nostras excedit vires, ab ejus adeptione desperamus; motivi autem per accidens, dum multa consideramus impedimenta, vel unicum insuperabile, unde consecutio rei fit impossibilis aut judicatur talis.

Ex dictis constat, quod desperatio non importat solam spei privationem, sed importat motum positivum, quemdam scilicet recessum a re desiderata, propter aestimatam impossibilitatem adipis-

cendi; unde desperatio præsupponit desiderium, sicut et spes, de eo enim quod sub desiderio nostro non cadit, neque spem, neque desperationem habemus; et propter hoc etiam utrumque eorum est de bono, quod sub desiderio cadit.

Circa moderationem hujus passionis, dicendum occurrit quod, quia potest esse immoderata, vel quoad objectum, vel quoad medium, debet moderatio quoad utrumque adhiberi. Est immoderata quoad objectum, quando quis desperat se adepturum aliquod bonum tantum apparens et non verum, imo quod est verum malum, ut est honor mundi, delectatio carnis, et ex hac desperatione tristaretur. Debet hujusmodi ad seipsum reversus, spem suam ad alia vera bona fortiter erigere, et his attendens, indignum judicare quod de his inferioribus motum habeat desperationis, et multo magis quod consequentem habeat motum tristitiae. Est immoderata quoad medium, quando quis, propriam videns pusillanimitatem, desperat de virtutum adeptione, vel de cœlestis gloriae consecutione, cum hujusmodi non propriis viribus, sed divinæ gratiæ debeat auxiliis acquiri.

Desperant saepe mali de gloriae cœlestis adeptione, quam propriis viribus adipisci non possunt, et vident se suis sceleribus auxilia divine gratiæ demeruisse, quibus solis adipiscenda est. Desperant etiam boni, non simpliciter, sed solum in ordine ad proprias vires, cum sciant Dominum dixisse : « Perditio tua ex te Israël, in me tantummodo auxilium tuum, » in quo confidentes, dicunt cum Augustino : « In te Domine speravi, non confundar in aeternum. »

Servi tui, Domine, pugnant fortissime contra tristitias et dejectiones suas, licet anima eorum appropinquet ad portas mortis, et illorum oculi langueant præ inopia (ita loquitur V. P. N. Joannes a Jesu-Maria, Parte 3 Scholæ Jesu-Christi, Cap. 10, quondam hujus passionis angustias expertus); etiamsi occidas eos, Domine, sperabunt in te, et in ipsa umbra mortis confitebuntur tibi. Quod si jam videantur inter mortuos computari, de profundis sepulchri suspirabunt ad te, bene scientes facile esse in conspectu tuo subito honestare pauperem, et ad vitam suscitare. Hæc sunt mirabilia opera tua, quæ operaris per manus amicorum tuorum, Domine, qui dixisti filio viduae Naim, qui ferebatur in loculo ad sepulturam : « Adolescens, tibi dico, surge; » qui similiter dixisti Lazaro, qui fœtebat quatriduanus in monumento : « Lazare veni foras; » et

statim resedit uterque qui fuerat mortuus. O Rex potentissime, quam admirabile opus est, quando animam languentem, et longa morte quasi consumptam, vocas fortissima voce tua de abyssis dejectionum et perturbationum, ut respiret ad auram vitalissimae vitae tuae. Ego clamabo de multis tribulationibus quae circumdede-  
runt me, fiamque consors amicorum tuorum inspirantium tibi, ut post clamores et suspiria, emittas manum tuam de alto, et liberes me de aquis multis; sic erit apud me jugis oratio Deo vitae meae, et reponam spem meam in intimo sinu meo.

## ARTICULUS X.

## DE PASSIONE AUDACIÆ.

Sicut desiderium est quedam amoris progressio, sic et spei est audacia; unde Philosophus, 3 Ethicorum, Cap. 8, docet quod illi qui sunt bonæ spei, sunt audaces. Ut hoc demonstret, D. Thomas, 1. 2, Q. 49, Art. 2, supponit quod omnis motus appetitivæ potentiae, quales sunt passiones animæ, reducitur ad prosecutionem vel fugam: prosecutio autem vel fuga est alicujus et per se et per accidens; per se quidem est prosecutio boni, fuga vero mali; per accidens autem potest prosecutio esse mali propter aliquid bonum adjunctum, et fuga boni propter aliquod malum adjunctum. Quod autem est per accidens, sequitur ad id quod est per se; et ideo prosecutio mali sequitur prosecutionem boni, sicut et fuga boni sequitur fugam mali. Hæc autem quatuor pertinent ad quatuor passiones; nam prosecutio boni pertinet ad spem, fuga mali ad timorem, prosecutio mali terribilis pertinet ad audaciam, fuga vero boni pertinet ad desperationem. Unde sequitur quod audacia consequitur ad spem; ex hoc enim quod aliquis sperat superare terrible imminens, ex hoc audacter insequitur ipsum. Ad timorem vero sequitur desperatio; ideo enim aliquis desperat, quia timet difficultatem, quæ est circa bonum sperandum.

Est igitur audacia motus appetitus irascibilis malum arduum imminens prosequentis; nomine vero mali ipsamet arduitas inteligitur bono conjuncta, quam audacia superare conatur. Quamvis

autem spes respiciat bonum arduum adipiscibile, ita quod ipsa arduitas sit conditio boni quod est objectum spei, non tamen ipsa spes habet hoc quod est insurgere in arduitatem ut vincendam, sed hoc est proprium audaciæ, quæ succurrit spei eamque adjuvat in adeptione boni sperati.

Audacia est timori contraria, ut constat tum ipsa nominum etymologia, tum autoritate Philosophi, Libro 2 Rhetor. Cap. 5, tum ratione quam sic breviter proponit D. Thomas : « De ratione contrariorum est quod maxime a se distent, ut dicitur in 10 Metaphysicæ ; illud autem quod maxime distat a timore, est audacia, timor enim refugit nocumentum futurum propter ejus victoram super ipsum timentem ; sed audacia aggreditur periculum imminens propter victoram sui supra ipsum periculum : unde manifeste timori contrariatur audacia. » Ubi nota quod passiones irascibilis duplēcēt habent inter se contrarietatem : unam quidem, secundum oppositionem boni et mali, quæ se tenet ex parte objecti, et sic timor contrariatur spei ; aliam secundum operationem accessus et recessus, quæ se tenet ex parte modi tendendi, et sic timor contrariatur audaciæ, spei vero desperatio. Hæc ultima contrarietas est formalior; in respectivis enim modus tendendi est ultimum quod in natura specifica constituit ac distinguit ; imo modus tendendi quodammodo refunditur in objectum, et diversitas ejus constituit diversum objectum formale.

Qui sunt amori valde dediti, sunt etiam ad sperandum et audendum aptiores. Cum enim spes et audacia sint motus appetitus per modum accessus, spes quidem ad bonum, audacia vero ad malum, et calor, qui proprius est amoris, ad motum accessus conferat, sequitur quod amantes sint ad sperandum et audendum promptiores; quod et ipsa constat experientia, tam in humano quam in divino amore: quid non sperant, quid non audent, quibus se periculis non exponunt miseri mortales amoris facibus accensi et motibus agitati? Sed hoc amplius in divino relucet amore; tum quia major et fortior est, nam « Fortis ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio; » tum quia testimonium conscientiæ bonæ, recti securitas operis, ac certitudo præmii plurimum excitant ad sperandum et audendum, ac amori divino cooperantur; quorum contraria motibus amoris humani sæpe resistunt. Ex hoc principio probat Aristoteles, Libro 3 de Partibus Animalium, Cap. 4, quod illi qui

habent parvum cor secundum quantitatem sunt magis audaces, et animalia habentia magnum cor secundum quantitatem sunt timida, quia calor naturalis non tantum potest calefacere magnum cor, sicut parvum.

Audacia hoc habet proprium, quod in periculis promptiores reddit in principio quam in fine; fortitudo autem e contra reddit promptiores in fine quam in principio. Cujus differentiae ratio est, quia audacia est motus appetitus sensitivi, qui sequitur apprehensionem sensitivæ virtutis, quæ non est collativa nec inquisitiva singulorum quæ circumstant rem, sed subita; unde audaces in principio periculorum, non prævidentes omnia quæ possunt facere difficultatem, incipiunt intrepide, sed postea, majorem experti difficultatem quam præviderant, paulatim remittuntur, et tandem in fine omnino deficiunt. Verum fortitudo est actus rationis, ratio autem est discursiva omnium quæ rei difficultatem asserunt; unde fortes, ex judicio rationis aggredientes pericula, in principio remissi videntur, quia non cum passione, sed cum debita deliberatione aggrediuntur; quando autem sunt in ipsis periculis, non experientur aliquid improvsum, sed quandoque minora illis quæ præviderant; et ideo magis persistunt. Quibus posset addi quod audaces non operantur ex motivo virtutis, sicut fortes: unde in istis virtus perseverans roborat ad operandum, et sic ad instar agentium naturalium fortius agunt in fine.

Amici hujus saeculi audaces quidem sunt, sed, quia errant in principio, amantes bona, et sperantes ea quæ potius odio deberent habere ac detestari, utpote falsa et fallacia, inde est, quod propter ea temeraria quadam audacia quandoque maxima aggrediuntur pericula, in quibus plerumque et quantum ad corpus, et quantum ad animam pereunt: et ita parvus error in principio, fit maximus in fine. Sed amici Christi ac fideles ejus discipuli, cum expedit, non tantum fortes, sed etiam audaces existunt, semper quidem contra rectores tenebrarum harum, dum divina muniti gratia eos ad singulare provocant certamen, eorumque conatus omnino despiciunt, ut in pluribus sanctis videre est, consideretur Antonius, consideretur Theresia; aliquando etiam contra principes hujus mundi, fortiter eis resistentes, vel etiam libere corripientes, dum id credunt cedere ad majorem Dei gloriam, ut in sanctis appareat martyribus.

Ad moderandam igitur hanc passionem, opus est advertere primo, ne quid aggrediamur, quod potius fugiendum esset; deinde, ut servetur modus, nam ut plurimum magis decet Dei famulos, et præsertim religiosos, ut in casto Dei timore se contineant, quam si speciem audaciæ præ se ferant: sola Dei gloria, et periculum animarum eos faciunt audaces.

## ARTICULUS XI.

### DE PASSIONE TIMORIS.

Timor, malum respiciens per modum recessus, cum aliqua transmutatione corporali, specialis est anime passio, contraria spei quantum ad objectum, contraria autem audaciæ quantum ad modum tendendi, quod sic declaratur: objectum spei est bonum futurum arduum possibile adipisci, objectum timoris est malum futurum arduum cui resisti vix potest; audacia tendit ad arduum quod habet rationem mali, per modum accessus, aggreditur enim difficultatem, ut eam supereret; timor autem respicit malum per modum recessus, fugit enim ne per illud timens involvatur, ac penitus opprimatur.

Unde timor est motus appetitus irascibilis recendentis a malo futuro arduo, cui resisti vix potest, seu est motus ille, quo contrahitur ac dejicitur appetitus, dum malum arduum imminens ac vix evitabile apprehenditur.

Haec passio timoris est maxima post tristitiam: nam, ut supra dictum est, quamvis omnis ille motus proprie dicatur passio qui est appetitivæ virtutis habentis organum corporale, qui fit cum aliqua transmutatione corporis, magis tamen proprie ac maxime illi motus passiones dicuntur, qui causant aliquod nocumentum. Constat autem quod timor, cum sit de malo arduo imminentि cui resisti vix potest, magnum causat nocumentum, in contractione scilicet cordis, unde plures timore moriuntur; minus tamen quam tristitia, cum timor sit de malo futuro, tristitia vero sit de malo præsenti: malum autem præsens plus premit, plus affligit, plus nocet, quam malum futurum quod adhuc est absens.

Hujus timoris sex assignat species S. Damascenus, Libro 2 Fidei, Cap. 1, videlicet, segnitiem, erubescientiam, verecundiam, admirationem, stuporem, agoniam; quas D. Thomas, 1. 2, Q. 41, Art. 4, declarat: « Tunc est segnities, cum aliquis operari refugit, propter timorem excedentis laboris; tunc est erubescencia, cum turpitudo timetur in actu committendo; tunc est verecundia, cum est turpitude in actu jam facto; tunc est admiratio, cum quis considerat aliquod magnum malum, cuius exitum considerare non sufficit; tunc est stupor, cum aliquod malum inconsuetum nostrae considerationi offertur; tunc est agonia, cum quis considerat malum imminens improvsum, cui scilicet provideri non potest, sicut timentur futura infortunia. »

Objectum timoris, ut dictum est, est malum imminens, quod vix potest vitari, sive quod non de facili repelliri potest. Ex quo sequitur quod, ut malum aliquod proprie timeatur, debet esse futurum, non praesens, et cum aliqua spe evadendi; cum enim malum jam est praesens, vel omnino amittitur spes evadendi (tunc enim apprehenditur ut praesens), ut contingit in eo qui jam decapitatur, recedit timor, et succedit tristitia. Inde est, quod malum naturae corruptivum, vel afflictivum, ut mors et morbus, dum apprehenditur propinquum, et cum aliqua spe tunc evadendi, est objectum timoris. Unde Philosophus, in 3 Ethicorum. Cap. 6, dicit quod « inter omnia terribilissimum est mors. » Malum culpæ, prout subjacet proprie voluntati, non est objectum timoris, illud enim solum est terribile, quod habet causam extrinsecam; quamvis aliquo modo possit cadere sub timore, quatenus dependet ab exteriori causa potenter inclinante ad peccandum. Malum insolitum ac repentinum, cum majus ac magis irreparabile videtur, magis etiam timetur. Sed adhuc magis timetur malum illud, quod cum acciderit, nullo potest remedio vitari, sicut est æterna damnatio: unde ait Philosophus, Libro 2 Rhetor. Cap. 5: « Omnia timenda sunt terribilia, quæcumque si peccaverint, corrigi non contingit, aut quorum auxilia non sunt, aut non facilia. » Cujus rationem affert D. Thomas 1. 2, q. 43, art. 5: « Quia objectum timoris est malum, unde illud quod facit ad augmentum mali, facit ad augmentum timoris: malum autem augetur, non solum secundum speciem ipsius mali, sed etiam secundum circumstantias; inter cæteras autem circumstantias, diurnitas, vel etiam perpetuitas magis vide-

tur facere ad augmentum mali : mala autem quæ, postquam advenient, non possunt habere remedium, vel non de facili, accipiuntur ut perpetua vel diurna ; et ideo maxime redduntur timenda. »

Duplex est causa timoris : una quidem intrinseca , alia vero extrinseca. Causa timoris intrinseca est amor ; cum enim aliquid amamus, timemus non adipisci, vel adeptum amittere ; unde dicit Augustinus, Libro 83, qq. q. 33: « Nulli dubium est non aliam esse metuendi causam (scilicet intrinsecam) nisi ne id quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum. » Causa timoris extrinseca est virtus aut robur alicujus potens inferre malum ; ad timorem vero disponit defectus propriei virtutis, seu ipsa resistendi imbecillitas.

Plures habet timor effectus. Primus est contractio ; nam, sicut in morientibus natura, propter virtutis debilitatem, ad interiora sese recipit, sic in timentibus calor naturalis cum spiritibus ad interiora contrahitur, ut sic contractus fortior evadat ad resistendum. Secundus est tremor corporis, pallor, et stridor dentium ; ex contractione namque caloris et spirituum ad interiora sequitur debilitas in membris externis. Tertius est impedire operationem ex parte membrorum, quæ debilitantur ad predicta contractione caloris. et spirituum ; sicut etiam ex parte animæ, si timor fuerit immoderatus ; nam si fuerit moderatus, potius operationem juvat, et hominem attentius consiliari et operari facit: propterea Apostolus, ad Philipp. 2, ait: « Cum metu et tremore vestram salutem operamini. »

Circa moderationem hujus passionis, attendendum est an sit immoderata, vel ex parte objecti, vel ex parte modi. Solet esse immoderata ex parte objecti in amatoribus hujus sæculi, qui mundana solum timent mala; timent enim ne ab aliis despiciantur, ne divitiarum aut dignitatum jacturam incurvant, ne parentum, filiorum, aut amicorum privationem patientur, ne principis amicitia tandem excidant; cum tamen hæc omnia vix timeri debeant, si majora considerentur mala quæ possunt accidere, qualis est privatio gratiæ ac gloriæ, et æterna damnatio. Unde Christus Dominus, suos instruens discipulos, docuit non timenda esse hujusmodi mala, nec eos qui possunt inferre, quia, cum occiderint corpus, non habent potestatem in animam ; solum affirms Deum esse timendum, quia cum occiderit corpus, potest animam mittere in gehennam : unde, qui hanc timoris immoderationem advertit in seipso,

debet a visibilibus ad invisibilia mentem erigere, ut, despectis his minoribus malis, timeat majora. Est autem immoderata ex parte modi, cum haec mala visibilia (quae possunt alias licite timeri, ut mors, morbus et similia), plus nimio timentur.

Sanctus est timor sanctorum, quem in schola Christi didicerunt : timent aeternam damnationem, ubi malorum et tormentorum rota sine fine volvetur ; timent in extremo judicio damnationis suae sententiam cum reprobis audire, supremo judge illis dicente : « Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus ; » timent offendere Deum summe dilectum, quia summe bonum ; unde etiam timent ab eo separari. Quod si aliquando haec inferiora mala timent, quae licite timeri possunt, moderate timent sub conditione fragilitatis humanae.

## ARTICULUS XII.

### DE PASSIONE IRÆ.

Discursu præcedente, actum est de ira tanquam de vitio, nunc de ipsa disserimus tanquam de passione, utrumque siquidem munus gerit; nam, ut docet D. Thomas, 1. 2, Q. 45, Art. 1 ad 1, « ira et audacia, et omnium passionum nomina dupliciter accipi possunt : uno modo, secundum quod important absolute motus appetitus sensitivi in aliquod objectum bonum vel malum, et sic sunt nomina passionum ; alio modo, secundum quod simul cum hujusmodi motu, important recessum ab ordine rationis, et sic sunt nomina vitiorum. »

Ira est motus appetitus irascibilis ad vindictam, sive est motus, quo laesus appetitus ad inferendam pro injuria pœnam excandescit; tunc enim tantum excitatur iræ passio, cum malum arduum praesens rationem habet injuriae.

Objectum igitur iræ est vindicta alicui inferenda; et ita est complexum: nam respicit unam partem secundum rationem boni, vindictam scilicet quam appetit; et aliam secundum rationem mali, hominem scilicet nocivum de quo vult vindicari; et ideo est passio quodammodo composita ex contrariis passionibus.

Ira est quodammodo cum ratione, conjuncta quidem in homine, separata vero in aliis animalibus: cum enim sit appetitus vindictæ, debet importare collationem pœnæ infligendæ ad nocumentum sibi allatum; unde, in 7 Ethicorum, Cap. 6, dicitur quod « syllogizans conferendo, quoniam oportet totaliter oppugnare, irascitur confessim; » conferre autem et syllogizare est opus rationis. Sed ratio sive conjuncta, sive separata in hoc vindictæ appetitu, non exercet munus præcipientis, sed tantum denuntiantis et manifestantis injuriam, et conferentis ei vindictam; appetitus enim sensitivus immediate rationi non obedit, sed mediante voluntate. Ex quo sequitur id quod ibidem affirmat Philosophus, scilicet quod « ira est homini naturalior quam concupiscentia : » cum enim ira sit cum ratione magis quam concupiscentia, sequitur quod magis convenit homini et secundum naturam speciei, scilicet in quantum est rationalis, et secundum naturam individui, id est secundum propriam complexionem ejus qui irascitur; sed secundum naturam generis, scilicet animalis, et ex parte objecti, concupiscentia naturalior est quam ira.

Ex hoc autem quod ira est quodammodo rationalis præ aliis passionibus, et respicit honorem quem reparare conatur, sequitur quod justior apparet aliis passionibus; unde semel excitata non tam facile quiescit; imo est efferatissima passio, cum ex superbia læsa procedat: fervet, quoties se contemni credit, et eo magis appetitum irritat, quo se justius aestimat agere, nam malum appetit sub ratione boni, vindictam scilicet sub ratione cujusdam aequitatis. Quamvis autem, ut dictum est, appareat in ira munus aliquod rationis in collatione vindictæ ad nocumentum, hoc tamen munus rationis est imperfectum, lux namque rationis offuscatur passione nimis fervente; nam, si ratio non impediretur, deberet concludere dimittendam esse propriam peculiarem injuriam, propter Deum, et ipsi Deo relinquendam esse vindictam injuriæ debitam, cum ipse met dicat: « Mihi vindicta, et ego retribuam. »

Tres species, aut quasi species iræ proponunt Sancti Damasenus, Libro 2 Fidei, Cap. 16, et Gregorius Nyssenus, scilicet fel, maniam, et furorem, vocantes species iræ ea quæ dant augmentum iræ; vel quia cito accenditur, et talis ira vocatur fel; vel quia diu manet in memoria propter tristitiam causantem, et vocatur mania a manendo, vel quia vindictam appetit, et vocatur furor, qui nunquam quiescit donec puniat. Unde Philosophus, 4 Ethicor., Cap. 5,

quosdam irascentium vocat acutos, quia cito irascuntur; quosdam amaros, quia diu retinent iram; quosdam difficiles, quia nunquam quiescunt nisi puniant.

Causa seu motivum iræ semper est aliquid factum contra eum qui irascitur, et maxime parvipensio vel despicio, quoniam ex omnibus bonis excellentiam querimus, cui opponitur despicio; unde ex Philosopho, 2 Rhetor., Cap. 2, habemus quod «ira est appetitus cum tristitia punitionis, propter apparentem parvipensionem non convenienter factam.» Propterea, radix iræ, ex parte ejus qui irascitur, est propria excellentia vera vel præsumpta; dicit enim Philosophus eodem libro, Cap. 9, quod, «homines propter excellentiam indignantur;» ex parte vero offendentis, est propria parvitas sive vilitas, quæ magis auget injuriam, et provocat iram.

Plures habet ira effectus: nam primo, cum sit appetitus vindictæ, ad ejus præsentiam afficit delectatione; unde dicit Philosophus, quod «ira multo dulcior melle distillante in pectoribus virorum crescit.» Secundo causat in corde fervorem ex calore concepto, ac fellis evaporatione; unde Damascenus, Libro 2 Fidei, Cap. 26, dicit quod «ira est fervor ejus, qui circa cor est, sanguinis, ex evaporatione fellis.» Tertio, cum maxime circa cor corporalem faciat perturbationem, inter omnes animæ passiones, maxime judicium rationis impedit; unde Gregorius, 5 Moralium, Cap. 31, dicit quod «ira intelligentiæ lucem subtrahit, cum mentem permovendo confundit.» Quarto tandem, ira facit quod lingua se præpediat, quod facies ignescat, et quod exasperentur oculi; imo potest esse tanta perturbatio iræ, quod omnino impediatur lingua ab usu loquendi.

Circa moderationem passionis hujus, dicimus quod filii sæculi, dum irascuntur, deficiunt ex parte objecti, et ex parte modi: ex parte quidem objecti, dum ira flammescunt ex sola parvipensione propriæ excellentiæ; ex parte vero modi, dum iram concipiunt irreconciliabilem, donec inimicos consumant. Sed discipuli Christi, non de læsa irascuntur excellentia propria, sed de offensa majestate divina; unde mirantur reges et principes mansuetudinem scholæ Christi, cœlestem ejus doctrinam quotidie vident exerceri, dum fideles ejus discipuli, percussa una maxilla (quod juxta sæculi regulas in maximum cedit dedecus), præbent et alteram, absque ulla indignationis et iræ motu, ad Magistri sui imitationem, «qui cum malediceretur non maledicebat;» non reddit malum pro malo,

sed « vineunt in bono malum.» Quod si pro humana fragilitate breviter aliquando exarserit ira eorum, fortissime reprimunt ejus impietum, et flammarum lacrimis extinguunt. Plura circa hoc Discursu praecedenti dicta sunt.

---

## DISCURSUS IV.

### DE APPETITUS MORTIFICATIONE.

Ad perfectam animæ purgationem, non sufficit appetitum ab illicitis vel peccatorum maculis, vel vitiorum dispositionibus, vel passionum motibus liberare, sed insuper requiritur, ut etiam a pluribus licitis, quæ ipsum inutiliter occupare poterant, evacuetur. Nam, generaliter loquendo, « tanto quisque a se licita debet abscondere, quanto se meminit et illicita perpetrasse,» ut docet S. Gregorius; sed illi specialiter, qui ad summam aspirant perfectionem, debent omnia dimittere, quæ progressum, imo cursum ipsorum in via sanctitatis impedire vel retardare possunt; ac praeterea corpus animæ subjicere, ne ipsam suo pondere aggravet, ac naturali inclinatione ad hæc infima ipsam coelestia cogitantem et ad montem perfectionis ascendentem deprimat. Prædicta autem impedimentorum dimissio, et corporis subjectio fit per mortificationem appetitus.

### ARTICULUS I.

#### QUAM NECESSARIA SIT APPETITUS MORTIFICATIO.

Ut demonstretur quam necessaria sit appetitus mortificatio, sciendum nobis est quid sit talis mortificatio; cognita siquidem alicujus natura, facile convincitur ad quid utile, et ad quid necessarium sit.

Ad hujus rei evidentiam, supponendum est quod, ut ait Apostolus, ad Galatas 5, » caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem

adversus carnem ;» haec enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis illa faciatis. Hanc contrarietatem carnis et spiritus, tanquam in seipso saepius expertus, fusius describit, et evidentius manifestat ad Rom. 7, dum ait : « Scimus quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum venumdatus sub peccato, quod enim operor non intelligo; non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio : si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est ; nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum : nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio ; non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago ; si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet ; condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem ; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum-Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. » Hanc eamdem luctam partis inferioris cum ratione, ac rebellionem appetitus ad mentem saepè etiam quilibet nostrum in seipso experitur, dum virtutis exercitium aggreditur.

Haec deordinatio ac rebellio partis inferioris a superiore processit a peccato primi parentis, quod est nobis originale, dum ejus intuitu subtracta fuit humanæ naturæ justitia originalis, qua pars inferior in ordine suo, superiori scilicet subjecta, continebatur : ex hac quippe subtractione soluta fuit pars inferior, et quodammodo sibi relicta ad proprium tendit objectum, scilicet bonum sensibile, et saepius tanto pondere, ut partem superiorem contra legem Dei secum trahat, ut supra fusius explicatum est. Sed, Redemptoris nostri gratia, possumus de tam misero statu liberari, ac inferiorem appetitum rationi, saltem aliqualiter, subordinare.

Hujusmodi partis inferioris ad superiorem reordinatio pluribus vocatur nominibus. Dicitur a B. P. N. Joanne a Cruce, Libro 1 Ascensus Montis Carmeli, « nox obscura sensus :» cum enim appetitus contra propriam inclinationem, a ratione perviam quam nescit ducatur, eique connaturalia subtrahantur objecta, quasi cæcus

dicitur in tenebris ambulare. Sed frequentius ac communius vocatur mortificatio, juxta illud Apostoli ad Coloss. 3 : « Mortificate membra, quae sunt super terram. » Mortificatio quidem, et non mors : nunquam enim appetitus totaliter extinguitur, in quo mors esset; sed plurimum debilitatur, in quo consistit mortificatio; quae dicitur spontanea liberaque anima a vita carnali separatio, ac viarium animae tam interiorum quam exteriorum, tum ab illicitis tum ab imperfectis operibus segregatio.

Mortificatio partis inferioris est vivificatio superioris : quo namque magis premitur inferior, eo superior magis respirat; unde ait Bernardus, Serm. 72 in Cantica : « Quæris in quo sit respiratio ista? In eo si incipiat spiritus vicissim concupiscere adversus carnem : huic si repugnes, respiras; si spiritu facta carnis mortificas, respirasti; si hanc eum vitiis et concupiscentiis suis crucifigis, respirasti. Castigo, inquit, Paulus, corpus meum : vox est respirantis, imo qui jam respirarat. Unde et tu fac similiter, ut te respirasse probes, ut diem denuo inspirantem tibi noveris illuxisse. »

Duplex est mortificatio : una hominis exterioris, qua scilicet sensus externi mortificantur; alia hominis interioris, qua mortificantur affectus interni. Utraque simul optima; quælibet bona, dummodo comprehendit non excludat : exterior quidem absque interiori parum prodest, interior absque exteriori diu durare nequit, quamvis sit potior exteriori. Quod mortificatio exterior absque interiori parum prodit, docet Cyprianus, de Duplice Martyr., dicens : « Neque enim locus desertus, saccus pro veste, legumen pro cibo, neque jejunia, neque chameuniæ (seu humicubationes) monachum absolvunt : sub his involueris interdum latet animus valde mundanus ; quod ita deprehenditur, si ad munus aliquod ecclesiasticum vocentur, ubi videoas quosdam ex illis facillime vinci deliciis, impatiencies injuriarum, appetentiores vindictæ quam quivis alias sit ex media plebe. Quid causæ est? Quoniam corpus exercuerunt magis quam animum, cum beatus Paulus doceat quod exercitatio corporalis ad modicum utilis est, pietas ad omnia valet. »

Rursus utraque mortificatio vel est ab illicitis, vel a quibusdam licitis : est mortificatio ab illicitis, cum sensus externos, aut affectum internum cohibemus, ne tendant ad objecta prohibita; est mortificatio a licitis, cum eosdem sensus aut affectum propter Deum continemus, ne in aliquibus licitis suam capiant recreationem. • Mor-

tificatio ab illicitis cupiditatem comprimit, ait Bernardus, ut non eamus post concupiscentias nostras; mortificatio vero in licitis necessitatem angustat, ut paucis contenta res parum necessarias omittat. » Est autem apprime utile nonnulla licita abscindere, non solum ut, consilia sectantes, abundantiorum mercedem accipiamus, verum etiam ut, assueti ad relinquenda licita quae placent, facilius illicita, cum nos inescare tentaverint, relinquamus: propterea dicit Gregorius,<sup>5</sup> Moralium, C. 8: « Solus in illicitis non cadit, qui se aliquando et a licitis caute restringit. »

Quam sit necessaria appetitus mortificatio singulis hominibus quantum ad illicita, nullus est qui non statim concludat, dum legerit quae supra dicta sunt, tam circa peccatorum evacuationem, quam circa vitiorum eradicationem, ubi referuntur motiva intellectum ac voluntatem convincentia, propter quae ab illicitis est abstinentia; quae nunc omittimus, ne saepius eadem repetamus. Quam vero sit necessaria mortificatio quantum ad licita, facile colligitur ex doctrina tum speculativa tum practica Christi Domini, veritatis Magistri, qui passim in Evangelio legitur viam crucis praedicasse, abnegationem sui, rerum item omnium abnegationem, quae perfectam indicant appetitus mortificationem; et hanc doctrinam in se ipso complevit ab instanti suae nativitatis sacratissimae usque ad mortem crucis. Cujus exemplo fideles ejus discipuli crucis mortificationem jugiter in suo corpore propter ejus amorem portarunt.

Si cunctis est necessaria appetitus mortificatio etiam a licitis, cum sit, juxta sanctum Leonem Papam, « imperfectio cupiditatis, occisio vitiorum, declinatio vanitatis, et abdicatio omnis erroris, » multo magis est necessaria justis hominibus, qui ad summam perfectionem aspirant. Hoc intellexerunt omnes religiosorum ordinum fundatores, dum perfecte vivendi modum instituentes, præcipuum exercendæ mortificationis curam habuerunt. Omnia religiosi status exercitia mortificationem præferunt et prædicant; unde Cassianus, Collatione 19, Cap. 8, dicit: « Hujus vitæ finis est, omnes nostras mortificare et crucifigere voluntates, ac secundum evangelicæ perfectionis salutare mandatum, nihil de crastino cogitare. Absurdum est autem et satis miserum, in arrepto melioris vitæ proposito, solo corpore et non animo permanere. »

Hanc necessitatem mortificationis probat Basilius, in Regula,

comparatione apta : « Ut in corporibus, ait, necessario et demi illa debent, quæ supervacanea sunt, et quæ absunt apponi; sic idem quoque nobis in animis nostris servandum est, ut quæ aliena sunt scilicet amandemus, et quæ idonea adsciscamus. » In hac necessitate mortificationis magnam apponit Ambrosius utilitatem, dum ait : « Arbor vitæ crux est Christi, ex qua si pomum abnegationis accipiamus, et a pravis nostris affectibus fugiamus, certissime in perpetuum vivemus. Potent insani homines et juxta legem carnis viventes, quod nos mortificatio perimit, quia ad horam carnem nonnullo pallore afficit, et nos modestiae servientes a laudibus humanis abscondit. Potent, inquam hoc, nam certum est quod ipsi falluntur, et nos mortificatione non morimur, sed vivimus, juxta dictum Apostoli : « Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. »

## ARTICULUS II.

### MOTIVA PROPTER QUÆ NECESSARIA EST APPETITUS MORTIFICATIO.

Plurima sunt motiva, propter quæ necessaria est appetitus mortificationis. Sed primum et potissimum est, quod est gratum Deo sacrificium in homine justo, et gratissimum holocaustum in homine perfecto, ut docet Richardus de S. Victore in Psalmum 28, dicens : « Nil ita flagrat Domino in odorem suavitatis, quam si mactetur ei vitulus propriae voluntatis ; sed quam acceptus erit hic voluntatis propriae vitulus, si illum in amplectenda mortificatione tam nobis necessaria mactemus, et si dum perpetuo nos cohibemus, eum in iuge sacrificium converiamus ! » Et certe hoc demonstratur exemplo, non solum omnium sanctorum, quibus Deus tanquam dilectis suis amicis calicem mortificationis et afflictionis abunde propinat, verum etiam unici Filii sui, in quo sibi bene complacuit ; ei namque in arbore crucis hujusmodi calicem supereffluentem præparavit, et tunc tam acceptum sui sacrificium obtulit, ut fuerit exauditus pro sua reverentia, et opus nostræ redemptions perfecerit. Quid gratius Deo in filiis adoptivis, quam assimilari dilectissimo Filio naturali ? Quæ doctrina sic vera est, ut etiam in impiis accepta sit Deo mortificatio

voluntarie suscepta, ut constat in Ninivitis, et in Achab, cui Deus pepereit, cum humiliatum vidisset.

Secundum motivum est, quod mortificatione peccata minuuntur, sicut et pena eis debita, vitia extinguntur, ac tentationes vincuntur. Quod mortificatione peccata minuantur, docet Bernardus, Sermone primo de Jejunio, dicens : « Jejunet oculus a curiosis appetitis et omni petulantia, qui male liber vagabatur in culpa; jejunet auris nequiter pruriens a fabulis et rumoribus, et quæcumque otiosa sunt, et ad salutem minime pertinentia; jejunet lingua a detractione et murmuratione, ab inutilibus, vanis atque scurrilibus verbis, interdum quoque ob gravitatem silentii, et ab ipsis quæ videri poterant necessaria; jejunet manus ab otiosis signis, et ab operibus omnibus, quæcumque non sunt imperata; sed et multo magis anima ipsa jejunet a vitiis, et propria voluntate sua; etenim sine jejunio hoc cætera a Domino reprobantur. » Ratio autem hujus est, quia qui proprio satisfacit appetitui in omnibus, etiam tantum licitis, facile cadet ad illicita quæ sunt ejusdem naturæ physicæ, appetitus namque nunquam dicit : sufficit. Quod etiam mortificatione minuatur pena peccatis debita, certum est de fide: nam sacra Scriptura passim prædicat opera mortificationis, ut jejunii et similia, ad satisfaciendum pro peccatis, et hoc observat Ecclesia; unde Augustinus ait, de Vera et Falsa Religione: « Abstineat a multis licitis, qui per libertatem arbitrii commisit illicita. » Et, Tractatu de Utilitate Jejunii, Capite secundo, ait: « Quod si tentator suggeserit: quid facis quia jejunas? defraudas animam tuam, non ei das quod eam delectat, tibi ipsi ingeris penam, tuus ipse tortor et cruciator existis; Deo ergo placet, quia te crucias? ergo crudelis qui delectatur penis tuis; responde hujusmodi tentatori: excrucio me plane, ut ille parcat; do de me penas, ut ille subveniat, ut placeam oculis ejus, ut delectem suavitatem ejus; nam et victima excruciatur, ut in aram imponatur. » Quod mortificatione vitia extinguantur, docet Apostolus, ad Galatas 5, dicens: « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. » Et Richardus a Sancto Victore, ad Psalm. 90, ait: « Carnalia vitia triumphamus per disciplinam corporis, spiritualia vero per disciplinam cordis. Copiosior est corruptio spiritualis quam corruptio corporalis; congressioque spiritualium vitiorum multo densior est, quam congressio vitiorum corporalium: contra hos utros-

que animæ hostes oportet sane fortiter dimicare; et alii quidem conterendi sunt corporis afflictione, alii autem affligendi cordis contritione.» Hujus ratio est manifesta: nam vitia extinguntur, vel per cessationem proprietum actuum, vel etiam efficacius per actus contrariarum virtutum. Per mortificationem autem et abstinemus ab actibus vitiorum, et actus virtutum exercemus; unde Augustinus Serm. 20 de Sanctis, Cap. 5, ait: « Duo sunt abstinentiae et crucis genera: unum corporale, aliud spirituale; unum a potu atque epulis temperare, appetitum gulæ a delectationibus et mollissimis suavitatibus coercere, ab iis que per tactum, et gustum, visumque decipiunt, sensum viriliter revocare, ac violenter abstrahere; alterum abstinentiae et crucis genus est pretiosius atque sublimius, motus animi regere, et perturbationes illius modestiae tranquillitate placare, iræ ac superbiæ impetus, quasi feram bestiam refrenare, litigare quotidie contra vitia sua, increpare se quadam censura austeritatis et virtutis, et rixam quodammodo cum homine interiorre conserere. Pretiosa in conspectu Dei et gloria crux, cogitationes malas in potestatem redigere, voluntates proprias abnegare, easque interiori examinatione discutere, et regentis imperio subjugare; a sermone atque opere, quo anima laeditur, tanquam a eibis noxiis abstinere, et sensum abiis, que contraria sunt, spirituali temperantia sobrium custodire. » Quod mortificatione tentationes vincentur, sive procedant ab hoste domestico sive ab extraneo, docet Basilius, Oratione 21, de Felicitate, dicens: « Quamvis navis gubernatori concessum non sit tranquillitatem mari pro arbitrio et voluntate imponere; nobis tamen integrum est, vitam quietam, omnique vacantem perturbatione constituere, si nimis internos tumultus, qui ab affectionibus externis proficiunt solent, sedaverimus, et mentem iis, que extrinsecus accidentunt, altiorem constituerimus; siquidem illi, qui nimis magnum studium et curam in res mundi istius conferunt, tanquam volucres carnosæ frustra alas habentes, una cum esculentis suis deorsum trahuntur. » Hujus quoque ratio manifesta est: nam proprium est mortificationis contra motus omnes inordinatos, qui procedunt a temptationibus, insurgere, eosque debellare; imo perfecta mortificatio prævenit, ut plurimum, occasiones temptationum, dum sensus externos coactet ne illis occupentur, quamvis alias licet, unde minima temptationum occasio possit exurgere; quod est de temptationibus perfectissimo modo victoriam reportare, ac gloriosissime de illis triumphare.

Tertium motivum est, quod mortificatione refrænatur appetitus, ac impediuntur omnia ac singula damna, tam positiva quam privativa, quæ causare solet quando est inordinatus. Sciendum igitur est, quod appetitus inordinatus duo principalia causat damna in anima cui dominatur, de quibus B. P. N. Joannes a Cruce fuse discurrit, Libro 1 Ascensus Montis Carmeli, Cap. 6, et sequentibus. Primum est privativum, secundum positivum. Privativum in hoc consistit, quod talis appetitus privat animam divino Spiritu, sensum omnem devotionis extingens. Positivum autem, quod est multiplex, in hoc consistit quod appetitus hujusmodi animam fatigat, torquet, offuscat, fœdat et debilitat. Quæ duo mala indicantur a Domino, Jeremiæ 2 : « Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vitae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas. » Quantum ad damnum illud privativum, certum est quod, quando anima adhæret inordinate alicui creaturæ, si hæc inordinatio sit totalis, statim et gratiam sanctificantem et inhabitantem Spiritum Sanctum amittit; si vero talis inordinatio non sit totalis, semper animam privat fervore charitatis et intimo sensu devotionis ac divini Spiritus; hæc enim contraria conjungi non possunt: Creator et creatura, sensuale et spirituale, visibile et invisible, temporale et aeternum, cibus coelestis omnino spiritualis et cibus sensuum omnino sensibilis, nuditas Christi et affectus ad creaturas. Animæ igitur, cui dominatur appetitus inordinatus, non solet Deus communicare eibum spiritualem filiorum Dei; propterea Christus Dominus dixit : « Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. » Solus ille cibus potest animam satiare, cum tamen non possit ex creaturis solidus aliquis cibus haberi, sed aliquæ tantum peregrinæ mīcæ, quibus irritatur potius appetitus quam satietur; unde dicitur, Psalmo 58, de hujusmodi anima : « Famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem; si vero non fuerint saturati, et murmurabunt. » Quantum vero ad damnum multiplex positivum, certum est primo, quod appetitus inordinatus fatigat animam, juxta illud Isaïæ, quinquagesimo septimo : « Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest; » quamvis enim se anima nunc ad hanc, nunc ad illam convertat creaturam, lassa tamen et vacua remanet; unde Isaïæ nono dicitur : « Declinabit ad dexteram, et esuriet, et comedet; ad sinistram, et non saturabitur; » et, capite vigesimo nono : « Lassus

adhuc sitit, et anima ejus vacua est. » Certum est secundo, quod torquet animam : de quadam enim dicitur, Judicium decimo sexto, quæ tali torquebatur appetitu, quod « defecit anima ejus, et ad mortem usque lassata est ; » hujusmodi namque appetitus sicut onus grave gravatus est super animam, et jugum ejus est intolerabile, cum tamen jugum Christi sit suave et onus ejus leve ; unde invitat : « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ; » et, Isaiae 55 : « Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite, venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac ; quare appenditis argentum non in panibus ; et laborem vestrum non in saturitate ? Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. » Merito dixit Augustinus : « Jussisti Domine, et factum est, ut inordinatus animus sit sibi pena. » Quod si aliquando talis appetitus placeat, postea tamen justo Dei judicio magis displicet, secundum illud Apocal. 18 : « Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. » Certum est tertio, quod appetitus inordinatus offuscat animam, juxta illud Psalmi 39 : « Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem ; » excitato namque a saeviente inordinate appetitu, turbatur anima, et rationis lumen impeditur ; de hujusmodi, qui ad similem statum cœcitatis deveinerunt, dicitur Jonæ 4, in eorum persona : « palpavimus sicut cœci parietem et quasi absque oculis attractavimus, impeginus meridie quasi in tenebris ; » unde, sicut illis qui habent ante oculos vitrum viride, rubrum, flavum, aut alterius coloris, omnia ejusdem esse coloris apparent, sic qui præventus est aliquo appetitu inordinato, cuncta quæ considerat, sub ejus affectu inordinato videt. Certum est quarto, quod appetitus inordinatus foedat animam, juxta illud Ecclesiastici 13 : « Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea ; » et sicut reptilia immunda foedant locum ubi reperiuntur, sic appetitus inordinati quasi reptilia foedant animam, ubi foventur ; de quibus dicitur Ezechieli 8 : « Et dixit ad me, ingredere et vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic; et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium et animalium, abominatio, et universa idola domus Israël depicta erant in pariete in circuitu per totum. » Certum est denique, quod appetitus inordinatus debilitat animam : propterea Jacob dixit primogenito suo Ruben, qui simili fuerat appe-

titu devictus : « Effusus es sicut aqua, non crescas ; » et ratio est manifesta : nam talis appetitus totaliter animam possidet ; unde sic eam occupat in suis desideriis adimplendis, quod de virtutibus acquirendis nec cogitet ; et si cogitaret, tota virtus ipsius ab illo appetitu exhauriretur, appetitus namque sunt quasi sanguisugæ, de quibus dicitur Proverbiorum 30 : « Sanguisugæ sunt filiæ ejus, dicentes, affer, affer. » Hæc omnia damna simul vitantur per mortificationem, qua non solum appetitus ab illicitis retrahitur, sed etiam continetur ne multis alias licitis adhæreat ; et sic anima penitus libera, ac suorum appetituum domina, potest virtutum exercitio vacare.

Quartum motivum est, quod mortificatione facile virtutes acquirentur : nam, ut docet D. Thomas, 1. 2, Q. 59, Art. 1, « virtus prærequisit passiones sedatas, et consequenter appetitus moderatos ; objectum enim virtutis est bonum morale, quod scilicet est conforme lumini rationis, lumen autem rationis offuscatur per passiones et appetitus immoderatos ; unde tunc non potest operationes regulare. » Hoc docent communiter sancti Patres. Hieronymus in 28 Job, ubi dicitur de sapientia quod « nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium, » sic ait : « Hanc sapientiam timoris Dei non habet quispiam, nisi carnem suam crucifixerit cum vitiis et concupiscentiis, nisi vixerit ut Paulus Apostolus, et omnes sancti in tribulationibus, persecutionibus, angustiis, et pressuris ; et ideo suaviter sunt dicti vivere illi, qui nullo jugo disciplinæ tenentur, et effrenes ac præcipites in labem prorumpunt viatorum. » Et alibi dicit : « Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris. » Augustinus, Tractatu 80 in Joannem, dicit de discipulis Christi, quod « mundi quidem sunt, sed ut crescent fructibus adhuc sunt amplius abnegatione mundandi, neque enim, nisi mundi essent, fructum ferre potuissent, nec nisi amplius mundarentur, ad perfectionem fructus venissent ; quare mundat mundos, hoc est fructuosos, ut tanto sint fructuosiores, quanto mundiores : qui autem non putantur atque purgantur, paulatim steriles fiunt ; ideoque dictum est de vinea Domini Sabaoth : « Non putabitur, et non fodietur, et ascendent vepres et spinæ. » Tandem Gregorius, Libro septimo Moralium, Capite decimo, ait : « Omnis ascensus in labore est, descensus in voluptate, quia per adnisum gressus ad superiora tenditur, per remissionem vero ad inferiora declinatur ; ad montis

enim verticem saxum subvehere magni laboris est, idemque a summis ad ima dimittere labor non est ; sine mora videlicet proruit, qui magnis conatibus ad summa pervenit. » Si ergo nos non quidem ad infimum montis, sed ad culmen usque virtutis ascendere volumus, necesse est ut plusquam ordinarie laboremus ; qui sane labor magnam naturae violentiam inferendam habet, et satis difficilem mortificationem involvit.

Quintum motivum est, quod mortificatione hic in via beatitudo inchoatur, cum enim hæc præsens vita sit plena multis occasionibus patiendi, soli illi leves inveniunt labores, qui per mortificationem eos propter Deum inquirunt ; alii vero quoscumque labores gravissimos sentiunt, qui sibi plus nimio parcentes, eos pro viribus fugiunt ; imo qui labores querunt, tandem dulces inveniunt. Audi Thomam a Kempis, Libro 2 de Imitatione Christi, C. 12, sic docentem : « Ecce in cruce totum constat, et in moriendo totum jacet, et non est alia via ad vitam et ad veram internam pacem, nisi via sanctæ crucis et quotidiane mortificationis : ambula ubi vis, quære quodecumque volueris, et non invenies altiorem viam supra, nec securiorem viam infra, nisi viam sanctæ crucis ; dispone et ordina omnia secundum tuum velle et videre, et non invenies nisi semper aliquid pati debere, aut sponte aut invite ; et ita crucem semper invenies : aut enim in corpore dolorem senties, aut in anima spiritus tribulationem sustinebis ; interdum a Deo relinqueris, interdum a proximo exerceberis, et, quod amplius est, saepe tibimet ipsi gravis eris ; nec tamen aliquo remedio vel solatio liberari seu alleviari poteris, sed, donec Deus voluerit, oportet ut sustineas. Vult enim Deus, ut tribulationem sine consolatione pati discas, et ut illi totaliter te subjicias, et humilior ex tribulatione fias. Nemo ita cordialiter sentit passionem Christi, sicut is cui contigerit similia pati. Crux ergo semper parata est, et ubique te expectat : non potes effugere, ubicumque cucurris, quia quocumque iveris, te ipsum tecum portas, et semper te ipsum invenies ; converte te supra, converte te infra, converte te extra, converte te intra, et in his omnibus invenies crucem ; et necesse est te ubique tenere patientiam, si internam vis habere pacem, et perpetuam promereri coronam. Si libenter crucem portas, portabit te, et ducet te ad desideratum finem, ubi scilicet finis patiendi erit, quamvis hic non erit ; si invite portas, onus tibi facis, et te ipsum magis gravas ; et tamen oportet ut sus-

tineas; si abjicis unam crucem, aliam proculdubio invenies, et forsitan graviorem. »

*Crux omnes sequitur, fugientibus instat et urget ;  
Est in se levis, est omnibus una gravis.  
Si fugis, haec sequitur ; si curris, currit et illa ;  
Si sistis, sistit : nemo latere potest.  
Si montem subeas, nullo defessa labore  
Per totum semper te comitatur iter;  
Si mare transcurras, mediis tecum ambulat undis,  
Undas et navem, vela viamque regit ;  
Si tu naufragium timeas, nequit illa timere,  
Namque in naufragiis tuta manere solet ;  
Si castrum ingrediens tormentis mania cingas,  
Nec tu, nec locus hic a cruce tutus erit ;  
Seu tu rex fueris, seu princeps, sive monarca,  
Angelus a dextris crux tibi custos erit.  
Cicumque est similis : si erescis, crescit et illa ;  
Quo tu major eris, crux tua major erit.  
Vis fugiat ? consiste, amplectere ; crux levis umbra est :  
Obvius esto cruci, crux velut umbra fugit.  
Si fugias crucis hostes, si comiteris amicos,  
Confestim ipse crucis fidus amicus eris.*

Sextum tandem motivum est (ut alia plura dimittamus), quod mortificatione, seu regia crucis via, pervenitur ad patriam : « Angusta est, dicit Salvator mundi, via quæ ducit ad vitam, lata est via quæ ducit ad perditionem. » Imo cum ipse, tanquam Unigenitus a Patre, gloriae coelestis esset hæres, affirmat quod ad eam debuit pervenire per crucem ; numquid non dixit duobus ex suis discipulis : « Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ? » Quod expendens Thomas a Kempis, loco citato, ait : « Et quomodo tu aliam viam quæris, quam hanc regiam viam, quæ est via sanctæ crucis ? Tota vita Christi crux fuit et martyrium, et tu tibi quæris requiem et gaudium : erras, erras, si aliud quæris quam pati tribulationes ; quia tota ista vita mortalism plena est miseriis, et circumscripta crucibus ; et quanto altius quis in spiritu profecerit, tanto graviores sæpe crues invenit, quia exilii sui pœna magis ex amore crescit. Sed tamen iste sic multipli certe afflictus non est

sine levamine consolationis; quia fructum maximum sibi sentit accrescere ex sufferentia sue crucis, nam, dum sponte se illi subjicit, omne onus tribulationis in fiduciam divinæ consolationis convertitur. »

### ARTICULUS III.

#### MORTIFICATIO SPECIALITER EST NECESSARIA VIRIS CONTEMPLATIVIS.

Si omnibus, qui pie volunt vivere in Christo necessaria est mortificatio, multo magis necessaria est viris contemplativis, qui ad summam aspirant perfectionem; hoc scilicet dupli titulo, et quia sunt viri contemplativi, et quia ad summam aspirant perfectionem: nam sine mortificatione non potest haberi contemplatio vel oratio mentalis, nec etiam potest acquiri summa perfectio, imo nec medioris; quandoquidem qui mortificationem non amplectitur, vitam spiritualem aut rationalem ducere nequit, ut sigillatim ostendetur.

Quantum ad primum, quod scilicet viris contemplativis necessaria est mortificatio, quia sine mortificatione non potest haberi contemplatio vel oratio mentalis, probatur, tum auctoritate sanctorum Patrum ex sacra Scriptura, tum efficaci ratione. Tobiae 12, habetur: « Bona est oratio cum jejunio, » ubi conjungitur oratio mortificationi sub jejunio comprehensæ. Canticorum 3, dicitur de sponsa, scilicet de anima fidei per contemplationem Deo conjuncta: « Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula funi, ex aromatibus myrræ et thuris? » Et Sponsus ipse cœlestis, significare volens quomodo simul oratione ac mortificatione sponsæ trahatur, dicit, Canticorum 4: « Vadam ad montem myrræ et ad collem thuris; » certum est enim quod per myrrham amaram intelligitur mortificatio, quæ carni displicet; per thus autem intelligitur oratio, juxta illud: « Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; » et sic intelligunt communiter sancti Patres. Unde Sanctus Bernardus, Serm. 89 ex parvis, prædicta exponens verba, sic ait: « Confessionem debet semper comitari myrra et thus, id est mortificatio carnis et oratio cordis; alterum enim

sine altero aut parum aut nihil prodest: nam si quis carnem mortificet, et orare dissimulet, superbus est, et dicitur ei: « Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? » Item si oraverit, et carnem snam mortificare neglexerit, audiet: « Quid vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quae dico? » et illud: « Qui avertit faciem suam ne audiatur legem, oratio ejus erit execrabilis. » Utrumque ergo alteri suffragatur, dum constat quod alterum sine altero reprobatur. Ricardus a S. Victore in Cantica, Cap. 9, in eadem verba sic ait: « Simul ascendit uterque fumus, mortificationis scilicet, et desiderii atque orationis; quia alter ab altero fulcitur, ita ut neuter per se possit ascendere, vel Deo placere: superna enim desiderare non possumus, nisi terrena despiciamus; et terrena non despiciimus, nisi supernorum desiderio trahamur; absque delectatione enim cor esse non potest, sed aliqua ideo trahi necesse est, quia trahit sua quemque voluptas; unde, cum alia illi subtrahitur, ad aliam facilius inclinatur; et quia vacuum est, ad aliquid capiendum amplius est dispositum. Tanto ergo magis spiritualem delectationem admittit, quanto et consolationis terrenae expers est, et in aliquo delectari non cupit. » Ratio autem manifesta est: nam ad orationem mentalem, et multo magis ad contemplationem requiritur maxima cordis tranquillitas, et puritas mentis, ut omnes fatentur; si enim animus fuerit inquietus et impurus, quomodo in Deo videndo et contemplando vacare poterit? Propterea Christus Dominus, Matthæi 5, dicit: « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; et Augustinus, Serm. 2 de Ascensione Domini, ait: « Deum videre vis, prius ergo cogita de corde mundando, et quicquid ibi vides quod Deo displicet, tolle. » Certum est autem, quod absque mortificatione non potest haberi cordis tranquillitas, nec puritas mentis; appetitus siquidem inordinati, qui sola mortificatione interna cohibentur, cor ipsum quiescere non sinunt, continuoque perturbant; et apprehensiones sensibiles rerum saecularium, ac desideria carnis, quae sola mortificatione externa possunt excludi, cogitationibus impuris mentem foedant; unde sine mortificatione non potest haberi contemplatio vel oratio mentalis: ex quo manifeste constat, quod mortificatio specialiter est necessaria viris contemplativis.

Quantum ad secundum, quod scilicet sine mortificatione non potest acquiri summa perfectio, ad quam aspirant viri contemplativi,

imo nec mediocris, probatur authoritate sanctorum Patrum, qui communiter in hac doctrina conveniunt. Unde Cassianus, Libro 4 de Institutione, C. 43, sic ait : « Mortificatione voluntatum, extirpantur atque marcescunt vitia universa; expulsione vitiorum, virtutes fructificant atque succrescunt; pullulatione virtutum, puritas cordis acquiritur; puritate cordis, apostolice charitatis perfectio possidetur. » Probatur etiam ratione ex supradictis deducta : summa perfectio hominis in hoc consistit, quod ab eo cuncta moraliter mala removeantur perfecte, et in eo cuncta bona reperiantur, ut ita nihil sit in eo quod oculis divinæ majestatis displiceat, et omnia sint in eo quæ Deo placere possunt; constat autem ex dictis, quod per solam mortificationem removentur ab homine tam peccata quam vitia, quæ sola sunt moraliter mala, et quæ sola displicere possunt oculis divinæ majestatis, ac simul per eamdem ponuntur in homine tam actus quam habitus virtutum, acquisitarum quidem effective, infusarum autem simul cum gratia sanctificante, donis Spiritus Sancti, cæterisque charismatibus supernaturalibus, dispositive; quæ sola sunt bona moraliter ac Deo placentia : unde sine mortificatione non potest acquiri summa perfectio, ad quam aspirant iri contemplativi. Imo, cum sine prædictis perfectio mediocris haberi non possit (ad perfectionem enim requiritur, quod peccata et vitia removeantur, et virtutes acquirantur, quod sine mortificatione fieri non posse diximus), sequitur quod sine mortificatione nec mediocris perfectio haberi possit. Confirmatur hoc totum : summa hominis perfectio secundum hoc considerari debet, quod ad eundem reducatur statum, a quo per peccatum primi parentis decidit, et quod Christo Domino perfecte assimiletur; Deus enim naturam humanam summe perfectam condiderat, et Christus Dominus, utpote Filius Dei naturalis unigenitus, est summe perfectus : manifestum est autem, quod per solam mortificationem homo reducitur ad statum innocentiae, quantum fieri potest, dum per illam pars inferior superiori subordinatur refrænatis ejus passionibus, et pars superior Deo subjicitur moderatis ejus affectibus; similiter per solam mortificationem homo perfecte Christo Domino assimilatur, ut de seipso fatetur Apostolus passim in suis Epistolis, ut dum ait, ad Galatas secundo : « Christo confixus sum cruci : vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus; » et, capite sexto : « Mihi autem, ait, absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi; » 1. Cor. 2 : « Non

enim, inquit, judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum; » et alibi dixit: « Stigmata Domini mei Jesu Christi in corpore meo porto. » Unde egregie dixit S. Ephrem, de Fide: « Qui vere cupit esse homo Christi, aeternisque bonis se frumentum sperat, paupertatem divitias cum gaudio existimare debet, et afflictionem recreationem, asperitatem victus delicias, improperiū honorem, et contumelias gloriam ducere; haec enim vera servorum Dei gloria est: neque vero solum improperia ferre debet pugil ac miles Christi; quin et si forte divitiae obvenerint, eas ut stercora respuere oportebit; si gloria et principatus, non extollatur et superbiat; si laudes atque honores hominum, ut quae nec sint quidem existimanda; quin etiam propter hujusmodi res, quae habentur gloriosae, confundi et lugere oportet; et propter ejusmodi contra laetari et gaudere, quae habentur vilia, et abjecta putantur. » Sed confidere debet, qui sic Christo per mortificationem assimilatur, juxta promissum Apostoli, ad Rom. 8, asserentis, quod « erimus heredes Dei, et coheredes Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur; » et, 2 ad Tim. 2, quod « si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus. »

Quantum ad tertium, quod scilicet qui mortificationem non amplectitur, vitam spiritualem aut rationalem ducere nequit, constat universali sanctorum Patrum autoritate. Augustinus, Serm. 18 in Joannem, dicit quod « si homo vivat secundum spiritum, imitatur angelos; si secundum carnem sive appetitus immortificatos, imitatur bestias; » et, Serm. 50, ad fratres in eremo, dicit: « Qualis est in oculis hominum, qui inversis pedibus ambulare videtur, talis est in oculis angelorum, cui propria caro dominatur. » Et D. Bernardus, Capite tertio Meditat. ait: « Dominam ancillari, et ancillam dominari, magna abusio est; » quod tunc contingit, cum ex defectu mortificationis pars inferior passionibus excitata prævalet superiori; nam, ut ait S. Ambrosius in Psalm. 118: « Qui secundum corporis appetitiam vivit, caro est; qui secundum præcepta Dei, spiritus est. » Ratione etiam confirmatur: nam homo, constans ex anima spirituali rationali et carne, quamdiu per mortificationem subter se continet appetitum suum, et dominatur illius, tamdiu vivit secundum ductum animæ spiritualis rationalis, ac proinde dicit vitam spiritualem et rationalem; sed, cum ex defectu mortificationis, per passiones et appetitus immoderatos subjugatur anima

corpori, et rationis lumen obtenebratur, tune homo vivit ut mancipium corporis sui, ac velut expers rationis, ac ita vitam spiritualem et rationalem ducere nequit. Cogitet cum Seneca, Epist. 63, quantum inde sibi dedecus proveniat, et cum ipso dicat: « Major sum, et ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis. »

## ARTICULUS IV.

### RARI SUNT AMICI MORTIFICATIONIS.

Cum tam utilis, tam necessaria, tam honesta, imo saepius tam delectabilis sit mortificatio, mirum est, quod tam paucos habeat amicos, et tam multos inimicos, ex his etiam qui vitam contemplativam profitentur; sed quod magis mirandum, et sanguineis deflendum laerymis, est quod non desunt ex illis, qui mortificationem tanquam inutilem reprobent, maxime externam, quasi sine ipsa perfectio charitatis et consummatio virtutum haberi possit, cum tamen contrarium experientia probetur: illos deflet Apostolus, velut « inimicos crucis Christi, quorum finis est interitus. »

Sed, illis dimissis, ut fideles Christi servos, et maxime viros contemplativos ad mortificationis amorem excitemus, auream Thomae a Kempis doctrinam, Libro 2 de Imitatione Christi, Cap. 11, propo-namus: « Habet, inquit, Jesus nunc multos amatores regni sui cœlestis, sed paucos bajulatores suæ Crucis; multos habet desideratores consolationis, sed paucos tribulationis; plures invenit socios mensæ, sed paucos abstinentiae: omnes cupiunt cum eo gaudere, pauci volunt pro eo aut cum eo aliquid sustinere; multi Jesum sequuntur usque ad fractionem panis, sed pauci usque ad bibendum calicem passionis; multi miracula ejus venerantur, pauci ignominiam crucis sequuntur; multi Jesum diligunt, quamdiu adversa non contingunt; multi illum laudant et benedicunt, quamdiu consolationes aliquas ab ipso percipiunt: si autem Jesus se absconderit, et modicum eos reliquerit, aut in querimoniam vel dejectionem nimiam cadunt. »

Debent veri Christi discipuli, sic ejus amare Crucem, ut non solum eam libenter amplectantur, sed etiam semper et ubique, tam operibus quam verbis, Christum cum Apostolo predicent, et hunc

crucifixum : nam, ut subjungit ille author, « qui Jesum propter Jesum, et non propter suam propriam aliquam consolationem diligunt, ipsum in omni tribulatione et angustia cordis, sicut in summa consolatione, benedicunt ; si nunquam eis consolationem dare vellet, ipsum tamen semper laudarent, et semper gratias agere vellent. O quantum potest amor Jesu purus, nullo proprio commodo vel amore permixtus ! Nonne omnes mercenarii sunt dicendi, qui consolationes semper querunt ? Nonne amatores sui magis quam Christi probantur, qui sua commoda et lucra semper meditantur ? Ubi invenitur talis, qui velit Deo servire gratis ? Raro invenitur tam spiritualis aliquis, qui omnibus sit nudatus. »

Ut quis fidelis amicus crucis et veræ mortificationis judicetur, debet mortificationem nunquam omittere, et se in illa tam in magnis quam in parvis semper exercere. Quod nunquam sit omittenda mortificatio, docet Bernardus, Serm. 1, in die Paschæ, ubi sic ait : « Ita et nos quicumque sequimur Caput nostrum, tota die hac qua plasmati et redempti sumus, non cessemus agere pœnitentiam, non cessemus tollere crux nostram, perseverantes in ea, sicut ipse perseveravit, donec dicat spiritus ut requiescamus a laboribus nostris : neminem audiamus, non carnem et sanguinem, non spiritum quemlibet, descensum a cruce suadentem ; persistamus in cruce, moriamur in cruce, deponamus aliorum manibus, non nostra levitate : caput nostrum deposuere viri justi ; nos ergo dignatione sua angelii sancti deponant, ut consummata viriliter die crucis, secunda quæ post mortem est quiescanus suaviter, dormiamus feliciter in sepulcris, expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei, qui resuscitabit corpora nostra tertia denum die, configurata corpori claritatis suæ. » Prima igitur ratio, cur nunquam omittenda est mortificatio, sit imitatio Christi, qui noluit crux deserere, nec ab illa descendere, etiamsi Judæi dicerent illi : « Christus Rex Israel, descendat nunc de cruce, ut videamus et credamus. »

Secunda ratio est, quia in mortificatione sunt arma militiae nostræ, quibus contra inimicos nostros viriliter pugnamus, eos generose vincimus, et de illis victis gloriose triumphamus. Nunquam autem Christi fidelibus arma sunt deponenda, ne victi forte inimici vires resumentes eos incautos aggrediantur, et superent. Unde S. Prosper, Libro 2 de Vita contemplativa, C. 1, sic ait : « Cæterum in hac vita, quamvis strenue dimicemus, et adjuvante Domino,

catervas hostium, quibus circumfundimur, prosternamus, tamen si ab eis nolumus vinci, nunquam pugnare desinimus; nec vincentes securos faciunt viriliter desudata jam prælia, sed magis sollicitant adversariorum rediviva certamina; ac sic, quia, secundum Scripturæ sacrae sermonem, tota humana vita tentatio est super terram, tunc est tentatio finienda, quando finitur et pugna; et tunc est finienda pugna, quando post hanc vitam succedit pugnae secura victoria. »

Tertia ratio est magis intrinseca : quia principaliter assumitur mortificatio, ut vitia extinguantur ac radicitus extirpentur, inordinati moderentur affectus, et omnia Deo displicantia resecantur : sea ad hæc continua opus est mortificatione, ut affirmat Bernardus, Serm. 58, super Cantica, dicens : « Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur extincta, et sopita de-nuo excitantur; parum est semel putasse, saepe putandum est; imo si fieri potest, semper, quia semper quod putari oporteat, si non dissimules, invenies. Quantumlibet in hoc corpore manens profec-ris, erras si vitia putas emortua, non magis suppressa; velis nolis, intra fines tuos habitat Iebusæus, subjugari potest, sed non exter-minari. » Cumque autoritatem Apostoli ad Rom. 7, attulisset, ubi conqueritur quod in ipso habitet peccatum, concludit : « Aut te ergo, si audes, præfer Apostolo, aut fatere cum illo te quoque vitiis non carere. » Inde est quod S. Ephrem, Exhortat. ad Pietatem, ait : « Bellum militum breve, sed monachi pugna, quoadusque migret ad Dominum, durat. »

Sanctus Bernardus, Serm. 7, Quadragesimæ, tres ponit gradus mortificationis. Infimus est, abstinere a carnalibus desideriis, juxta illud 1 Petri 1. « Charissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam; » nam, sicut advena et peregrinus non adhæret per affectum iis quæ peregrinando videt, quia diutius illis frui non permittitur, dum statim relinquere cogitur, sic Christi servus, qui cum Psalmista dicit, Psalmo 38 : « Quoniam advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei; » et conqueritur, Psalmo 119, dicens : « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, » quia scit ex Apostolo, quod non habemus hic civitatem permanen-tem, sed futuram inquirimus, et quod, dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, non debet in his terrenis affectum collocare,

sed per illa transiens ut peregrinus, debet ad cœlestia jugiter aspirare; et ex his solum victum ac vestitum quaerere, ut possit dicere cum Apostolo: «Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus. » Rari sunt amici mortificationis, in hoc etiam primo et infimo gradu.

Secundus gradus et superior præcedente, est se habere tanquam mortuum circa delicias et res hujus sæculi: « Mortui enim estis, ait Apostolus ad Coloss. 3, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. » Peregrinus potest advertere delicias terræ, in qua peregrinatur, imo eis frui transeundo, sed mortuus non videt, non loquitur, non sentit, non audit, non inflatur, non irascitur: sic vere mortificatus non magis ad res hujus mundi attendit, ac si esset mortuus; unde nec delicias, nec injurias, nec aliud simile curat. Rariores sunt amici mortificationis in hoc secundo gradu, qui magnus omnino est.

Tertius ac supremus gradus mortificationis est, humiliare semet ipsum ad imitationem Christi usque ad mortem, mortem autem crucis. Rarissimi sunt in hoc gradu amici mortificationis; et ad illum solummodo perveniunt, qui vitam suam vitæ et passioni Christi perfecte conformant. Hi sunt, qui cum Apostolo ad Galatas 6, dicere possunt: « Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo; » et alibi: « Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. »

Primi ergo sic mortificationi vacant, ut vix aliquid deliciarum cum timore Domini velint admittere; secundi sic mortificati sunt, ut, quasi mortui sæculo, nec ad delicias mundi attendant, et totum eorum desiderium sit inservire Deo; tertii denique sic mortificationi sunt addicti, ut, crucifixi cum Christo, dicere possint cum Apostolo, 2 Cor. 7: « Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione. »

« Pensemus ergo singuli, concludit Bernardus, in quo gradu quisque sit positus, et studeamus proficere de die in diem, quoniam de virtute in virtutem videbitur Deus Deorum in Sion. Nec in exercitio mortificationis debemus quiescere, donec ad tertium gradum ascendendo pervenerimus. » Quod si in principio difficultatem in mortificatione patimur, hoc ideo est, quia « non est secundum hominem, ait Thomas a Kempis, Libro 2, de Imitatione Christi, Cap. 12, crucem portare,

crucem amare, corpus castigare et servituti subjicere, honores fugere, contumelias libenter sustinere, seipsum despicere, et despici optare, adversa quæque cum damnis perpeti, et nihil prosperitatis in hoc mundo desiderare. Si ad te ipsum respicias, nihil hujusmodi ex te poteris; sed si in Domino confidis, dabitur tibi fortitudo de cœlo, et subjiciuntur ditioni tuæ mundus et caro; sed nec inimicum diabolum timebis, si fueris fide armatus, et Cruce Christi signatus. Pone te ergo, sicut bonus et fidelis servus Christi, ad portandum viriliter Crucem Domini tui pro te ex amore crucifixi. Prepara te ad toleranda multa adversa et varia incommoda in hac misera vita; quia sic tecum erit, ubicumque fueris; et sic revera invenies, ubicumque latueris. Quando ad hoc veneris, quod tribulatio tibi dulcis est, et sapit pro Christo, tunc bene tecum esse aestima, quia inventisti paradisum in terra. Quamdiu pati grave tibi est, et fugere quæris, tamdiu male habebis, et sequetur te ubique fuga tribulationis. Scias pro certo, quia morientem te oportet ducere vitam; et quanto quisque plus sibi moritur, tanto magis Deo vivere incipit. Nemo aptus est ad comprehendendum cœlestia, nisi se submiserit ad portandum pro Christo adversa. Nihil Deo acceptius, nihil tibi salubrius in mundo isto, quam libenter pati pro Christo, et si eligendum tibi esset, magis optare deberes pro Christo adversa pati, quam multis consolationibus recreari, quia Christo similior essemus, et omnibus sanctis magis conformior. »

## ARTICULUS V.

## DE MORTIFICATIONE EXTERIORIS HOMINIS.

Ut conceptum mortificationis desiderium ad praxim reducamus, recolendum est ex supradictis, quod mortificatio alia est exterior, alia interior: exterior occupatur in moderandis sensibus externis, et in subjugando corpore; interior autem in refrænandis affectibus internis animæ. Incipimus autem a mortificatione exterioris hominis; mortificatio namque sensuum exteriorum et corporis præcedere debet mortificationem affectuum interiorum animæ, tum quia exterior mortificatio radix est interioris, nam interior affectuum or-

dinatio sicut et inordinatio, ab externa sensuum ordinatione vel inordinatione dependet, tum quia exterior mortificatio est facilior, a facilitibus autem est incipiendum, ut sic paulatim crescente virtute, ac partim subjugatis inimicis, integrum postmodum victoriā gloriose reportemus. In præsenti igitur articulo, de mortificatione exterioris hominis disserimus; in sequenti, de mortificatione interioris hominis disseremus.

Ut autem sigillatim et ordinate procedamus, de singulorum sensuum exteriorum mortificatione breviter agemus, quæ maxime viris contemplativis est necessaria; nam, ut ait S. Gregorius, Lib. 21 Moralium, Cap. 2, « visus, auditus, gustus, odoratus, et tactus, quasi quædam viæ mentis sunt, quibus foras veniat, et ea quæ extra ejus sunt substantiam concupiscat; per hos enim corporis sensus, quasi per fenestras quasdam, exteriora quæque anima respicit, respiciens concupiscit; hinc etenim Jeremias ait: « Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras. »

Visus est primus et perfectissimus sensuum exteriorum, sed etiam periculosissimus, nisi per mortificationem custodiatur: cum enim visio fiat ex præsentia reali ipsius objecti, quam supponit, et objectum præsens plus moveat quam absens (actio namque procedit ex conjunctione objecti cum potentia, quæ major est, dum objectum est realiter præsens, quam dum est tantum intentionaliter præsens et realiter absens), sequitur quod objecta lasciva, quæ passim occurruunt, et sunt appetitiu sensitivo maxime conformia, videntem valde moveant, et ad pravas cogitationes excitent, ita quod ipsum videre sit quodammodo cogitare, juxta illud Job, Cap. 31: « Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. » Inde est, quod hic sensus non mortificatus est admodum periculosus; unde dicit Jeremias, Tren. 3: « Oculus meus deprædatus est animam meam, » quia sufficit unica visio incircumspecta ad deprædanda cuncta anime bona, sive ad perdenda cuncta merita. Propterea dicit S. Dorot., Doctr. 21, Interrog. 3: « Consuesce non circumferre oculos ad aliena et vana, hæc enim deperire faciunt labores omnes monasticos. » S. Cyprianus, libro de Spectac., referens periculum evidens, ad quod visus immortificatus adducit, sic loquitur: « Fugienda sunt ista christianis fidelibus tam vana, tam perniciosa, tam sacrilega spectacula; et oculi nostri sunt et aures custodiendæ: cito in hoc assuescimus, quod audimus,

scelere; nam cum mens hominis ad vitia ipsa ducatur, sibi quid faciet, si habuerit exempla naturæ corporis lubricæ? Quæ sponte corruet, quid faciet si fuerit impulsa? Avocandus est animus ab istis. » Posset hæc doctrina multiplici exemplo confirmari, incipiendo a prima muliere, cuius visio inconsiderata fuit origo perditionis generis humani; vidit enim quod bonum esset lignum ad vescendum, unde deliquit, et virum decepit. Vedit fortissimus Samson mulierem in finibus Philistium nomine Dalilam, adamavit ipsam, unde postea fortitudinem, libertatem, oculos et vitam perdidit. Vedit David generosissimus Bersabee se lavantem, ejusque pulchritudine vincitur, qui toties de suis triumphaverat inimicis; unde primo commisit adulterium, deinde homicidium, propter quod divino judicio tam multipliciter afflictus est. Vedit Salomon sapientissimus mulieres alienigenas, quas tam inordinate dilexit, ut se totaliter illis subjicerit, et illas sibi permiserit dominari; unde contigit quod amore illarum idolis tempa construxerit, sacrificaverit, thus adhibuerit, et dubitatur an de tali stultitia resipuerit, ac penitentiam egerit, qua misericordiam Dei ac veniam meruerit obtinere. Quis modo non pavebit? Quis mortificationem oculorum negliget? Audi Hieronymum ad Nepotianum sic loquentem: « Nec Samson fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone poteris esse sapientior; memento semper, quod paradiſi colonum de possessione sua mulier ejecit, unde ait quidam:

*Adam, Samsonem, Petrum, Davidem, Salomonem  
Decepit mulier: quis modo tutus erit?*

Unde concludendum est cum Hugone de S. Victore, in Regulam Cap. 6: « Quia per illicitum visum concupiscentia oritur, per quam integritas mentis violatur, necesse est, ut semper servus Dei visum suum reprimat, ne per concupiscentiam et per immunditiam cordis Deum offendat. » Propterea qui vere studet oculorum mortificationi, debet consilium Spiritus Sancti, Ecclesiastici 9, traditum sequi, quo dicitur: « Ne respicias mulierem multivolum (id est, ut aliqui interpretantur, ad multorum concupiscentiam evolantem), ne forte incidas in laqueos illius; virginem ne conspicias, ne forte scandalizeras in decore illius; averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam: propter speciem mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. » Debet

deinde, choreas, comedias, et alia hujusmodi lasciva devitare, ac libros impudicos, vel amorem profanum sapientes non legere. Denique, si perfecte velit oculos mortificare, debet tantum necessaria et utilia ad spiritualem profectum respicere, rejectis vanis et inanibus, ac non necessariis: avertat oculos suos, ne videant vanitatem.

Sequitur auditus, qui etiam valde periculosus est, nisi mortificatione reprimatur; quod multipliciter probari potest. Nam primo, si visus Evæ fuit initium originalis peccati, auditus Adæ fuit ejus progressus: « Quia audisti, ait ei Dominus, vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo. » De quo Petrus Chrysologus, Serm. 79, ait: « Cito cecidit, dum cito credidit, et dum facile dat aures ad mulieris auditum, se suosque pessimo addixit inimico. » Casum Salomonis, etsi inchoative ad visum mulierum alienigenarum referre debeamus, perfecte tamen et complete ad immortificatum ejus auditum, quo earum blanditias et persuasiones exceptit, refert Augustinus, Libro 14, de Civitate Dei, Cap. 11, dicens: « Nec Salomonem credibile est errore putasse idolis esse serviendum, sed blanditiis femineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum. » Debet igitur, qui suum desiderat mortificare auditum, conversationem et colloquia feminarum inutilia imprimis devitare (quod pari ratione suadetur mulieribus in ordine ad colloquia virorum); nam, ut ait Ambrosius, 1, de Officiis: « Feminarum cum clericis nullo pacto conjuncta permittitur conversatio. Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivumque genus est femina; cum proximat, stimulat, ignem accendit, flammigero igne percutit conscientiam pariter habitantis, et exurit fundamenta montium; si cum viris feminæ habitent, viscarium non deerit diaboli. » Debet deinde, ac majori diligentia, divertere auditum, si quid obscenum et impudicum, vel etiam minus honestum dicatur; sicut et a cantibus impuris aut amoris, maxime si procedant a feminis. Audiat Augustinum, de Sing. Chr., sic inculcantem: « De carbonibus scintillæ prosiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam; in risum aliquando dissolvitur, nunc blanditias exhibit, et quod est venenosius super euncta, psallere delectatur aut cantare, cuius cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. » Debet denique, ad perfectam auditus mortificationem, ut plurimum saltem, nugas, scurrilitates,

narrationes ridiculas, verba jocularia, rumores saeculares, ac similia ad profectum spiritualem inutilia fugere; semper vero murmurationes, detractiones et accusationes aliorum, ac proprias laudes devitare, ac tantum attendere ad necessaria et utilia, qualia sunt verba Dei, sive in publicis concessionibus, sive in privatis conversationibus.

Odoratus etiam potest esse periculosus, si non debite mortificeatur, quamvis multo majus in aliis sensibus periculum inveniatur, si non fuerint mortificati: unde viros apostolicos dedecet fragrantiam odorum praे se ferre, que et alias solet scandalizare, et ipsos aliquando allicere ad mores effeminatos et lascivos; debet illis sufficere bonus heroicarum virtutum odor, et sibi persuadere, juxta dictum Apostoli, 2 Cor. 2, quod « Christi bonus odor sunt Deo in omni loco. » Audiant Chrysostomum, Homilia 4 de Lazaro, dicentem: « Miles es spiritualis; talis autem miles non dormit in lecto eburneo, sed humi; non oblinitur unguentis, nam ista cura est meretriciis amoribus implicatorum, ac perditorum, scenicorum, mentisque deploratae hominum: te vero non oportet olere unguentum, sed spirare virtutem. Nihil immundius anima, quoties corpus talem habet fragrantiam, corporis enim ac vestium fragantia arguit intus latere animum graveolentem et immundum, cum enim diabolus aggressus deliciis visitaverit animam, omnique vittorum genere compleverit, tum et in corpore suæ corruptionis lectum oblinit unguentis: nec secus atque hi qui pituita nasi catarrhoque perpetuo laborant, et vestes, et manus, et faciem contaminant, eo quod subinde narium profluvium abstergunt; anima quoque istius pravi profluvii malitiam in corpus abstergit: quis enim præclarum aliquid aut bona frugis opinabitur de eo qui spirat unguenta? » Simili modo S. Ambrosius hujusmodi damnat odores in viris devotis, super 2 Cor. 2, dum ait: « Res enim, cum non videantur, per odorem tamen cognoscuntur; quod si saeculares non serios et graves, sed delicatos et dissolutos oles, quid mirum si, quamvis sub habitu virtutis lateas, saeculi amator videaris, et minus cautus judiceris? » Debet igitur qui mortificationem odoratus procurat, quorumcumque odorum fragrantiam a se, a suis vestibus, et ab omnibus aliis ad se pertinentibus, ut a cella, si fuerit religiosus, penitus excludere. Debet deinde, malos aliquando odores propter Deum sustinere, qui directe ac positive mortificant

odoratum; sic enim amplius et cum majori merito mortificatur odoratus, quam per solam odorum subtractionem. Res quidem sacras, ut Dei et sanctorum basilicas, variis suavissimorum odorum replere generibus, optimum ac Deo honorificum est, sic enim internam erga eum reverentiam testamur; quod Ecclesia, festis præsertim solemnioribus, eo fine faciendum instituit; cumque templa sic suave olentia ingredimur, puros ac sanctos odores illos percipiendo, debemus ex his perceptis mentem ad cœlestia meditanda sursum erigere, orationem nostram sicut incensum ad Deum dirigere, et ad virtutis exercitium nos excitare, ut sic bonus odor Christi simus in omni loco.

Gustus non mortificatus est maxime periculosus; nam, si peccatum primi parentis incepit dum mulier videt lignum, et profecit dum Adam auscultavit uxorem, consummatum est dum Adam de fructu comedit. Hujus sensus immortificatio, sive in cibo sive in potu, quamdam cum impuritate mentis et corporis habet affinitatem: nam Spiritus Sanctus in vino constituit luxuriam, et idolatriam populi Israël peregrinantis per desertum ad gulam reduxit, dicens quod « cœpit populus comedere ac bibere, et surrexit ludere. » Innumera in sacris Litteris ex immortificato gustu damna, tum animæ tum corporis processisse reperiuntur; nam, ut expendit quidam vir devotus, gustus pomi, Adamum prævaricatorem faciens, totum genus humanum in eo vitiavit; gustus vini, Noë generis humani instauratorem subjiciens, ejus verenda detexit; gustus Lot duarum filiarum stupratorem effecit; gustus ab Esau jus primogeniturae præripuit; gustus Israëlitas in deserto magna ex parte repentina morte sustulit; gustus filios Heli sacerdotis Ophni et Phinees gladio Philistinorum confudit; hic tandem innumeros alios animo et corpore exterminavit, nam et desiderio saporis in saturitatem, ex saturitate in obscenitates fœdissimas, et ex his in maximas calamitates dejecit, et indignationi Domini tradidit dissipandos; atque ideo ipse Dominus ait: « Saturavi eos, et moechati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur. » Propterea Hugo a S. Victore, in Regula, Cap. 5, suadet incipiendum esse in militia spirituali a mortificatione gustus, dicit enim: « Neque ad conflictum spiritualis certaminis assurgitur, si non prius intra nosmet ipsos hostis positus, gala videlicet appetitus, edomatur; quia, si non prius ea quæ nobis viciniora sunt, prosternimus, inaniter ad ea quæ longe sunt impu-

gnanda transimus. » Tria præcipue circa mortificationem gustus observanda sunt : primum est, ne delicata querantur alimenta, sed communia et aliquando insipida ; secundum, ne etiam alimenta communia usque ad satietatem sumantur ; tertium, ut non immoderato appetitu, sed debito modo cum gratiarum actione ad necessitatem, non ad delectationem accipientur. Quantum ad primum, habetur exemplum universale sanctorum, qui victu admodum ordinario, et plerique solo pane et aqua vitam sustentarunt, ut in eorum historiis probatum habetur. De sanctissima Virgine Dei Matre Maria dicit Ambrosius, « quod utebatur obvio plerumque cibo, qui mortem arceret, non delicias ministraret. » Christum in hac parte loquentem introducit Hieronymus, Libro 1, contra Jovinianum : « Ego Rex regum vitam mortalem agens, cum possem, non suavia et magis apparata sumptibus, sed vilia et communia manducavi ; hominibus in prima illa ætate ante diluvium, non nisi poma et olera, et fruges apposui. » Unde Hugo de S. Victore, Libro de Instit. Novit. Cap. 19, ait : « Observatio in eo, quid sumat, id est, ut nec nimis pretiosa et delicata expetat, nec nimis rara et insolita requirat, nec nimis lauta et accurate præparata concupiscat. » Et quamvis ad hoc suadendum plures adduci possent rationes, haec una satis evidens sufficiat, quod cibi delicatiores, appetitui plurimum arridentes, ipsum irritant ad excessum in quantitate manducandi, unde maxima tum corpori tum animæ sequuntur damna, quæ docet S. Laurentius Justinianus, de Perfectionis Gradibus, Cap. 4, dicens : « Non parum corporum et animarum adversatur saluti effrænata exquisitorum ciborum voluptas, quotidianiisque eorum usus, quem comitantur frequenter languores cebri, contemptus abstinentiae, immoderata delectatio gulæ, ventris repletio, jugis crapula, carnales motus, cogitationes impudicæ, morosæ delectationes, libidinosi consensus, pollutiones nocturnæ, colloquia inhonesta, et alia quamplurima vitia, quæ a religiosis viris ac morum gravitate decoratis, omnino debent esse aliena. » Quantum ad secundum, quod scilicet in sumendis alimentis debeat esse parcitas, docent etiam communiter sancti Patres. Hieronymus ad Virgines, Cap. 35 : « Tanta sit, inquit, in sumendo sobrietas, tanta talisque parcitas, ut venter potius conqueratur, quam gaudeat. » Augustinus, Libro 10 Confess. Cap. 31, ait : « Hoc me docuisti, Domine, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus

accedam; » quo discimus in alimentis tenendam mensuram; nam quemadmodum medicamenta non accipiuntur ad satietatem, sed ad salutem corporis, ita alimenta, non ad satietatem, sed ad ejusdem corporis sustentationem sumantur. Et tandem Bernardus, Serm. de Passione Domini, C. 42, ait: « Christianus homo comedit ut vivat, non vivit ut comedat; semper ita surgat de mensa, ut adhuc habeat appetitum plura sumendi; et eum, qui adhuc esset implenus cibariis, Domino Jesu pro grato munere conferat appetitum, qui pro salute nostra saepius esurire voluit et sitire. Frequenter solet accidere quod, sumptis cibariis, quæ secundum consuetudinem necessitati sumentis possent et deberent sufficere, quædam surgat nova delectatio, quæ facit hominem improvidum, et insidias diaboli non caventem, illi cibo cum tanto studio inhærere, tanquam nihil ante comederit, vel intra multos dies post hoc nil sit sumpturus ciborum; et quia gulæ speciem in se deprehendunt, auxiliante Deo huic facile possunt resistere, quia impetus ejus non longius durat, quam dum a mensa surgatur, et illius quod tanto studio desideratur, memoria subducatur. » Quantum ad tertium, certum est quod homo rationalis, et præsertim si sit spiritualis, non debet more brutorum alimenta sumere, et impetu naturæ ac immoderato appetitu ad illa ferri, sed debet modo rationali cum gratiarum actione accedere, solius necessitatis, non delectationis causa. Si dignitatem suam, qua secundum partem superiorem angelis est æqualis, attente consideraret, sine dubio, quoties ad manducandum cogeretur, cum sancto Job suspiraret antequam comederet, dum ad necessitates partis inferioris deprimitur, secundum quam brutis assimilatur. Circa hoc Bernardum audiamus loquentem ad Fratres de Monte Dei: « Cum manducas, inquit, nequaquam totus manduces, sed, corpore tuo suam refectionem procurante, mens suam non negligat, sed de memoria suavitatis Domini, vel Scripturarum aliquid, quod eam pascat, meditando, vel saltem memorando secum ruminet et digerat. » Audiamus et Basilium, Epist. 1, dicentem: « Inter epulandum hoc cavere convenit, ne helluantum speciem præbeamus, sed et constantiam et mansuetudinem ubique retineamus, atque in percipiendis voluptatibus æquabilem continentiam; ne tum quidem porro ita animis esse feriatis nos oportet, ut comminatione rerum divinarum vacemus; quippe qui alimentorum naturam corporisque aliti opificium, argumentum habeamus divi-

nas laudes exordiendi, utique cum in mentem nobis venit, quomodo varia cibi genera corporum qualitati accommodata, ab eo sint inventa, qui omnia moderatur et legit. » Vir ergo spiritualis, dum se refectioni corporis præparat, suam præmittat directionem, et æque se paratum ad labores ac ad refectionem Deo protestetur, accedat ad mensam sicut ad crucem, et ad crucem sicut ad mensam; gratias agat Deo, quod hujusmodi naturæ necessitati voluerit ad levamen laboris delectationem misceri; dum cibos sumit, divinam miretur providentiam, qua hæc in individuo præparavit ipsi alimenta; semperque gustus mortificationi studeat, vel autem dimittendo, vel aliquid appetitui subtrahendo, vel etiam interdum absynthium aut quid simile cibis admiscendo, quo fiant insipida et gustui ingrata.

Tactus denique sensuum omnium judicatur periculosissimus; unde Basilius, Libro de Vig. sic ait : « Tactum ut sensum omnium perniciosissimum, et suavissime blandientem, sensusque reliquos in sua ad voluptatis illecebras pellicientem, immaculatum et perturbationibus minime pervium, semper, quam maxima poterit cura, servabit : hic enim toto cum sit diffusus corpore, per omnem illius superficiem, non eam solum quæ appareat extrinsecus, verum et quæ altius recondita est, ad vitiosos contractus adversus animam sæpe dominatur : experientia siquidem teste, constat quod ad contactum alterius sexus, etiam in parte honesta, statim flamma concupiscentiæ exurgit, et sceleris ustio saltem ordinarie percipitur. » Ad mortificandum igitur sensum tactus, dupli possumus via procedere : prima est per subtractionem eorum, quæ ipsum delicate possunt fovere et blandiri, ut contrectationis non solum aliorum, sed etiam sui ipsius non necessariae, vestimentorum mollium ac subtilium, unctionum suavium, et similium ; secunda est per appositionem eorum, quæ tactum vexare et inquietare possunt; quomodo procedunt viri religiosi, qui vestibus asperioribus corpus induunt, cilicis frequentius affligunt, disciplinis atterunt, ac miris aliis modis membra corporis torquent. Possent plura circa hæc dici, sanctorum authoritate probari, rationibus confirmari, et frequentibus piorum hominum exemplis suaderi; sed in re tam manifesta nobis ubique properantibus non est immorandum.

## ARTICULUS VI.

## DE MORTIFICATIONE INTERIORIS HOMINIS.

Interior mortificatio præcipua est, ac finis exterioris, ut communiter docent tum sancti Patres tum doctores. Unde Cassianus, Collat. 3, Cap. 7, docet quod « nihil nobis proderit abrenuntiatio corporalis, et localis quodammodo transmigratio ex Ægypto, si renuntiationem cordis, quæ sublimior et utilior est, non valuerimus similiter obtinere. » Et Eusebius Emissenus, in Hom.: « Videte, inquit, vocationem vestram, charissimi; venire ad claustrum aut eremum, summae perfectionis exordium est; sed non perfecte in eremo vivere, summa damnatio est. Quid prodest, si locus claustral is et quietus corporaliter teneatur, et inquietudo in corde versetur? Quid (inquam) prodest, si in habitatione silentium sit, et in habitantibus sit vitiorum tumultus, et colluctatio passionum? Si exteriora nostra serenitas teneat, et interiora tempestas? »

Mortificatio interioris hominis latissime se diffundit, et quamplurima sub se continet; de quibus, cum superius actum sit, in præsenti silebimus. Hæc hominis interioris mortificatio comprehendit peccatorum evacuationem, vitiorum eradicationem, ac passionum moderationem, de quibus in præcedentibus discursibus fuse disservimus: unde tantum nobis superest agendum de mortificatione quorundam animæ affectuum, qui possunt alias licite haberi; sed volumus in præsenti partem affectivam non solum a malis, sed etiam a minus perfectis omnino purgare.

Incipiendo igitur a mortificatione intellectus, dicimus quod mortificari potest tum in inquisitione veritatis, tum in proprio judicio circa res agendas. Quantum ad primum, docet Apostolus ad Rom. 12, quod « non oportet plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; » et quamvis hoc principaliter de rebus fidei intelligatur, in quibus, soli divinae revelationi fidentes, debemus intellectum captivare in obsequium fidei, et non curiosius inquirere quæ supra nos sunt, ad alia tamen etiam se extendit, in quibus ad-discendis, sicut possumus per negligentiam deficere, sic etiam per curiositatem excedere; unde opus est virtute studiositatis, quæ

defectum et excessum hujusmodi moderatur. Et quidem, si ad scientias respiciamus, etsi naturales omnes et honestas addiscere sit licitum, laudabilius tamen est sacris vacare, juxta consilium Hieronymi, qui dixit : « Discamus in terris, quorum scientia nobiscum perseverat in cœlis. » Si modum addiscendi respiciamus, non debemus velle scire, ut præcise sciamus, quia damnabilis est curiositas; nec ut sciatur, quia superba est vanitas; sed debemus velle scire, tum ut ædificemur, quod est humilitas; tum ut ædificemus, quod est charitas : est enim imprudentia maxima, quando congruum modum ad ordinem, in his quæ discimus, non servamus. Quomodo autem congruum discendi ordinem servat, qui cognitionem rerum nullo modo cum virtute conferendam, adeptioni virtutum, et cultui divino, et animæ sue puritati præfert? Quantum ad secundum, nemo debet proprio sic inniti judicio circa res agendas, ut nolit aliorum stare judiciis. Dicitur, Proverbiorum 3 : « Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris providentiae tuae. » Et Basilius, Reg. brevi 123, dicit quod, « sicut in universum uti propria voluntate arbitrio, alienum est a recta ratione, ita majoris partis judicio non stare, est contumacia et pervicacia periculum incurrire. » Maxime vero cavendum est a proprio judicio circa res agendas, quando nostrum interest : tunc enim in ferendo judicio facile decipimur, tum ex propria conditione, nam « incertæ sunt providentiae nostræ, » tum ex suggestione diaboli, qui nos permittitur in errorem inducere, propter vanitatem nostram, tum et maxime ex amore proprio, qui nos in sui favorem judicare compellit; unde Bernardus ait, de Gradibus Humilitatis : « Legibus humanis statutum, et in causis tam ecclesiasticis quam sæcularibus servatum scio, speciales amicos causantium non debere admitti ad judicium, ne vel fallant, vel fallantur amore suorum. Qued si culpam amici, tuo judicio, amor illius aut minuit, aut prorsus abscondit, quanto magis amor tui tuum contra te judicium fällt? Unde vulgo dicitur, quod nemo est judex in propria causa. » Tenacitas proprii judicii in viris spiritualibus magis timenda est, ut idem asserit D. Bernardus, Serm. 3, de Resurrectione, dicens : « Lepra proprii judicii eo perniciosior est, quo magis occulta; et quo magis abundat, tanto quisque sibi sanior esse videtur. Hæc illorum est, qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, sequentes errorem suum, et obstinati in eo, ita ut nullis velint consiliis

acquiescere; hi sunt unitatis divisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, et magni in oculis suis, ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere; et quæ major superbia, quam ut unus homo toti congregationi judicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat spiritum Dei? Idololatriæ scelus est, non acquiescere, et quasi peccatum ariolandii, repugnare. Eant nunc, si se faciunt religiosiores aliis, qui non sunt sicut cæteri hominum, ecce arioli et idololatræ facti sunt, si tamen vel ei qui dixit hoc, plusquam sibi judicant esse credendum. » Neque huic dissonat Veritatis sermo, quem dixit: « Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. » Mortificanda est ergo curiositas intellectus, ac proprium judicium: illa quidem, ne doctrinis novis assentiatur in præjudicium fidei, ne majorum decreta discutiat irreverenter, ne leges stabilitas ad examen revocet; istud autem, ne in aliorum se factis intromittat, ne superiorum directio nem condemnet, et ne seipsum aliis præferat in detrimentum humilitatis, quæ se subjicit omnibus et in omnibus propter Deum.

Circa mortificationem affectus sive voluntatis, multa forent dicenda, nisi jam dicta fuissent: unde de solius amoris proprii mortificatione disserendum nobis est. Amor proprius, seu amor sui, seu amor privatus (triplici siquidem insignitur hoc nomine), est affectus animæ, quo quis vult sibi bona, et fugit adversa propter seipsum. Amor igitur proprius sumitur ordinarie in malam partem, quasi sistens in seipso; nam amor ille, quo quis se diligit propter Deum, est amor charitatis tendens in ipsum Deum. Amor proprius sic descriptus, est contrarius amoris Dei, «est initium omnis mali, et ejus finis est perditio,» sicut ait Basilius; unde, «sicut civitatem cœlestem, ut ait Augustinus, Libro 14, de Civitate Dei, Cap. 28, ædificat amor Dei usque ad contemptum sui, ita civitatem terrestrem, cui diabolus dominatur, ædificat amor sui usque ad contemptum Dei.» — «Hic amor privatus est omnium radix atque origo iniquitatum, ait Dionysius Carthusianus, Libro de Laude Vitæ Solitariae, Art. 6; sanctæ extat charitatis venenum, et minoratio istius detestandi amoris est charitatis profectus et incrementum; mera vero pravi improbique illius amoris eradicatio, est charitatis perfectio. » Semper timendus est amor proprius, quia vel perniciosus, vel saltem periculosus est. Esto non semper appetat illicita, quia tamen in seipso sistit, subiectum cui dominatur ad quæcumque

bona sibi commoda appetenda disponit. Propterea Christus Dominus, Joannis II, dicit: « Qui amat animam suam (hoc scilicet amore proprio) perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo (sancto et perfecto odio talem amorem destruente), in vitam æternam custodit eam. » Cum ita perniciosus sit amor proprius, debet omnino mortificari, et ad regulam rationis ac divini amoris reformari, præsertim ab iis quos instruimus in præsenti, ut affectum suum perfectissime purgent in ordine ad divinam unionem, ubi pax ac vera tranquillitas possidetur; impossibile namque est quod, ubi viget amor proprius, ibi pax animæ reperiatur. Audiamus Richardum a S. Victore, Tract. I, de Exterminatione Mali, Cap. 19, sic loquentem: « Unum scio, nec dubitare audeo, quia quamdiu amor ad multa spargitur, et ad ima derivatur, nunquam ad plenam pacem perducitur, nunquam ad veræ securitatis tranquillitatem serenatur. O anima infelix et misera! usquequo sollicita es, et turbaris erga plurima, porro cum unum sit necessarium? Tandem aliquando fige desiderium, delige unum. Felices illius civitatis cives, cuius participatio eorum in idipsum; congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum; noli sinere eas fluere deorsum; an nescis, quia qui dimittit aquas suas, caput est jurgiorum? Quid per ima desideria defluis? Quid tibi cum bonis perituri gaudiisque lugendis? An nescis, quia omnis aqua, quæ deorsum currit, in mare descendit? Omnia siquidem flumina intrant in mare, et omnis infima delectatio desinit in dolore. » His principaliter intelligitur amor proprius, qui, divertens a Deo summo bono, defluit deorsum prius in ipsum amantem, ac demum ad alia quæ propter seipsum amat amore concupiscentiæ, amor enim proprius origo est totius amoris creaturarum; ex hoc enim quod quis seipsum amat, sequitur quod alia sibi concupiscat, et amet amore concupiscentiæ. Difficilis sane plurimum, et ardua nimis est amoris proprii mortificatio: cum enim sit amor connaturalis, et non acquisitus, sic firmiter inhæret, ut vix eradicari possit; cum sit intimus, sic latet, ut vix aliquando appareat; cum sit universalis, pène dominatur omnibus: unde etiam in viris perfectis, ac in bonis plerisque reperitur operibus, sub prætextu tamen pietatis latens. Mortificandus tamen est, si non penitus eradicandus; alias de salute desperatum est. » Prima hominis perditio, ait Augustinus, Serm. 48, de divers. Cap. 2, fuit amor sui; si enim se non

amaret, et Deum sibi praeponeret, Deo esse semper subditus vellet; non autem converteretur ad negligendam voluntatem illius, et faciendam voluntatem suam. Præpone his voluntatem Dei, præpone melioris voluntatem, disce amare te non amando te. » Sed qua via mortificandus est amor proprius? Si frequenter nos et omnia nostra dirigamus in Deum, solus amor Dei potest amorem proprium superare, subjecere ac mortificare; si divinus amor in nobis creverit, nos suaviter Deo subordinabit; efficiet in nobis quod fieri desiderat S. Bernardus, de diligendo Deo: « Quoniam scriptura loquitur, ait, Deum omnia fecisse propter semetipsum, erit profecto ut factura sese quandoque conformet et concordet auctori; oportet proinde in eundem nos affectum quandoque transire, ut quomodo Deus omnia esse voluit propter semetipsum, sic nos quoque nec nos ipsos, nec aliquid aliud fuisse, vel esse velimus, nisi æque propter ipsum, ob solam videlicet ipsius voluntatem, non ob nostram voluptatem. Delectabit sane non tam nostra vel sopita necessitas, vel sortita felicitas, quam quod ejus in nobis et de nobis voluntas adimpta videbitur; quod et quotidie postulamus in oratione, cum dicimus: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. O amor sanctus et castus! O dulcis et suavis affectio! O pura et defœcata intentio voluntatis! Eo certe defœcator et purior, quo in ea de proprio nil jam admixtum relinquitur; eo suavior et dulcior, quo totum divinum est quod sentitur; sic affici, deificari est. » Nec mirum, quod amor Dei taliter nos afficiat ac deificet, cum sit, ut ait D. Laurentius Justinianus, Libro de Disciplina Monast. Cap. 10, « abyssus indeficiens, rîsus defluens, paradisus affluens, lumen irradians, cibus replens, satietas fovens, exultatio elevans, vinculum uniens, amor liquefaciens, gustus inebrians; » sicut ordinatur a Deo, ita cunctas ad Deum dirigit actiones, intentiones et affectiones, quæ quanto purius exercentur, tanto vehementius ipsam, de qua prodeunt, augent charitatem. Ad hanc amoris proprii mortificationem plurimum conducit, si contraria exerceamus opera iis quæ dictare solet amor proprius; si fugiamus honores, dum querendos esse inspirat; si dimittamus pecunias, dum colligendas suadet; si vitemus delicias, dum ad secundas impellit: sed præcipue cooperatur proprii corporis afflictio, in quo principaliter fôvendo talis amor versatur; unde D. Hieronymus refert, quod S. Hilarion Abbas corpori suo recalcitranti, et delicias meditanti dicebat: « Ego, aselle, faciam ut non calcitres; nec te

hordeo alam, sed paleis; fame te conficiam et siti, gravi onerabo pondere, per aestus indagabo et frigora, ut cibum potius quam lasciviam cogites. »

Simul cum amore proprio, mortificanda est propria voluntas in omnibus: « quicquid enim ex propria voluntate concupiscitur, ait S. Basilius, id alienum est a pietatis cultoribus. » Sed, quia de hac materia alibi loquimur, ibi, ad suadendum propriae voluntatis mortificationem, quamplurima quæ causat damna referemus ex sanctis Patribus; unum nunc aut alterum proponamus. Sic fuse de his loquitur Bernardus, Serm. 3, de Resurrectione: « Porro voluntas propria, quo furore Dominum majestatis impugnet, audiant et timeant servi propriae voluntatis. Primo namque seipsum subtrahit et subripit ejus dominatui, cui tanquam Auctori servire jure debuerat, dum efficitur sua; sed numquid contenta erit hac injuria? Addit adhuc, et quod in se est, omnia quoque quæ Dei sunt tollit et diripit. Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas? Nonne qui per usuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum conaretur universum lucrari, si non deesset possibilitas, si suppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter, nemini qui sit in propria voluntate posset universus mundus sufficere. Sed utinam vel rebus istis esset contenta, ne in ipsum (horribile dictu) desævisset auctorem! nunc autem et ipsum (quantum in ipsa est) Deum perimit voluntas propria: omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire; vult ergo eum non esse Deum, quæ, quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis plane et omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat. Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, et leæna sævissima; hæc est immundissima lepra animi, propter quam in Jordane mergi oporteat, et imitari eum qui non venit facere voluntatem suam, unde, et in passione: « non mea, inquit, voluntas sed tua fiat. » Hæc pessima et perniciosa sunt damna, quæ secum affert propria voluntas. Sed plura refert, si non majora, S. Laurentius Justinianus, de Disciplina Monastica, Cap. 7: « Gravissimum, inquit, a se onus rejicit, qui suam repulit voluntatem. Propria voluntas Deo semper inimicatur, dominari toto posse conatur, rationis judicium extorquet, suo faciens arbitrio militare; non majoribus acquiesci, non reveretur, non obtemperat, nulli subesse

potest; nec commoditate flectitur, nec minis humiliatur; semper procax est, effrana in locutione, incomposita in moribus, inordinata in affectionibus, ignara sui, et proximi dilectioni aliena. O malum detestabile, o antiqua nequitia, quantum prævales! quantum dominaris! Per te angelorum ruina facta est, et cœlorum agmina minorata; per te deliciarum paradisus homine orbatus est, et humanum genus innumeris cladibus sauciatum; te suadente corrut Adam, et innocentiae stola nudatus est; a te dominandi ambitio, et a Deo apostatandi sumpsere principium; tu cognatorum amorem scindis, et conjugum divortia facis; tu amicitarum jura violas, et domesticorum vota dissolvis: tu cunctum perturbas orbem, et plurimis reples flagitiis; tu bellorum discordias generas; tu pacem fugas, et odiorum venena disseminas; tu infernum ditas, et geheninalibus flammis fomentum subministras; in celo prævaluisti, et in hoc sæculo principaris. • Quis hæc audiens non horrebit, ac subesse voluntati propriae non formidabit? Debet igitur omnis, qui viam perfectionis aggreditur, propriam mortificare voluntatem, eam penitus abnegare, ac divinæ voluntatis beneplacito subordinare, ut sic prædictis eruptus damnis, ac perfecte ejusdem propriae voluntatis immunditiis purgatus, ad divinam se præparet unionem. Sic perniciosa est et periculosa voluntas propria, ut nec in ipsa mortificatione, maxime externa corporis, ejus ductum sequi oporteat, cum etiam in hoc indiscreta valeat nos poenitentia decipere; unde magistri spiritualis directionem sequi necesse est, ut fiat rationabile obsequium nostrum; ita namque deceptio subesse non poterit, cum tamen constet multos propria fuisse voluntate deceptos in exercitiis nimirum mortificationis, ac tandem periisse.

---

## TRACTATUS III.

### DE PURGATIONE PASSIVA, TAM PARTIS COGNOSCITIVÆ QUAM PARTIS AFFECTIVÆ, IN NOCTE OBSCURA ANIMÆ.

Quamvis, Dei miserantis benedictionibus adjuti, tam affectum quam cognitionem, ipsi Deo cooperantes, industria nostra purgare possimus, haec tamen purgatio superficialis admodum et satis imperfecta erit, si Deus ipse totum purgationis opus quasi proprium non assumpserit, ita ut ipse sit solus primus et proximus, universalis et particularis agens, et nos, gratia ejus roborati, divinam ipsius actionem purificativam patientes : sola quippe immediata Dei operatio, penetrabilior omni gladio ancipiti, patet pertingere usque ad divisionem spiritus et animæ, ac intimas peccatorum, vitiorum, et imperfectionum radices, parti cognoscitivæ et affectivæ firmiter inhærentes, eradicare ; ut sic purgati pravis dispositionibus, et sarcina culparum exonerati, facile et fructuose divinas impressiones suscipiamus, ac promptius et delectabilius in via perfectio- nis procedamus. Hic quidem modus procedendi est difficilis, sed brevis ; obscurus, sed securus ; non communis, sed singularis.

---

## DISCURSUS I.

### DE PURGATIONE PASSIVA PARTIS SENSITIVÆ.

Constat homo corpore et anima, parte inferiori sensitiva et superiori intellectiva, et in utraque est cognitio et affectus. Utramque Deus in electis servis suis operatione gratiae purgaturus incipit ab

imperfectiori, quæ est sensitiva, intellectuali perfectissimæ subordinata : cum enim sit author, tam naturæ quam gratiæ, convenientem et proportionatam in utroque ordine habet operationem, ita ut gratia incipiat ab imperfectioribus, sicut et natura.

## ARTICULUS I.

### DE CAUSIS PURGATIONIS PASSIVÆ IN PARTE SENSITIVA.

Quatuor hujus purgationis passivæ causas, communiter a philosophis rebus naturalibus assignatas, licet contemplari : duas intrinsecas, videlicet materialem et formalem ; et duas extrinsecas, scilicet effectivam et finalem.

Causa materialis est pars sensitiva hominis in qua talis purgatio exercetur, tam quoad affectum, quam quoad cognitionem : in ipsa quippe parte sensitiva est portio affectiva, quæ in duplice viget appetitu, concupiscibili et irascibili, et utriusque actibus seu passionibus ad bonum sensibile sibi commensuratum propendit; est etiam portio cognoscitiva, quæ in sensibus tam externis quam internis residet, quorum actibus objecta sensibilia comprehendit. In utraque haec portione partis sensitivæ, tanquam in materia seu subiecto, fit hæc purgatio sensitiva.

Causa formalis est subtractio gratiæ sensibilis, justis motivis a Deo facta : ex qua subtractione variæ et graves admodum angustiæ, desolationes, et continuæ in sensu tam affectivo quam cognoscitivo procedunt ariditates; unde pressus doloribus et miseris quasi in obscura nocte horroribus tabescit, in quibus purgatio passiva partis sensitivæ consistit. Cum enim prius continuis gratiæ sensibilis favoribus et auxiliis, vento ut ita dicam prospero, in mediis vitæ spiritualis difficultatibus et laboribus procederet, vel potius fauste et suaviter a Deo veheretur, nunc sibi quodammodo relictus, quamvis majoribus internæ gratiæ ad patientiam fulciatur auxiliis, amaritudinem experitur ubi fruebatur ante dulcedine, spinas reperit ubi colligebat rosas, dolores patitur ubi delicias percipiebat; unde nec cœlestibus nec terrenis potitur solatiis, sed sedere sibi videtur in tenebris et umbra mortis : cor enim suum vir devotus ad devotionem aspirans mundanis occlusit gaudiis, quæ sine culpa vix

possunt percipi, et spiritualibus, malo ut credit suo, se penitus privatum et exclusum intuetur, imo et multis temptationibus unde quaque vexatum : unde se pauperem et miserum ex divite et locuplete factum arbitratur, quia priorem gratiae sensibilis affluentiam se percipit amisisse, maxime, cum nullum in exercitio virtutum saporem recipiat, sed se tepidum et quasi a Deo derelictum intueatur.

Causa efficiens seu effectiva est Deus ipse bonus et misericors, quamvis tunc incipienti austerus et plurimum iratus appareat. Cum enim in suo electo cœptum perfectionis opus consummare velit, ipsumque ad intimam sui unionem disponere, et ad singularem amicitiam parare breviter intendat ; et aliunde gratiae sensibilis affluentiam prius necessariam, sed jam inutilem, ac potius ob imperfectionem abutentis noxiam advertat, illam misericorditer subtrahit, ut incipientem ab apparentia devotionis ad substantiam ipsius, et a cortice perfectionis ad medullam ipsius feliciter perducat. Pro cuius evidenter, sciendum est quod Deus optimus maximus se nutrici conformans, incipientem adhuc tenellum suavi lacte devotionis, sive sensibilis gratiae pascit affluentia, ut suo tempore solidiori et magis substantiali cibo ad vitae spiritualis augmentum perducat, quomodo se gessisse docet Apostolus, 1 Cor. 2, dicens : « Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam ; nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis ; » et quasi alludit ad Christum, dum discipulos adhuc tenellos, ac nondum Sancti Spiritus adventu confirmatos alloquens dicit : « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo ; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. » Hunc agendi modum, quem Deus in manu-ductione tyronum in vita spirituali seu incipientium observat, mire describit sanctus Bonaventura dicens : « Benignus Deus, cuius deliciae sunt esse cum filiis hominum, libenter impartitur has delicias suas servis suis fidelibus ab adolescentia sua, id est in novitate conversionis ; sed heu, postea quosdam eorum sentit contumaces, quando ex consolatione spirituali elati cæteros despiciunt, et in torporem versi, dum famam laudis desiderant, jactantiae vitio depravantur, et hypocritæ fiunt ; et dum meliores videri laborant quam sunt, Deo se opponunt, gloriam Dei sibi temere usurpantes. Bonus autem Deus, sciens quantum utilis est homini tentatio et tribulatio, prius ei ostendit consolations dulcedinis, quibus post-

modum in temptatione confortetur ne deficiat, et alliciatur, ut semper ad res redire desideret, nec desistat eas requirere, donec denuo recuperet quod amisit : sic laboranti in via prius copiosa paratur refectio, ne illius labore deficiat ; sic columbae longius emittendae prius nutriuntur tritico cum melle, ut quæ longe emissæ fuerint, semper illuc redire contendant, ubi delicate se esse pastas reminiscentur ; sic prius Petrus in montem excelsum seorsum ducitur, ubi gloriam transfigurationis Christi videat, ut postea a satana expetitus ut cribraret eum, in temptatione recoleret memoriam prioris dulcedinis quam expertus erat, et rediret ad Dominum quem tam amabilem senserat, ne diffidens et deficiens desperaret ; sic filii Israël prius manna datur in deserto, ne postea longo itinere et certamine fatigentur. » Hæc sanctus Bonaventura.

Causa finalis purgationis passivæ in parte sensitiva est, ut hæc pars inferior apte purificata conformetur parti superiori, cui subordinatur, etiam a pravis dispositionibus suis purificandæ, ut sic ultraque bene disposita simulque consentiens facile ad intimam Dei concurrat unionem : quamvis enim præcipue in parte superiori, videlicet intellectiva, hæc unio divina perficiatur, propter quod ejus purgatio dispositiva major et efficacior esse debet, pars tamen inferior, nisi proportionata etiam purgatione disponatur, qua parti superiori subjecta perfectius obediatur, inordinatis suis motibus et variis tumultibus eam a secretiori divinorum participatione ac Dei communicatione facile posset avertere, et in multis perturbare. Hic est finis a Deo intentus, cui plurima deserviunt motiva inferius exprimenda.

## ARTICULUS II.

### IN QUO FORMALITER CONSISTAT PURGATIO PASSIVA PARTIS SENSITIVÆ.

Quamvis, ex dictis articulo præcedenti, facile possit colligi in quo formaliter consistat purgatio passiva partis sensitivæ, ad maiorem tamen evidenter iam hujus doctrinæ tam necessariæ, operæ pretium est primam ejus originem et radicem investigare, ut cognita ejus convenientia, solamen aliquod percipient incipientes, dum se variis ejus angustiis premi consipient.

Ex his quos Deus ad perfectam sui unionem adducendos elegit, plures sunt qui per labores ad gratiam pervenient, pauci vero qui præcise ad labores, ipsius gratiæ dignatione, addicuntur. Ambo purgationis passivæ difficultatibus et angustiis intentæ unioni divinæ disponuntur : priores quidem per omnimodam imperfectiōnum exclusionem, posteriores vero per debitam Christo conformitatem ; Deus enim vult omnes electos conformes fieri imaginis Filii sui. De istis sub persona sancti Joannis-Baptistæ dicit Chrysologus : « Beatus, qui non ad gratiam per labores, sed ad labores, gratiæ ipsius dignatione, pervenit. »

Quando igitur Deus electos suos penitus innocentes, qui gratiam baptismalem illibatam conservarunt, ad perfectionis statum adducit, mira varietate favorum spiritualium et laborum vitam eorum contextit : favorum quidem, ut sensibili gratiae suavitate voluntatem ipsorum ab affectu terrenorum avulsam, ad spiritualium bonorum desiderium et possessionem alliciat, que prægustata facile demonstrant insipida penitus esse hæc inferiora ; laborum autem, ut si quas terrene labis fœces contraxerint, constanti eorum tolerantia purgati divinæ communicationi disponantur ; vel si ab omni labe quantumvis minima reperiantur immunes (quod soli Beatissimæ Virgini Mariæ, utpote Dei Genitrici, singulari privilegio concessum creditur), perfecta Christi similitudine, et in tolerandis laboribus, seclusa omni culpa, plurimum ei conformes, prædictæ communicatiō magis idonei reperiantur. Ad hujusmodi quippe maxima dona et magna præmia perveniri non potest nisi per magnos labores ; certum enim est quod non coronabitur, nisi qui legitime certaverit ; unde regiam crucis viam laboribus et angustiis plenam, velut absolute necessariam ad perfectionem et gloriam promerendam, et ad intimam Dei unionem, suis discipulis proponit Christus Dominus, dicens in Evangelio : « Qui non bajulat crucem suam, et sequitur me non est me dignus ; » et dilectis Apostolis Jacobo et Joanni gloriam et honorem poscentibus ait : « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum ? » Et merito hæc unica crucis via ad excelsum perfectionis montem concendendum singulis electis sterni debuit, cum maximum esset inconveniens, et quasi Christo injuriosum, si Deus proprio Filio suo naturali non parceret, qui malum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, quia pro alienis spopondit peccatis, et tamen filiis adoptivis peccatoribus omnino gratis ignosceret, et ad

gloriam solis perduceret favoribus, cum de seipso discipulis errantibus dicat Christus : « O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt Prophetæ : nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ? » Passus est a die nativitatis usque ad ultimum vitæ momentum; et talia passus est, tum in corpore, tum in sacratissima sua anima, quod omnium aliorum labores et angustiae sint tantum diminutæ quedam particulæ perennis quam pertulit passionis.

Quando autem Deus insignes aliquos peccatores a profundo malorum ad perfectionis culmen educit, quamvis aliquando purgativa eorum via desolationibus et afflictionibus inchoetur, ordinarie tamen a gratia sensibili, quæ mirabilem ac mixtam doloris et suavitatis animæ compunctionem causat, initium sumit; et frequenter in ipso etiam corpore effectus lætitiae participatae fruitionis solet efficere; imo et aliquando raptus, visiones et revelationes dignatur incipientibus communicare. Primum declarat ipse Dominus Osee 2, his verbis : « Sepiam vias tuas spinis, etc., » quod exponens Divus Gregorius, L. 34 Moralium, C. 1, sic ait : « Spinis electorum viæ sepiuntur, dum dolorem punctionis inveniunt in hoc quod temporali concupiscunt : quasi interposita maceria vis eorum obviat, quorum nimirum desideria perfectionis difficultas impugnat, etc. » Taulerus, in Festo Martyrum, sic ait : « Altera via resignationis et crucis, seu afflictionis est : hic, ut prefati sumus, omni homo spirituali solatio privatur (loquitur de modo quo Deus incipientes afflictionibus et terroribus ad se trahit), sed tunc necesse est quod Deus, etsi gratia sensibili desit, majoribus tamen spiritualis gratiæ succurrat auxiliis; impossibile quippe est quod incipientes, peccatis obruti, vitiis implicati, et rebus mundanis impediti, per viam crucis incederent, nisi speciali gratia in bono virtutis firmarentur, et contra insurgentes hinc inde difficultates fulcirentur. »

Quod autem ordinarie incipientium via a gratia sensibili sumat initium, docet idem Taulerus loco citato, ejusque rationem assignans ait : « Ad hunc vero Dei amorem duplice via pervenitur : prior est delectatio affluentis gratiæ Dei; hic jucundum est homini in bonis desudare exercitiis. Facit autem hoc ideo Deus, ut voluptates carnis in eo tanto citius restringantur : itaque vendit hic seipsum homo ex amore, dum strenuo ac virili animo cuncta temporalia oblectamenta fastidit, adeo ea præ amoris magnitudine parviper-

dens despiciensque, ut in sui admirationem rapiat omnes quos ipse videre contingit; quomodo et de sanctis quibusdam legitur, quod tam celeriter ab omnibus hujus mundi gaudiis, solatiis, delectationibus se abstraxerint, tantaque cum strenuitate averterint, ut videre mirum fuerit. Facit hoc nimirum Spiritus Sanctus potentissimo amore suo, qui instar mortis fortis est. » Et Richardus de sancto Victore, de Gradibus violent. Charit., sic ait: « In primo itaque gradu, spiritus ille super mel dulcis intrat ad animam, et dulcedine sua inebriat eam, in tantum ut habeat mel et lac sub lingua sua, et fiant favus distillans labia sua: memoriam abundantiae suavitatis eructabunt qui ejusmodi sunt, eo quod ex abundantia cordis os loquatur. Hæc est prima consolatio, quæ abrenuntiantes sæculo primo excipit, et in bono proposito consolidare consuevit. Hic est ille dulcor spiritualis et interna suavitas, quæ quasi modo genitos infantes semper solet lactare et alere, et ad maturitatis robur paulatim perducere. In hoc itaque statu anima a Domino in solitudinem ducitur, ibique lactatur, ut interna dulcedine inebrietur. Audi quid de hoc dicitur, ubi Dominus per Prophetam loquitur, Osee 2: « Propter hoc, inquit, ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus »: sed prius oportet Aegyptum deserere, prius oportet mare rubrum transire, prius necesse est Aegyptios in aquis perire, prius necesse est Aegypti cibos deficere, quam possimus hoc spirituale alimentum cibumque cœlestem percipere. Aegyptum non solum corpore, sed et corde deserat, mundique amorem penitus deponat, qui cœlestes illos solitudinis cibos desiderat. Transeat rubrum mare, omnem mœorem et amaritudinem studeat de corde expellere, qui satiari desiderat interna dulcedine. Prius subjungentur Aegyptii, pereantque mores perversi, ne degenerem convivam dedignantur cives Angelici. Prius necesse est ægyptiacos cibos deficere, et carnales voluptates in abominationem vertere, quam experiri liceat, quæ sint illæ internæ et æternæ deliciae. » Et infra subjungit: « Absque dubio amor Dei quanto plenius omnem alium affectum vincit, tanto saepius, tanto uberius animum interna jucunditate reficit. Sub hoc itaque statu mens sugit mel de petra, oleumque de saxo durissimo; sub hoc statu stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lac et mel; sub hoc statu animam esurientem et sitientem saepè Dominus visitat, saepè interna suavitatem satiat, spiritus sui dulcedine ine-

briat. Sæpe sub hoc statu Dominus descendit de cœlis, sæpe visitat sedentem in tenebris et umbra mortis, sæpe gloria Domini implet tabernaculum fœderis. Sic tamen præsentiam suam exhibet, ut faciem suam minime ostendat; dulcorem suam infundit, sed decorum suum non ostendit; infundit suavitatem, sed non ostendit claritatem. Suavitas itaque ejus sentitur, sed species non cernitur: adhuc nubes et caligo in circuitu ejus; adhuc thronus ejus in columna nubis; et lene quidem et blandum admodum quod sentitur, sed nubilum omnino quod cernitur. Nondum namque appetet in lumine, et quamvis appareat in igne, magis tamen in igne accendente quam illuminante: accedit namque affectum, sed nondum illuminat intellectum; desiderium inflammat, sed intellectum non illuminat. In hoc itaque statu, anima dilectum suum sentire potest, sed, sicut dictum est, videre non potest; et si videt, videt quasi in nocte, videt velut sub nube, videt denique per speculum et in anigmate, nondum autem facie ad faciem: unde et dicit, Psalmo 118: « Illumina faciem tuam super servum tuum. » Hoc igitur ex isto primo dilectionis gradu agitur, ut dum mens sæpe visitatur, sæpe reficitur, sæpe inebriatur, quandoque ad majora audenda provocatur. » Hæc Richardus.

Sic suaviter aliquamdiu procedunt incipientes in via Domini, ut verum sit Psalmistæ dictum: « Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. » Sed, cum Dominus jam in bono virtutis et in amore perfectionis firmatos aspicit, sensibilem subtrahit gratiam, concessis ablactans deliciis; tum, ut solidiori cibo pascendo ad perfectum adducat, et de statu spiritualis infantiae, cui sensibiles deliciæ quasi lac congruebant, vitalissimo laborum et tentationum pane ad robur adolescentiae et virilis ætatis perducat; tum, ut anteactæ conversationis terrenæ fœces emendet, contracta vitia et malos habitus eradicet, ac peccata et imperfectiones evacuet; tum ad majoris incrementum meriti, ex tolerantia laborum acquisiti; tum maxime ad vitanda superbiæ pericula, quæ in tam prospero successu gratiarum spiritualium possent exoriri, facile enim crederent se perfectos, cum inter incipientes vix numerari debeant. Hæc pericula sanctus Bernardus Fratribus de Monte Dei manifestat, dicens: « In quo, proh dolor! plurimi falluntur; quia cum pascuntur pane filiorum, jam se esse filios arbitrantur; et deficientes, unde proficere debeant, ex visitante gratia evanescunt a

conscientia sua, arbitrantes se aliquid esse, cum nihil sint; et de bonis Dei non emendantur, sed indurantur, et fiunt de quibus Psalmista dicit Psalm. 80 : Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in saecula : et cibavit illos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos. Pascuntur enim a Patre Deo aliquando de pretiosiore gratiae substantia servi, ut affectent esse filii : ipsi vero gratia Dei abutentes efficiuntur inimici ; ut enim abutantur etiam Scripturis sanctis in peccatis, vel in concupiscentiis suis, redeuntes ad eas per orationes, dicunt sibi illud uxoris Manue : Si Dominus voluisset nos occidere, non suscepisset sacrificium de manibus nostris. »

Dum igitur incipientes sic suaviter pascuntur gratiae deliciis, et hauriunt ad libitum aquas de fontibus Salvatoris, ex improviso gratia sensibili privantur; lacrymae devotionis, quibus ante abundantius irrigabantur, arescant; nullum in spiritualibus exercitiis pietatis sensum percipiunt, nihil in oratione mentali proficiunt; gratiae fontes exsiccati videntur, coolum appetet æneum, undique tentationes occurront, sensus omnes perturbantur, affectus sensibilis languescit, ubique labores et horrores. Dum se inexperti tyrones tam improvisa status mutatione, a summa felicitate, ut credunt, ad summam miseriam devenisse conspiciunt, miris torquentur modis, conscientiam diligentius examinant, ut tam subitæ paupertatis ac spiritualis inopie causam inveniant; credunt hæc ex commissa de novo gravi culpa provenire; cumque in oratione et aliis spiritualibus operibus se videant penitus insipidos et distractos, instar pueri recenter ablactati, lactis dulcedine sive gratiæ sensibilis suavitate privati, et crassiori cibo degustando aptum non habentes mentis palatum, intimis affliguntur et gemunt praecordiis, et anxio cordis affectu deperditas querunt mentis delicias, et sponsam imitati circumveunt civitatem querentes ubique quem diligit eorum anima. Et in his formaliter consistit purgatio passiva partis sensitivæ.

Hoc exemplo sponsæ sponsum de nocte querentis declarat Richardus anxiū animæ incipientis, Deum in hac obscura nocte semper inquirentis et ardenter desiderantis, affectum. Ait enim : « In lectulo, id est in quiete mentis querendus est Deus ; et per noctem, id est per adversa tentationum et laborum, et in pugna virtutum et vitiorum laborare : siquidem animam oportet in multis adversis

multisque obstaculis retardari, et gravi collectatione fatigari, antequam mores perfecte corrigat, et cordis munditiam obtineat et Deum videre mereatur. Unde merito per noctem Deum quærere dicitur, per adversa videlicet et labores; et non in lecto, sed in lectulo, quia quies a talibus habita exigua est et angusta, impugnantibus nimis animam vitiis, et pristina consuetudine, et præteriorum peccatorum memoria et delectatione, ob quam causam dicit etiam suum lectulum, et non nostrum; quia non communem hunc habere potest cum sponso, nec perfecte illo frui in tam exigua quiete, quia in pace factus est locus ejus, et non in vitiorum pugna et perturbatione. Hoc modo ab incipientibus et nondum perfectis quæritur Deus in lectulo per noctem. » Hæc Richardus.

### ARTICULUS III.

#### EX MULTIPLICI CAPITE NECESSARIA EST PURGATIO PASSIVA PARTIS SENSITIVÆ.

Plurima concurrunt motiva, quæ necessariam esse purgationem passivam partis sensitivæ suadent. Primum enim et præcipuum, quod tanquam causa finalis superiorius assignatum est, motivum esse debet, quia pars sensitiva inferior subordinari debet parti intellectuali suæ superiori, eique in spiritualibus exercitiis cooperari, et ad intimam ejus unionem cum Deo concurrere, quæ non nisi in concordia partis utriusque, et in profunda cordis pace ac quiete celebrari potest, cum Deus ipse sit rex pacificus, et in pace sit locus ejus: constat autem quod pars inferior, sensibilibus objectis intensius occupata, et velut absorpta, potius rebellis parti superiori quam fidelis efficitur, potius spiritualibus ejus exercitiis obstat quam cooperetur; et cum creatis exterius nimium occupetur, potius divinam unionem interius celebrandam impedit, quam ad illam concurrat. Unde conveniens est, imo quodammodo necessarium, quod Deus incipientes purgatione partis sensitivæ purifecet, gratiam sensibilem devotionis, visionum, revelationum, aliarumque divinarum impressionum subtrahendo, quando jam ex communicatione talis gratiæ in studio virtutum firmatos, et a terrenis ab-

stractos deliciis intuetur, ita ut nullum remaneat periculum, quod respiciant retrorsum et ad sæculi voluptates revertantur, quas gustata spiritualium deliciarum suavitate despixerunt ac deseruerunt. Unde, licet se spiritualibus deliciis privatos sentiant, non amplius ad despectas ac desertas sæculi voluptates aspirant, sed ad reparandam spiritualium deliciarum jacturam toto corde et totis viribus anhelant : « tanta quippe spiritualium deliciarum vis est, ut ait quidam Doctor mysticus, quod earum suavitate gustata, repente cor et omnes sensitivæ potentiae tanto torrente internæ voluptatis potantur, ut se spiritus amans aestimet divini amoris amplexibus penitus involutum : quæ deliciæ cunctis mundi voluptatibus sunt majores, etiam si omnes una capere posset creatura. In quarum deliciarum infusione Deus per dona sua cordi sic affecto pariter illabitur, tantæ suavitatis saporem et jucunditatis consolationem secum ferens, ut cor ipsum voluptate dulcissima faciat intrinsecus exundare ; cordis etiam tam ingens causat profluum, quod se homo præ ubertate lætitiae nequeat continere : nec mirum, cum ebrietatem parturiat spiritualem. »

Secundum motivum est, quia angelus satanae, se transformans in angelum lucis, in communicationibus gratiae sensibilis potest, Deo permittente, immisceri, et incautos vel elatos incipientes in errorem, imo et in ruinam adducere, ut sanctorum Patrum doctrina, sacrae Scripturae multiplici testimonio, et etiam frequenti experientia comprobatur. Unde S. Laurentius Justinianus, Libro de Disciplina Monastica, Cap. 8, sic ait : « Sed antequam sapientia imbuatur anima, priusquam Dei Verbo amoris vinculo confœderetur, saepè labitur, errorem pro veritate suscipiens ; plerumque tamen, permittente Sponso, ut sibi ardentius dilectam copulet, aut ad altiora provehat, aut prudentiorem efficiat, satanas in lucis angelum transformatur, atque illo tanquam sancto contubernio admiscetur : quem cum anima, adhuc cœlestium ignara visitationum, erroris admiserit spiritum, et veluti domino se illi substraverit, sine mora secedit Sponsus, et illico succedunt tenebræ, ac quædam opaca mentis hebetudo ; continuo obdurescit animus, et propria confusione contunditur, atque ex his quæ patitur, perspicue intelligit spiritum quem suscepit inimicum. »

Tertium motivum est, quia incipientibus penitus incertum est, an hujusmodi communicationes sensibles a naturali dispositione,

diabolo cooperante, procedant, ut docet Richardus, Sermone 33 in Cantica, dicens : « O quam frequenter imperfecti et ignari gratiae moventur carnali gaudio, vel naturali alacritate, et moveri se putant spirituali consolatione! Quam saepe ab inimico, vel a proprio corde aliquid sentit homo, et a Spiritu Sancto hoc esse credit! Et quid mirum, si in devotione se misceat inimicus, et falsa loquatur, qui in ipsis etiam prophetis loquebatur, qui etiam a suo spiritu aliquando dixerunt quod a Spiritu Sancto se dicere crediderunt? Non ergo debet homo sequi sui cordis cogitationem vel experimentum, cum in hujusmodi quosdam prophetas neverit interdum fuisse. » Nec solum haec pericula caveri oportet in statu peccati, sed etiam in ipsa gratia prudenter quid gerendum fuerit est attendendum. « Cum sapientia bibe vinum, » ait Salomon, vino gratiam significans ; et item legitur quod « Spiritus Sanctus aufert se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu. » Et sanctus Bonaventura, Process. 7 Religionis, C. 18, idem confirmat, dicens : « Non videtur autem praetermittendum quod quidam, decepti a seductoriis spiritibus vel propriis falsis opinionibus, putant sibi apparere in visione vel ipsum Christum, vel ejus gloriosam Genitricem, et non solum amplexibus, et osculis, sed etiam aliis indecentioribus gestibus et actibus ab eis demulceri, ut, sicut spiritus ipsorum interius ab ipsis consolatur spiritualiter, ita et caro exterius sibi congruo oblectamento sensus sensibiliter demulceatur, et carnaliter consoletur ; quod non solum esse falsum et seductorium, sed etiam blasphemia gravis esse comprobatur. Spiritus Sancti visitatio, sicut contra omnia vitia reprimenda et detestanda infunditur, ita et singulariter contra carnales illecebras opponitur : et ubi Spiritus mundities suo jubare resplenderit, continuo omnes pravae voluntatis motus evanescere et velut tenebras subveniente lumine disparere necesse est. »

Quartum motivum est, quod, etsi concedatur hujusmodi communicationes gratiae sensibilis esse veras et a Deo procedere, non a daemone aut a propria imaginatione, non ita tamen aestimandae sunt, cum impiis aliquando et imperfectis communes sint; unde potius optandum, quod ab his sensus a Domino purificetur, ut animus ad divinas communicationes solis justis et perfectis proprias valeat pervenire. Audiamus Richardum in Psalmum 80, sic dicentem. « Impii, quibus erit in futuro va, hic quandoque etiam intimis

donis reficiuntur. Inimici Domini, ait, mentiti sunt ei, et cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos: inimici ergo dicuntur, et tamen non tam ex frumento, quam ex adipe frumenti saturantur, etiam mystica et interna participantes. » Quod amplius confirmat, in Cantica Cap. 6, et adducens autoritatem Evangelii, ait: « Non omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; non omnis qui iterum atque iterum dicit, Domine, dulciter scilicet affectuose intrabit, sed qui voluntatem Patris fecerit, qui mandata custodierit. »

Quintum motivum est, quia, licet admittatur prædictas communications a solo Deo, et solis amicis concedi, sunt tamen imperfectæ et incipientibus propriæ; unde conveniens est, quod animus eis purgetur, ut ad majores et perfectiores communications gratiæ aspiret. Hoc docet Taulerus, Cap. 18 Instit., dicens: « Effectus vero sive opus amoris quandoque magnum aliquid esse videtur, ut est jubilatio, devotio, et alia hujusmodi; sed haec non semper potiora melioraque sunt, cum et sine vera possint charitate subsistere, et natura sæpe hujusmodi saporem ac dulcedinem ministrare soleat, vel etiam Deo permittente malignus spiritus ea in homine excitare queat, ut aliquo ille in pretio ab aliis habeatur. Nec ille sanctior dicendus est, qui hoc amplius abundat; unde solerter est discutendum, utrum a Deo, et cur a Deo præstetur. Sæpe namque hujusmodi Deus pro sua pietate largiri solet, ut hominem ad altiora provocet, et in vita contineat integritatem; dum vero is, cui haec conferre solebat, in vera dilectione proficit, hanc ei dulcedinis instillationem paulatim subtrahit. Porro, etiamsi quis in hac consolatione Deo fidem servet, adhuc tamen vigilanter satis inspiciendum est, utrum ex vera dilectione procedat; et licet hoc esse constiterit, at nec sic quidem optimum. » Hoc luculentius explicat et probat Richardus, in Cantica Cap. 6, ubi sic ait: « Affectuosa dilectio interdum plus afficit minus diligentem et minus perfectum: non enim tantum diligit quisque quantum hanc sensit, et quantum in illo statu sibi diligere videatur; sed quantum in virtutibus et charitate fundatus fuit, et in servandis mandatis fidelis habetur. Dulcis in Deum affectus quodammodo carnalis est et humanitatis interdum potius quam gratiæ, cordis quam spiritus, sensualitatis quam rationis: ita ut magis accedat aliquando ad minus bonum, et minus ad majus, et ad aliud quod sapit magis, quam quod expedit. Hoc affectu erra-

bant discipuli et carnaliter Deum diligebant, cuius præsentia carere nolebant: unde etiam non diligere arguebantur, qui quod delectaret magis, quam quod expediret, amplectebantur. Sic affectuose interdum carnalis aliquis et imperfectus ad Deum afficitur, non quod valde diligit, sed quia dulcedinem gratiæ degustat, quæ quantum durat, tantum juvat: quamdiu durat dulcedo, durat et dilectio; sed non agnosceret in bonis amicus, in die namque ista Dominus quidem misericordiam suam mandat, sed in nocte tentationum et laborum in præceptis declarat quantum quisque diligit. Visitatione gratiæ consolatur Deus pusillanimitatem nostram, juvat infirmitatem, excitat voluntatem. Et quid mirum, si infirmus ungatur gratia, cum etiam malus Domino, cum beneficerit ei, confiteatur? Itaque contingit ut pusillanimis et dilectione avidus, dilectione hac magis moveatur, et in quo sensualitas et carnalis appetitus potius quam ratio dominatur. Interdum hanc magis sentit levis corde et inops gratiæ: facilius enim movetur, qui leviior fuerit; expers consolationis delectabilius oblatam recipit. Hujus ergo dulcis affectus causa est interdum non gratiæ copia, sed mentis inopia; exigua enim lœtificant pauperem. » Hæc Richardus.

Sextum motivum est, quia tales sensitivæ communicationes, etsi verae et a Deo procedentes, ac proinde quantum in ipsis est ad virtutem inducentes, ex imperfectione tamen recipientium et suggestione dæmonum præbent occasionem superbiæ, ut Richardus loco citato statim subjungit: « Fit etiam aliquoties affectus iste dulcis a malo spiritu, ut, dum ei minus creditur, eique dum valde delectat inhæretur, ad debilitatem cordis homo perducatur; item ut per illius occupationem ab utiliore opere revocetur; et item ut ejus abundantia fretus aliquis se perfectum credat, et ad perfectum minus exerceatur. Per se quoque interdum aliquis gratia abutitur, in vacuum hanc recipiendo, vel utilius aliquod opus omittendo, sive finem sui profectus in hac constituendo. Sicut enim spiritus prophetarum prophetis subjectus esse memoratur, ita gratia homini subjicitur, ut vel bene vel male illa utatur. Per hanc ergo offendit, qui usum ejus nescit; sicut etiam virtus in vitium vertitur, si nimie vel extratempus exerceatur. » Hæc doctrina posset multorum exemplis authenticis et communiter notis comprobari, qui his sensibilibus hujusmodi gratis abutentes, malo suo in superbiam elati, in æternæ perditionis ruinam præcipites ruerunt: secreto quippe Dei permittente

judicio, sed semper justo, diabolus hominibus invidens, ubi ad suas suggestiones ex tali superbia videt dispositos, se transformans in angelum lucis ad deceptionem elatorum et incautorum, qui pleni sunt vanitate et vacui charitate, divinas communicationes imitatur, eorumque sensibus phantasticum lumen infundit; et quia hujusmodi incipientes elati ad tales novitates et revelationes ardenter anhelant, in praedicto lumine per imagines phantasticas percipiunt. Et ut prosequitur quidam Doctor mysticus, « diabolus quedam immittit cogitatui, quasi divina fuerit inspiratio, quæ quidem aliquando vera sunt, saepius autem falsa. Et haec nimis avide ab inexpertis acceptantur, et tanquam divina stolidè venerantur, ac in talibus intimo cordis gaudio delectantur. Quo fit quod ab inani gloria paullatim depasti, virulento pabulo divini amoris affectum inficiunt. Advertens ergo satanas superbum et misellum fatuum vanis delecati visionibus, vires multiplicat, visiones ingeminat, ut infelicem illudat, donec tandem immissionibus frivolis ingesta veraciter asserere, et pertinaciter defendere non formidet, simul cum operum suorum fructibus in barathrum serpentinæ seductionis et maledictionis ruiturus in æternum. »

Septimum motivum est, quia ad hujusmodi communicationes sensitivas, ex defectu purgationis sensitivæ partis, multæ sequuntur impuritates, ob rationem superiorius adductam; et periculum est, ne incipientes, nondum in virtute firmati, consensum eis præbeant, et carne consumment quod spiritu inceperunt. Ita docet S. Bonaventura, Process. 7, Cap. 18, dicens: « De his vero, qui cum aliquando dulcedinem spiritualem sentiunt, continuo etiam carnalis delectationis pruritu fœdantur, nescio quid judicem, nisi quod potius eligo illis carere floribus, quos de lutis sordibus legere deberem: et sicut illos damnare non audeo, qui inviti quandoque in hujusmodi spiritualibus affectionibus carnalis fluxus liquore maculantur, ita etiam excusare nescio, qui tali fluxu ex consensu condelectantur, qualiscumque eorum intentio videatur. » Hoc amplius declarat Richardus, in Cantica, C. 37, his verbis: « Horum dulcis affectus sive gaudium non est perfectum vel purum, quia de minus mundato corde procedit: cooperatur enim in eis, vel naturalis levitas, vel prosperitas aliqua, vel tentatio peccati occulta. Tales per dulcem affectum interdum ad gaudium assuetum carnalitatis devolvuntur: ignis enim carnalis concupiscentiæ per tentationem adhuc vehemens est in eis,

unde hilaritate accepta quasi adhibitis lignis facile accenditur. Horum affectus cum in Deum dirigitur, contingit interdum ut ex occasione locorum flatus levior factus in carnalem mutetur, ut, cum spiritu cœperint, carne consummetur: unde aliqui, in tali statu, carnis motum vel etiam majorem fragilitatem patiuntur. Istis dulcis affectus vertitur in peccatum: unde, cum carnis motum sentiunt, statim se retrahere ab hac dulcedine, et ad aliquod bonum convertere deberent. Talibus magis expedient amara quam dulcia, dura quam mollia: amaritudo scilicet et dolor pœnitentiae, et labor pugnæ contra oblectamenta carnis vel propriæ voluntatis; noxia enim delectatio suo contrario melius curatur; et suavia, sicut sensualitatem delectant, ita et vires ejus faciunt. Per dura itaque et labores falsa delectatio extinguitur, et requies mentis acquiritur, ut juxta fluenta hæc sedeatur, et superna aliquatenus contemplentur. Hæc ille.

Octavum motivum est, quia plerumque communicationes sensitivæ nimium gustatæ plurimum nocent sanitati, et cor debilitant, viresque penitus exhauiunt: unde incipientes sic debilitati redundunt inepiti spiritualibus exercitiis, et a studio devotionis propriis infirmitatibus pressi coguntur recedere; unde in ipso statim principio, « corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, » et stare necessitantur in via perfectionis, dum currere deberent. Totum hoc exprimit S. Bonaventura, et prudenter instruit incipientes, quomodo in hac gratiæ sensibilis affluentia gerere se debeant. Audi loquentem, Process. 7 Relig, Cap. 21: « Quærunt autem devoti aliquando ex devotionis vehementia debilitati, utrum sit melius, debilitatem corporis subire, et spiritum per devotionis studium cum Deo roborari, et gratiam oblatam non abjicere; aut pro nimia debilitate a devotione se subtrahere, et spiritum extinguere, et exterioribus occupationibus se dare pro corporis relevacione. Ad hæc (salvo meliori iudicio) videtur consulendum nimis debilibus, quod interdum possunt se utiliter subtrahere a studio devotionis, et conatu proprio non adhuc instare, nec quasi extorquendo exprimant devotionis affectum; quia tales violenti conatus debilitant etiam validiores. Si autem sine laborioso conatu offert se gratia, et ingerit se illis non quæsita, nec abjiciant eam ex toto, nec omnino totos se immergant ei, maxime si vehementer ex hac debilitari se sentiant, sed temperate et in quadam spiritus libertate superficialiter inhæ-

reant, juxta illud Proverbiorum : Mel invenisti , comedere quod sufficit tibi, quod satis est juxta virium tuarum mensuram. Utilius enim est, ad horam habere temperantius gratiam devotionis, quam, omnino exhaustis viribus et destructa virtute naturali, totaliter eam perdere, et irrecuperabiliter ea carere : quia sic destructi postea nimis incipiunt sibimet compati, et ut recuperent vires amissas per indiscretionem, non solum delicatius, sed etiam dissolutius quam expedit se habere. Exhaustis namque viribus, capitis maxime et cordis, juxta non auderent etiam ad studium devotionis per moram aliquam aspirare, quia retrahit eos continuo molesta debilitas ; et quo magis volunt contra eam conari, eo minus possunt. Et ideo consultius videtur consolationes divinas moderatius querere, cum debilitas corporis obsistat ut diuturnius eis frui possint, et auctas valeant tolerare, quam ad breve tempus in eis ita indiscrete delectari, ut eas postea fugere oporteat, et sine spe recuperandi amittere propter virium defectionem ; vase enim contrito liquor effunditur. Unde dicitur in Psalmo 72 : Defecit caro et cor meum ; quia cum corporis virtus omnino deficit, cordis etiam vigor a devotione languescit.»

Hæc sunt præcipua motiva, propter quæ Deus, per subtractionem gratiæ sensibilis, incipientes ad noctem obscuram sensus reducit : per ipsam enim vult partem sensitivam divinæ unioni præparare ; vult deceptiones dæmonis evitari, vult supernaturales communicationes a naturalibus operationibus discernere; vult dona justis et impiis communia evacuare, ut majora concedat; vult imperfectiora et minora tollere, ut perfectiora et majora liberaliter præbeat ; vult occasionem superbiae removere ; vult carnales impuritates aliaque pericula præcavere ; et tandem vult corporis sanitatem conservare, ut his mediis incipientes ad optatam perfectionis metam producat.

## ARTICULUS IV.

DE SIGNIS DEMONSTRANTIBUS PURGATIONEM PASSIVAM  
PARTIS SENSITIVÆ.

Mirantur incipientes studiosi devotionis, dum se repente consueta et prius familiari devotione sensibili privatos vident: nesciunt qua via id evenerit, et maximum credunt sibi detrimentum; experiuntur quod, dum magis conantur habere devotionis gratiam, minus habeant; et cum vehementius instant, aridiores et duriores corde fiant, sicut in summis festivitatibus, et devotis temporibus passionis Christi, et nativitatis, et similibus, et maxime cum ad sanctam communionem student sollicite se preparare. Et multi ex hoc saepissime contristantur, et ex ista parte turbati, ex cordis pusillanimitate interpretantur quod forte sunt indigni visitatione divina, et quod non placeat Deo ut sic indigni et indevoti ad sacram communionem accedant, et sic saepe se subtrahunt a cibo vitae et medicina salutis; et cum alias incertum sit homini, an sit dignus amore vel odio secundum rationem dispositionis, et merita singulorum soli Deo sint nota, tales incipientes aridi et indevoti, quamvis nihil sibi concii sint, non tamen per hoc se justificatos credunt, quia sciunt quod Deus est qui judicat eos, cui unum pro mille respondere non possunt, qui secretiora cordis arcana scrutatur, et ibi quæ latent ipsum hominem intuetur, ac justitias hominum judicat tanquam injusticias. Unde, ex una parte, subtractione gratiae sensibilis et ariditate pressi, ex alia vero parte, velut persuasi quod hæc indevotio procedat ex aliquo gravi sed occulto peccato, seipso misere discruciant, et facti sibimet graves continuo suam miseriam deflent, nescientes quid agant et quo se vertant.

Quod si adverterent hanc esse divinam purgationem misericorditer in suum bonum et meritum causatam, absque dubio consolarentur, et non solum patienter, verum etiam jucunde, purganti Domino subjecti et conformes paterentur. Unde ad ipsorum instructionem ac solamen, et ad directoris securitatem, adducenda sunt signa, quæ passivam purgationem partis sensitivæ a Deo causatam, tamquam effectus proprii et infallibiles demonstrent.

Quamvis autem plures assignari possint effectus hujusmodi purgationis, quæ illam indicent, ut articulo sequenti dicetur, tres tamen inter se subordinati communiter a doctoribus mysticis et maxime a Venerabili Patre Nostro Joanne a Cruce, in doctrina mystica profundo ac sublimi magistro, assignantur, Libro 1 Noctis Obscuræ, C. 19, qui prædictam purgationem omnino demonstrant; ex cuius doctrina, tam studio conquisita, quam experimento confirmata, colligimus quæ hic dicuntur.

Quia hujusmodi aridates affectus sensitivi, et obscuritates sensitivæ cognitionis aliunde quam a prædicta purgatione passiva partis sensitivæ possent emanare, puta ab actualibus peccatis et imperfectionibus, vel a remissione spiritus et tepiditate, vel ab aliquo exuberante humore et indispositione corporali, ideo necesse est quod infallibilia prædictæ purgationis habeantur signa. Præcipua vero sunt tria.

Primum signum est quod incipientes nullum gustum aut consolationem, sive in rebus divinis, sive in objectis creatis percipiunt. Cujus ratio est manifesta: cum enim Deus, ob rationes adductas, eos in obscura nocte constituat, ut partem sensitivam, tam cognoscitivam, quam affectivam purget et omnino purifiet, non permittit quod in ulla re sensibili sibi proportionata, sive sancta, sive mala, sive indifferenti delectentur: ex quo manifeste colligitur, quod obscuritates et aridates recenter exortæ non procedunt ex peccatis aut imperfectionibus de novo commissis; alioquin appetitus sensibilis recenti fruitione sensibilium objectorum attractus, ad eadem propenderet et inclinaretur; experientia quippe constat, quod dum appetitus ad res sensibles ultra modum se diffundit, statim ad illas juxta percepti gustus mensuram magis inclinatur, et proprio fertur pondere. Cum igitur sit universalis siccitas, ac nullum sit irriguum superius ex parte Dei sensibile, nec ullum inferius ex parte creaturarum, indubitate sequitur consequentia, quod ex peccatis aut imperfectionibus non procedat.

Secundum signum est etiam necessario requisitum, quod incipientes, in media illa nocte et ariditate constituti, ordinariam quamvis afflictivam, Dei memoriam conservent. Ordinariam quidem, quia si hujusmodi nox obscura et ariditas ex indispositione naturali vel humore melancholico dimanaret, naturam omnino obrueret, et cœlestium potius quam terrenorum memoriam excluderet, quia

cœlestia sunt magis remota, terrena vero semper occurunt. Afflictivam autem, quia incipientes, in similibus angustiis positi, judicant se servos inutiles, et nihil affectos erga Deum, imo a spiritualibus exercitiis velut aversos experiuntur. Ex quo colligitur, quod hujusmodi nox et ariditas non oritur ex tepiditate vel defectu naturali; tepiditatis enim proprium est, parum divina curare, et potius eorum nauseam et fastidium ingerere. Unde est latum discrimen inter ariditatem et tepiditatem, quia tepiditas importat debilitatem et incuriam circa divinum obsequium, ariditas autem purgativa maximum affert in divino obsequio sollicitudinem, et addit dolorem, si in tali obsequio aliquis defectus aut remissio percipiatur. Et quamvis aliquando hujusmodi purgativa ariditati melancholicus humor aut alias admiseretur, non tamen propterea suo effectu purgativo fraudatur, quandoquidem appetitus sensibilis proprio gustu privatur et solum erga Deum afficitur. Cum autem sensitiva ariditas ex solo procedit humore, solum fastidium et corruptio naturæ percipitur absque intimo desiderio inserviendi Domino, quod purgativa parit ariditas, cuius effectus infallibilis est promptum et vigorosum circa divina reddere animum, quamvis pars sensitiva, propter insipiditatem in suis actibus prædominantem, infirma et in operando remissa videatur. Radix istius siccitatis et ariditatis sensitivæ in hoc sita est, quod Deus, volens animam a statu imperfecto incipientium ad statum proficientium et perfectorum adducere, suas communicationes transfert a sensu ad spiritum, et de sensitivis mutat in pure spirituales, quarum, utpote excedentium ac superioris ordinis seu alterius naturæ, pars inferior sensitiva penitus est incapax, maxime cum hujusmodi communicationes spirituales potius sint substantiales quam delectabiles, propterea nequaquam ad sensum res sic pure spirituales valent redundare: unde sensus remanet omnino vacuus et siccus, quamvis tunc spiritus pascatur et reficiatur interius, qui vires inde colligit, excitatur in Deum, et studet ei adhærere. Non tamen statim a principio spiritus ipse in hujusmodi communicationibus gustum et saporem percipit, imo potius ariditatem et fastidium patitur, propter subitam communicationum mutationem; tum, quia spiritus, sensibilis tantum gratiæ huc usque lacte nutritus, nondum substanciali communicationum pure spiritualium alimento est attemperatus et assuetus; tum, quia adhuc impurus non potest tam purum et subtilem cibum cum sapore

et deliciis gustare : unde non mirum quod in hoc principio potius sensibiles quam pure spirituales communicationes appetat, cum in illis plus saporis quam in istis percipiat; et ita siccus, aridus, et insipidus manet, inde sensibili gustu privatus, et nondum pure spirituali cibo perfruens cum sapore, qui postea succedit, cum spiritus, purgatione passiva purificatus, praedicto cibo pure spirituali degustando bene disponitur et attemperatur. Potest hæc doctrina sacræ Scripturæ authoritate probari, et apto confirmari exemplo filiorum Israel in vasto illo peregrinantium deserto, cui solitudo et status incipientium in via purgativa plurimum conformatur. Sicut igitur filiis Israel egressis de finibus Ægypti et vastam suæ peregrinationis solitudinem ingressis manna delicatissimum, ac omnium rerum saporem eminenter continens (propter quod cibus et panis angelorum in sacra Scriptura nominatur), displicuit, et fastidium generavit, unde dicebant : « Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo, » et ad porros, cepas, et carnes crassas Ægypti suspirabant, recordati dum sederent super ollas carnium, et hoc ideo quia crassioribus Ægypti cibis, et non levissimo manna cibo, attemperatum et assuetum erat eorum palatum : sic, et ob eamdem rationem, ut dictum est, incipientibus, sensibili gratiæ tanquam cibo crassiori assuetis, subtilissimus interioris gratiæ cibus in purgationis passivæ statu communicatus displicet et nauseam parit. Unde ex corruptione seu prava dispositione appetitus nostri provenit, quod miserias nostras appetimus, et cœli delicias abhorremus. Sed tamen, cum siccitates et aridates sensus ex ejus purgatione passiva dimanan, quamvis in principio spiritus nullum saporem aut devotionis gustum recipiat, propter rationes adductas, interius tamen robur et operandi virtutem experitur, ab illo substantiali animæ cibo in mediis illis siccitatibus purgationis passivæ subministrato provenientem : licet tunc hujusmodi gratiæ pure spirituales sint adhuc admodum secretæ, et quasi lateant ipsos recipientes, ipsam animam ad solitudinem inducunt, internam sæpe causant quietem, et confusam quamdam contemplationem absque notitia particulari rerum divinarum infundunt. Si felices hi incipientes, quibus tantum bonum accidit, in pacifica tali quiete persisterent, et quamcumque operationem tam internam quam externam sibi connaturalem, sive affectivam sive discursivam, tunc negligenter, divinam solum operationem in secreto cordis patientes, ac soli Deo ad libitum operanti cum affectuosa

attentione et interna tranquillitate submissi, ad srietatem hac delicatissima et secretissima refectione spiritus fruerentur : quæ sic tenuis ac subtilis est, quod, si particulare fruendi ea desiderium habeant, vel magnam gustandi euram adhibeant, statim evanescat, ad instar aeris qui, quo magis comprimitur, eo magis recedit ; non enim operatur, nisi spiritus in otio et pacifica tranquillitate quietat. Juxta hoc, dictum Sponsi ad sponsam, Canticorum 6, potest intelligi, dum ait: « Averte oculos tuos, quia ipsi me avolare fecerunt ; » quandoquidem in hoc statu supernaturali contemplationis infusæ, quantumvis inchoativo et nondum perfecto, tunc solius Dei est operari, et animæ divina pati. Quod si ipsamet etiam vellet operari, ut prius solebat, discurrendo et meditando, potius divinam operationem impediret, quam Deo operanti cooperaretur ; et sic Deus potentias interiores a propriis suspendit actibus, et quodammodo ligat, ne intellectus meditetur, ne voluntas in sensibilibus delectetur, et ne memoria discurrat (quamvis in ipsis sint simplices actus cognitionis et affectus erga Deum, in quibus operatio divina perficitur, et pax interna consistit, quæ exsuperat omnem sensum), non quod in hoc statu, et maxime in principio, sint excludendæ penitus hujusmodi operationes sensibiles et palpabiles, ut infra dicetur, sed tantum dum Deus operatur interius, et animam in centro cordis recolligit.

Tertium tandem signum est purgationis passivæ partis sensitivæ, quod incipientes, prius meditationibus ac piis discursibus assueti, jam non possint meditari, nec imaginatione discursus formare, quantumcumque nitantur : cum enim Deus non amplius per sensus currentes, et rerum noticias componentes aut dividentes se communicet, sed in simplicitate ac puritate spiritus per actum contemplationis, ad quem sensus tam externi quam interni pertingere non possunt, propterea imaginatio sive phantasia non habet unde incipiat aut prosequatur suam operationem. Quod autem hæc suspensio, inquietudo, et insipiditas potentiarum sint signum evidens purgationis passivæ partis sensitivæ, ex hoc constat, quia si hæc ex malo aliquo humore vel indispositione naturali procederent, non possent diu perseverare, sed evacuato vel temperato tali humore, ad pristinum statum rediret anima, et consuetos discursus ac meditationis actus ejus potentiae eadem facilitate ac prius elicerent. In hac vero purgatione passiva partis sensitivæ contrarium accidit ;

nam statim a principio tollitur facilitas discurrendi, imo frequenter totaliter aufertur facultas. Quod si aliquando non ita premat purgatio, et potentiarum suspensio remittatur, ut incipientibus solamen aliquod concedatur, hoc tamen indubitatum est, quod si hujusmodi purgatio sensitiva completri debeat, et ei succeedere purgatio passiva partis intellectivæ dispositiva ad unionem divinam, quanto magis viam purgativam ingrediuntur, eo magis operatio sensitiva deficit: quod non accedit in illis, qui media utraque purgatione passiva ad divinam unionem adducendi non sunt; cum enim unioni divinæ disponendi non sint, sed tantum purgentur ad exercitium humilitatis, et ad reformationem appetitus, nec purgatio passiva partis sensitivæ, sicut nec suspensio potentiarum est continua, sed intercalata. Quinam autem sint perfecte purgandi in ordine ad divinam unionem, quinam vero tantum imperfecte, scit ipse Dominus, qui sua dona distribuit ut vult, et uni dat quinque talenta, alii vero duo, alii vero unum, unicuique secundum propositum voluntatis suæ.

## ARTICULUS V.

### DE EFFECTIBUS PURGATIONIS PASSIVÆ PARTIS SENSITIVÆ.

Quamvis ex supradictis fructus, quos purgatio passiva partis sensitivæ producit, colligi possint, ad majorem tamen hujus materiae tam necessariae notitiam, et ad incipientium qui purgantur consolationem, conveniens est eos considerandos et degustandos proponere; spes enim percipiendi fructus laborum ipsos labores efficit dulces, aut saltem tolerabiles. Et in hac materia licet tempore hujus purgationis eentes eant et fleant mittentes semina sua, tempore tamen suæ illuminationis, venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos; et tandem in statu unionis ineibriabuntur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis potabuntur, quantum ad partem affectivam; quantum vero ad partem cognoscitivam, licet in principio tenebris obruantur et quasi concubentur, postea tamen a Deo illuminantur, juxta illud Psalmi: «Sicut tenebrae ejus, ita et lumen ejus,» et in fine replentur benedictionibus, et participatæ gloriæ capaces efficiuntur.

Fructus purgationis passivæ partis sensitivæ quidam sunt privati, quidam vero positivi. Purgatio quippe passiva partis sensitivæ duo facit : primum, ordine generationis, et in executione, ac ex parte recipientis, est removere omnia impedimenta divinæ unionis, ad quam ordinatur ; secundum est inducere debitas dispositiones ad talem unionem ; quamvis, ordine perfectionis, et in intentione, ac ex parte Dei agentis, sit e contrario, nam inducendo debitas dispositiones divinæ unionis in anima incipientium, ab ea removent impedimenta talis unionis. Et sic, quod in priori ordine tanquam primum assignatur, in posteriori est secundum ; et vice versa, quod in illo est secundum, in isto invenitur primum.

Fructus privativi purgationis passivæ partis sensitivæ ex hactenus dictis in toto hoc Discursu facile colligi possunt : unde in praesenti non fuse describendi, sed tantum leviter indicandi sunt. Primo quippe, per illos, omnes defectus et imperfectiones partis sensitivæ superius recensitæ sub titulo vitiorum capitalium superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, invidiæ, iræ, gulæ, et acediæ spiritualis, evacuantur, ut sic impedimenta, quæ in parte sensitiva divinæ unioni poterant obstare, removeantur, et dispositiones virtutum ad illam requisitæ suaviter introducantur. Secundo, per illam incipientes multis ineptiis, vanis imaginationibus, et dæmonum illusionibus, aut imperfecto saltem operandi modo, liberantur. Tertio tandem, multa pericula cadendi in anima, et deficiendi quantum ad vires naturales in corpore, præcaventur.

Fructus positivi sunt quamplurimi : et quidem primus ac per se primo intentus est, ut pars sensitiva, media purgatione passiva, parti intellectuali debite subjiciatur, et utraque perfecte in ordine ad divinam unionem disponatur, ut sic, parte inferiori superioris actibus cooperante, superior ipso Deo quietius et suavius perfruatur.

Secundus fructus est robur animæ, per hoc quod eam ablactat a gratia sensibili, quæ est lac incipientium parvulorum in vita spirituali; ipsam quippe ab alimentis infantiae tenuioribus ad solidos virtutum cibos reducit, et a lento infantium procedendi modo ad currendam perfectionis viam impellit : unde in his ariditatibus purgativis lætandum potius est quam dolendum, ad imitationem sancti Abrahæ Patriarchæ, qui solemnem instituit festivitatem in die qua dilectum filium Isaac ablactavit. Hoc autem robur animæ

duplici dimanat principio: tum scilicet ex charismatum supernalium in hac nocte obscuræ contemplationis infusione; tum ex passionum moderatione, peccatorum et imperfectionum evacuatione ac vitiorum extirpatione, quæ omnia virtutem animæ in varia distrahunt et debilitant.

Tertius est notitia tam sui quam Dei, quæ tanquam maximum Dei beneficium exoptanda est. Hanc divus Augustinus, velut primam omnium bonorum spiritualium originem, et gratiarum fluenta, postulabat a Domino, continuo dicens: « Noverim te, neverim me. » Et quidem quod in hac purgatione passiva propriam incipientes sui notitiam acquirant, manifestum est: nam, subtracta sensibili gratia, qua ad superandas in via perfectionis occurrentes difficultates animabantur et quodammodo impellebantur, propriam pusillanimitatem ad exercendum minimum virtutis actum experiuntur; unde humana insufficienciam in bono, et suam in omnibus miseriam contemplantur, quam in gratiæ sensibilis affluentia contemplari non poterant. Quam propterea juste ac misericorditer subtrahit Dominus, ut anima non alte, sed humiliter de se sapiat. Hujus divinæ dispensationis exemplum aut figura in directione filiorum Israël in deserto peregrinantium resplendet; habetur enim, Exodi 33, quod Dominus per Moysen juss erit populo deponere ornamenta quæ sumpserat in egressu Ægypti, ut de novo tritas et serviles indueret vestes; ex ornamentis quippe adventitiis intolerabilem captabat arrogantiam, et ex assuetis vestibus propriam servitutis agnoscebat conditionem. Quod etiam in hac nocte purgationis passivæ Dei notitia facilius acquiratur, multiplici sacrarum Litterarum autoritate probatur. Dicitur enim Psalmo 62: « In terra deserta, et invia, et in aquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam; » nusquam siquidem potest anima divinam excellentiam intueri, quam in via purgativa deserta, invia et in aquosa, privata scilicet humana consolatione, et gratiæ sensibilis affluentia: ibi quippe loquitur ad Deum anima, quem tota mente querit, et toto corde desiderat; præmis erat namque: « Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo; sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. » Et Isaías, Cap. 28 sua prophetiæ, dicit: « Quem docebit scientiam (videlicet Dominus), et quom intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus, » scilicet gratiæ sensibilis, ut dictum est; quia, ut ibidem subditur, tantummodo sola vexatio intellectum

dabit auditui. Et, Cap. 58, expressius loquitur, dicens : « Cum effuderis esurienti animam tuam , et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuae erunt sicut meridies. » Utriusque ratio potest assignari : quia, per hanc purgationem passivam, inordinati motus partis inferioris, tam in ordine ad cognitionem, quam in ordine ad affectum, moderantur; unde, hac parte quieta, pars superior in humili sua infirmitatis, quam saepius experitatur, et in sublimi certitudinis et eminentiae divinæ contemplatione valet persistere, ab uno siquidem extremo ad alterius notitiam facile pervenitur.

Quartus est, præcedenti connexus, summa humilitas, quæ propriæ miseriae simul et excellentiae divinæ notitiam concomitatur : sicut enim incipientes, tempore prosperitatis et abundantiae sensibilis gratiæ, Dei favoribus abutentes, in corde suo vanitate tumebant, sic, tempore paupertatis et inopiae spiritualis, propriam miseriæ agnoscentes humiliantur. Unde dicitur Psalmo 38, in persona istorum : « Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis (scilicet spiritualibus, quorum jacturam se credit incurrisse), et dolor meus renovatus est. » Ex quo sequitur, quod maxima cum Deo humilitate, et cum superioribus submissione versantur ; suam quippe tunc vilitatem et divinam majestatem intuentes, Deum ut supremum Dominum submisso venerantur, ad quem prius, cœlestibus ejus replete beneficiis, nimis audacter tanquam ad amicum et æqualem accedebant. Hujus doctrinæ confirmationem habemus in persona Moysis et Job sanctissimi : quorum primus, cum mirabilem rubi ardantis et non consumpti visionem habuisset, nimis audacter dixit: « Vadam et video visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus ; » sed cum Dominus eum de propria miseria admonuisset, et tanquam indignum appropriare vetuisset, et insuper solvere jussisset calceamenta de pedibus, his eruditus et humiliatus Moyses abscondit faciem suam, non enim audebat aspicere contra Dominum. Secundus autem, etsi justus ac rectus, et timens Deum, tempore suæ prosperitatis non sic humiliiter cum Deo agebat, sicut præmissa terribili et longa purgatione purificatus, ut ejus scripta patet historia ; unde sub finem dixit Domino: « Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio, ideo insipiente locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam. » Insuper cum superioribus et conscientiæ directoribus admodum submisso versantur : cum enim

se miseros et pauperes, tum virtute, tum consilio, sub hac purgatione considerant, eorum dictis acquiescunt, et directioni obtemperant, quia omnes alios et meliores seipsis, et prudentiores existimant.

Quintus est, paupertas spiritualis: cum enim in hac purgatione, se, ex una parte, deliciis gratiae sensibilis privatos vident, ac solis ariditatibus obvolutos; ex alia vero parte, radio illo tenebrarum profectum in seipsis spiritualem utcumque experiuntur, sorte sua contenti sunt, scientes, magisterio Christi Domini, quod « beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Unde in eorum persona dicitur Psalmo 76: « In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus; renuit consolari anima mea: memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum, et defecit spiritus meus. »

Sextus fructus est, patientia, perseverantia in laboribus animæ, et conformitas cum divina voluntate: quæ virtutes in deliciis gratiae sensibilis vix exerceri possunt, in his autem ariditatibus purgationis passivæ partis sensitivæ continuo solent exerceri.

Septimus fructus est, ordinaria Dei præsentia, cum desiderio placandi et inserviendi suæ divinæ majestati, sincero ac puro animo et sine spe retributionis. Cum enim anima creatis omnibus privetur deliciis et objectis sensibilibus per hanc purgationem passivam partis sensitivæ, necesse est quod affectum et cogitatum suum in Deo constituat, se totam ipsi sacrificando; est autem suavissimum Deo sacrificium spiritus contribulatus, et cor contritum ac humiliatum Deus non despicit. Imo in hoc statu non præmium appetit pro obsequio, sed timet ne defectuose Deo obsequatur.

Octavus est, pax et tranquillitas animæ, quæ, moderatis per hanc purgationem passionibus, et evacuatis imperfectionibus, consurgit; imo nonnunquam suavitas quedam spiritualis inenarrabilis a Deo communicatur, et lux cœlestis infunditur, quibus ariditates hujus purgationis dulcorantur, et tenebræ noctis hujus illustrantur.

Nonus tandem fructus est, ut plures alios omittam, frequens virtutum theologicarum exercitium: in hac siquidem nocte, quamvis tenebris et angustiis sensibilibus implicata, anima sœpissime divinæ fidei lumen sic splendere percipit, ut revelatas ejus veritates velut intueatur, et in earum contemplatione quiescat. In hoc angustiarum torrente, sic spei firmatur anchora, ut contra exundantes

ejus fluctus immobilis persistat, donec in columis omnino pertranseat, et licet se quasi submersam aliquando videat, spe tamen roborta periculum evadit. Unde Propheta canit: « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam: infixus sum in limo profundi, et non est substantia; veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me; » et alibi dicit: « Torrentem pertransivit anima mea. » In hujus purgationis amaritudine, et in horrore vastæ solitudinis, anima flamma charitatis exardescit, se totam in inferiori parte mutatam videt, et mirabili modo ad nihilum terrenarum affectionum redacta, sui Domini ductum quasi jumentum sequitur. Unde de hoc statu mystice intelligitur quod Psalmo 72 dicitur: « Inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt; et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi; ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum; tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me: quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram? defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum; mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Et tanto charitatis ardore in Deum fertur, ut merito dicat Propheta: « Sitivit anima mea ad Deum fortè vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus? »

## ARTICULUS VI.

### QUOMODO SE GERERE DEBEANT INCIPIENTES, TEMPORE PURGATIONIS SENSITIVÆ.

Quia, sicut dictum est, incipientes purgationis sensitivæ viam ingressi, se in terra deserta, invia et inaquosa collocatos vident (in ipso namque principio, quasi in loco horroris et vastæ solitudinis spiritualis, in qua vix ulla veritatum præcedentium semita comparet, et gratiæ sensibilis extat penuria), plurimum timendum est, ne hujus viæ periculis deterriti, difficultatibus oppressi, tenebris obvoluti, et horrore examinati sistant, aut etiam retrocedant, nisi directoris experti consilio firmentur et ad ulterius procedendum animentur.

Debent primo, directorem seu patrem spiritualem, si fieri potest, simul doctum et expertum eligere, cuius ductu et prudentia in omnibus moveantur. Quod si talem invenire nequierint, egregie doctum præferant experto : hic namque potest propria decipi experientia, ille vero doctrina dirigitur ne decipiatur, ut sancta parens nostra Theresia, sublimis magistra Theologiæ mysticæ, docet, dicens « se nunquam a viris vere doctis fuisse deceptam; » et cavendum monet, ne viris semidoctis credatur, asseverans tutius esse viris piis et devotis, quamvis ignarus credere, quam illis; isti siquidem consulent alios viros doctos de his quæ ignorant, non enim ob suam erubescunt ignorantiam; illi vero, quia se doctos credunt, et ut tales apparere volunt, judicium ferunt de his quæ ignorant, et aliquando consulunt quæ dissuadenda forent.

Hic autem aliqua in generali tradentur documenta, quibus et incipientes viam purgativam ingressi, et eorum directores instruantur, illi ad procedendum in hac via, isti ad alios dirigendum ; documenta autem particularia pro Discursu sequenti reservantur, ubi, pro diversitate hujus purgationis, in diversis mediis sigillatim diversa documenta tradentur.

Quando igitur incipientes se gratiæ sensibilis affluentia destitutos adverterint, experti quod in piis meditationibus sicut ante versari non possunt, non debent conari contra cursum fluvii, nec in vanum mentem prædicto meditandi exercitio intendere, quia multum patientur, et nihil proficient, anima quippe tunc quietem, non discursum appetit; et si applicetur discursui, quietem ac pacem amittet, et discursum frustra requiret. Unde tales incipientes currare plurimum debent, ne mentem fatigent aut potius obruant in querendo et exercendo discursu, quia et tempus et operam perdent; et sic advertentes, quod adhibita sufficienti diligentia nihil in meditatione proficiunt, et quo magis mens meditandum intenditur, eo plus laboris et insipiditatis incurrit, quia jam venit finis discurrendi, debent in facto illo otio et tranquilla pace quiescere, quæ est terminus discursus et contemplationis initium ; debent plurimum in Domino confidere, quia non permittit perire simplices et recto corde procedentes, sed illos in mediis hujus noctis deducit tenebris, et ad claram suæ notitiæ lucem perducit. Cumque se nullius culpæ de novo commissæ reos sentiant, debent sibi persuadere quod sensibili gratia devotionis privantur, non ad poenam, sed in præmium; non

in detrimentum, sed in bonum. Et cum aliunde vident se nullam habere posse particularem distinctam notitiam, non debent credere se tempus terere ac desidiosos esse, sed debent in notitia generali et confusa, quam habent de Deo, et in amore afflictivo patienter perseverando quiescere; sic enim abundantes operationis divinæ fructus percipient. Alias, si vellent suis operari potentissimis, divinam impedit operationem, non secus ac ille qui dum pingeretur, faciem et corpus moveret, tunc enim potius mixtio et confusio colorum, quam ejus expressa similitudo et vera imago fieret. Unde non debent hujusmodi dolere, sed potius gaudere, quod potentiarum sensibiles operationes amiserint, ut earumdem suavibus et velut imperceptibilibus actibus contemplationis et amoris in Deo quiescant. Notandum tamen id quod jam indicatum est, videlicet non esse totaliter ab exercitio meditationis recedendum, in hac quippe sensitiva purgatione contemplatio seu notitia Dei generalis non est continua, nec diurna: unde, ipsa cessante, ad pristinum meditationis incipientes redire debent, et maxime circa vitam et passionem Christi, qui est via qua ad patriam pervenire debemus, veritas cui et quam credere debemus, et vita æterna sanctorum, ut ipsem in Evangelio docet, dicens: «Ego sum via, veritas et vita;» et rursus: «Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum et quem misisti Jesum-Christum.» Ejus passio est universale et efficax remedium pro malo morali vitando, et pro bono virtutis acquirendo; unde dicit Augustinus: «Non inveni tam efficax remedium quam vulnera Christi.» Incipientes igitur, quamdiu divina contemplatione obscura non absorbentur et quamdiu licet eis meditari, debent in sanctis meditationibus, et maxime Christi Domini perseverare, alias omnino desidiosi tempus frustra consumerent; sed quando praedicta contemplatione divinitus investiuntur, in illa debent quiescere, et in sacro ejus otio quieti permanere, ne in vanum laborent, quando fructuose quiescendum foret. Hoc documentum est V. P. N. Joannis a Cruce, Libro 1 Obscuræ Noctis Animæ, Cap. 10.

Aliud documentum est, ut incipientes, gratiæ sensibilis privatione, duritia cordis, sensuum tenebris, distractione mentis aliquaque sensitivæ purgationis angustiis afflicti, sint in tentatione fideles, et Christum sequantur usque ad crucem, qui sequuti sunt eum ad panis fractionem, et bibant cum eo passionis calicem, qui deliciis ejus internis ante communicarunt. Unde debent attendere voci

Domini clamantis : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; » quamvis enim non debeant se novis et gravioribus affligere poenitentiis, ne natura, internis oppressa jam angustiis, penitus succumbat, debent tamen a piis orationis et mortificationis exercitiis, saltem omnino, non recedere, ac Domino libenter propriis, ut dicitur, impensis deservire; orent humiliter vel ore, vel corde; et ad Deum, si non suaviter, saltem cum amaritudine aspirent, et in bonis operibus perseverent: quamvis enim omnia sint ipsis insipida et amara, Deo tamen sunt gratissima, et plus ei sapiunt, quam alia in suavitate gratiae sensibilis facta, quia puro placendi Deo, et non sibi, motivo fiunt. Debent igitur hujusmodi servi fideles se totaliter divinæ voluntati committere ac resignare, et in mediis illis tribulationibus ad bonum se quodammodo compellere, seipsos in perpetuum holocaustum offerentes. Non debent infideles servos imitari, qui Deo, non puro charitatis affectu, sed utilitatis proprie commodo deserviunt: unde, cum gratiae sensibilis stipendio se carere vident piis operibus relictis, adversus Deum murmurant, ad carnis solarium, ad corporis quietem, et ad sensuum delicias cum maximo animæ detimento revertuntur, ut internis medeantur angustiis, vel in seipsis pusillanimes effecti, quasi necessarias sua debilitati, corporis commoditates insatiabiliter procurant, vel sibi ipsis fastidiosi et graves, aliisque redduntur intolerabiles, unde passim vivendi modum velut instabiles mutant, et aliorum dicta et facta temerarie et nimis audacter reprobant. Ipsos mire describit vir sanctus, Henricus Suso, dicens: « Plerique, quando sacra tiora sunt tempora, et ipsi se libentius ad Deum converterent, tanto magis ipsis afflictio augetur, ita ut nec unam quidem orationem dominicam nec angelicam salutationem absque diabolici susurris explere libere possint. Unde et ipsi in quamdam velut desperationem labentes, orationem a se abjiciunt, et hoc pacto sibi ipsis loquuntur: quid, putas, ista oratio tibi prodest tot sordibus conspureata? Sed in hoc nimium errant, et suo adversario penitus obsequuntur, cuius hoc præcipuum studium est, ut eos ab exercitiis spiritualibus repellat. Nesciunt certe quod oratio ipsis cum omnibus immissionibus illis, de quibus dolent, optime sapit et vere accepta est ante conspectum divinæ majestatis: « sape namque, ut Divus Gregorius ait, mens humana adeo perturbatur, ut seipsam eruere nesciat, in præsenti dolore et angustia constituta; sed ipsa pro eadem ante

Dei oculos adversitas devotissima interpellat, ipsaque passionis amaritudo in oculis illius resplendens citius eum ipsi, quam alia exercitia inclinat, et velocius adesse compellit. Unde nec ullum omnino bonum opus negligendum est, nec orationes et templi frequentatio (quæ maligno spiritui singulariter adversatur, et molesta est non minimum) unquam intermittenda. Quod enim homini de orationis puritate minuitur, hoc ei ex afflictionis molestia accedit, et satis grata est hujusmodi oratio oculis Dei. » Hæc ille.

Debent tandem hujusmodi incipientes, in hac pressura purgationis sensitivæ constituti, ex una parte, sibi persuadere quod labores et tentationes sive interius, sive exterius pro Deo tolerati, plurimum afferunt meriti, et fructus multos ac suavissimos suo tempore producunt, et pro peccatis abunde satisfaciunt; ex alia vero parte, ut eorum tolerantia sit facilior, imo suavis reddatur, debent Christum crucifixum ob oculos sibi proponere; ejus quippe exemplo ad amplectendam spiritualem crucem suis peccatis debitam animabuntur, videntes Christum tam dire pro peccatis aliorum cruci affixum, ita ut non solum ab hominibus, verum etiam a Patre suo derelictus tristitis usque ad mortem pateretur; unde prius dixerat apostolis: « Tristis est anima mea usque ad mortem, » et in ultimo mortis agone constitutus clamavit ad Patrem: « Pater mi, ut quid dereliquisti me? » Quod si quis ad easdem angustias redigeretur, repetitis orationibus jaculatoriis, et variis virtutum actibus elicitis, maxime patientiae et conformitatis cum divina voluntate, cœlesti depositat auxilium, et sanctos suos peculiares patronos, præsertim Sanctissimam Virginem et Angelum custodem intercessores adhibeat. Dicat aliquando: « Domine salva nos, perimus; » aliquando etiam proferat: « Auge dolorem, sed auge patientiam; » et tandem: « Jube quod vis, et da quod jubes. »

---

## DISCURSUS II.

### DE DIVERSIS MEDIIS, QUIBUS PERFICITUR PURGATIO PASSIVA PARTIS SENSITIVÆ.

Quia purgatio passiva partis sensitivæ diversis modis contingit, quibus pars inferior purificatur, ideo in præsenti Discursu agetur per multos articulos de mediis, quibus Deo volente, aut saltem permittente, talis purgatio perficitur.

### ARTICULUS I.

#### PURGATIO PASSIVA PARTIS SENSITIVÆ PERFICITUR ALIQUANDO TENTATIONE CONTRA CASTITATEM.

Rari sunt, qui carnis stimulus non patientur ; in appetitu namque concupiscibili major exstat corruptio naturæ per peccatum originale. Non desunt tamen aliqui sic divinæ gratiæ prævenientis auxilio puri, quod nulla habeant tentationis contra castitatem experientiam : legimus namque de divo Thoma Aquinate, quod in præmium victoriae, quam de meretrice sollicitante retulerat, sensit ab angelis lumbos suos restringi, unde deinceps nullum impunitatis motum passus est. Item de sancta matre nostra Theresia scriptum habemus, quod nec speculativam, nec experimentalem hujus materiæ scientiam habuerit : unde filias de simili tentatione consulentes, ad alias seniores, tanquam ignara consilii vel remedii dandi, remittebat.

Plures tamen sunt qui hujusmodi tentationis molestias experiantur, et maxime inter incipientes, ut citius purgentur. Vix concipi potest nisi ab expertis, quantas in anima molestias excitet hujusmodi tentatio. Cum enim incipientes non solum affectent, sed etiam procurent animæ et corporis puritatem, mire torquentur interius, cum se fœdis ac sordidis imaginationibus, et impuris motibus vident agitari, et sæpe perturbati et ad ultimas angustias

pene redacti nesciunt quid faciant, aut quo se vertant; et nisi prudentis directoris consilio juventur, tali perturbatione maximam bonorum spiritualium jacturam incurunt, quam dæmon saltem secundario intendit: si enim, ex primaria intentione, ad consensum alicere et ad ruinam trahere non possit, ut sic eos de monte perfectionis ad mundi miseras præcipites agat, saltem, ex secundaria intentione, conatur interius perturbare, ut sic, ablata cordis pace et tranquillitate, reddantur ad exercitia virtutis penitus inepti.

Unde tentatio contra castitatem est pene purgatio universalis incipientium, amara quidem, sed efficacissima: dum enim examinantur, per illam interius operantem, miris modis conturbantur et torquentur conscientiae præcordia; tum serupulis consensus, qui passim exurgunt; tum fœditate materiæ, quam puræ horrent animæ; tum metu ruinæ, quam ut possibilem infirmitati naturæ, et quasi præsentem aliorum exemplo territi formidant; tum quia tentationem hujusmodi, velut effectum peccati gravis de novo commissi, suspicantur; tum denique, quia per illam se coram Deo reddi credunt abominabiles et exosos. Unde Apostolus, Doctor gentium, per illam examinatus, et ad ultimas humiliationis angustias redactus dicebat: « Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanae, qui me colaphizet; » vix enim concipi potest, quam efficaciter purget, dum animum incipientium sibi complacentem, et ex receptis sensibili gratiæ favoribus elatum, ad propriæ vilitatis et tunc apparentis infirmitatis confusione adducit.

Hac tentatione multi etiam in sanctitate celebres, purgati et probati sunt, nec fuga totalem ejus persecutionem evadere potuerunt. Ecce Hieronymus, in horridis Syriae constitutus desertis, pœnitentiæ rigoribus pene consumptus, cum super ossa vix pellis adhæreret, et cadaver potius emortuum quam corpus humanum ciliciis, catenis, et cinere obrueret, hujus tamen tentationis aculeis agitabatur, ut ipsem referendo deplorat, dicens « se in mediis solitudinis horroribus tales habuisse imaginationes, quasi in choris nobilium romanarum versaretur. » Possent innumera sanctorum exempla, quos Dominus simili tentatione tanquam aurum in fornace probavit, adduci in confirmationem hujus doctrinæ; sed quia passim apud authores, et in eorum historijs reperiuntur, ideo ab illis referendis in præsenti abstinemus.

Nec leviter, et ut ita dicamus, suaviter incipientes hac purgantur

tentatione, cum sit in seipsa fortissima et vehementissima : ad illam quippe suscitandam et fovendam, tres hominis inimici, et quodammodo domestici, conspirant. Conspirat mundus cum suis vanitibus : ubique in sæculo conversantibus, impudica occurunt objecta, et multe sollicitantes occasiones ; nam, sicut ait Augustinus jam citatus supra, « de carbonibus scintillæ prosiliunt, de ferro rubigo, et morbos aspides sibilant ; sic mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, in risum aliquando dissolvitur, nunc blanditiæ exhibit, et quod est venenosius super cuncta, psallere delecatatur aut cantare, cujus cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. » Quod si mulierum occursus periculosus, multo magis periculosa earum conversatio, et maxime periculosa cohabitatio ; audi Ambrosium, etiam citatum supra, 1 de Officiis dicentem : « Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivumque genus est foemina ; cum proximat, ignem accendit, flammigero igne percutit conscientiam pariter habitantis, et exurit fundamenta montium. » Conspirat diabolus, qui salutis humanæ hostis acerrimus et infensissimus, et fragilitatis nostræ hac in parte multiplici experimento conscius, ignem concupiscentiae vel excitat oblatis occasionibus, vel aliunde excitatum foveat et auget. Unde subdit Ambrosius : « Si cum viris foeminae habitent, viscarium non deerit diaboli. » Conspirat tandem caro, primi parentis infecta corruptione, quæ, connaturali propensione ad sensuum delicias inclinata, facillime flammis concupiscentiæ incalcescit, et tanto fervore saepius exardescit, ut multi, simili tentatione exusti, in maximis frigoribus exæstuent. Beata Angela de Fulginio, inter maximos quos in sua purgatione patiebatur dolores, refert his verbis ardorem hujus temptationis : « In locis verecundis tantus est ignis, quod consuevi apponere ignem materialem, ad extinguendum alium ignem concupiscentiæ, donec confessor mihi prohibuit : tunc cum sum in illa tenebra, credo quod citius eligerem assari, quam praedicta tunc pati ; imo tunc clamo et advoco mortem, ut per quemcumque modum mihi eam Deus concederet evenire ; et tunc dico Deo : Domine, si me debes mittere in infernum, ne differas, sed subito facias ; et ex quo me dereliquisti, comple et submerge me in profundum : et intelligo tunc, quod id est opus dæmonum, et quod illa vitia non vivunt in anima, quia anima nunquam consentit eis, sed corpus patitur violentiam, et est tantus dolor et tedium, quod si duraret, corpus pati non posset. »

Id quod magis in hoc purgationis modo torquet, sunt quamplurimi insurgentes scrupuli de consensu : cum enim haec tentatio sit conformis et quodammodo connaturalis parti concupiscibili, inde est quod per illam ad illicita delectabilia totaliter inclinatur, et consensum partis superioris videtur extorquere, cum ejus resistentia vix appareat ; tanta enim partis inferioris contra superiorem rebellis est violentia, quod ipsam superare videatur, et ad assensum allicere. Haec summe cruciant incipientes inexpertos et indoctos ; si enim certi essent, quod tali temptationi non consentiant, nec proinde Deo displiceant, sed potius ipsi complaceant patienter tolerando, non torquerentur, at potius in mediis illis angustiis gauderent. Sciant ergo, tanquam certum apud Theologos, ad animae solatium, quod quamdiu dubitant an dictae temptationi consenserint, signum est eos non consensisse, saltem consensu qui sit peccatum mortale : conveniunt enim in hoc Theologi, quod, ut aliquis consensus de re quantumcumque moraliter mala sit peccatum animae mortiferum, debet ex deliberata et determinata procedere voluntate, quia omne peccatum est voluntarium, et peccatum completum in genere peccati, quale est mortiferum, debet ex complete deliberata voluntate provenire ; quod si actus sit incompletus et imperfectus, erit tantum peccatum veniale, propter defectum et imperfectionem voluntarii. Constat autem quod, quoties est dubium de consensu, certum est non fuisse plenum et procedens ex deliberata voluntate ; quae namque ex perfecta voluntatis deliberatione procedunt, facile ab ipso volente percipiuntur : debent tamen de sua negligentia in resistendo conteri et ad cautelam confiteri. Haec doctrina potius deserviet directori ad instruendum, quam discipulo in temptatione constituto : quamdiu namque simili temptatione a Deo purgatur, recedit ab oculis et cogitatione illius, quidquid potest esse solatii, et dispensatione divina solum occurront quae ipsum torquendo purgare possunt ; et nisi directoris, cui plurimum fudit, consiliis adjuvetur, ad maximas et continuas devolvetur angustias.

Ad tollendam autem scrupulorum originem, et adhibendum aliquale remedium (totale siquidem in manu Dei purgantis est), debet primo director, discipulo in temptationis hujus angustiis constituto persuadere, quod non turbetur objectis a dæmone impuritatibus : quamdiu enim eis non consentit, Deo non displicet, sed mundus in

oculis ipsius perseverat; si vero turbaretur, plurimum detrimenti spiritualis incurreret, sicut dictum est: unde dæmon non fraudaretur secundaria sua intentione nocendi qualitercumque tentato, quamvis deficeret in primaria perdendi ipsum per extorsionem consensus. Debet secundo, persuadere quod, ex una parte, suaviter resistat, et non violenter, fugiendo potius quam sistendo, id est quod attentionem ab objectis similibus abstrahat, et ad alia diversitatibus occupari possit, sive sint pia sive etiam sint indifferentia, piis enim tunc non juvantibus ob temptationis violentiam, adhibenda sunt indifferentia quae prodesse possunt, et in illis immorari tunc bonum erit et laudabile, quamvis alias forte malum esset et vituperabile, ethoc propter differentiam occurrentium circumstantiarum; quod si positive resistere debeat, eliciat actus temptationi contrarios suaves et non violentos, ne ipsa attentione prædictam temptationem imaginationi radicatam magis imprimat; suadeat quod, ex alia parte, plurimum in Domino confidat, qui non sinit ultra vires tentari et facit cum temptatione proventum; ipsum invocet in hac afflictione ac necessitate dicens: « Domine vim patior, responde pro me; » aliquando dæmonem irrideat, qui cum sit purus spiritus, carnalibus impudicitiis miscetur. Debet tertio, super omnia persuadere quod nihil videat, nihil legat, nihil audiat, et nihil loquatur, quod vel proxime vel remote, directe vel indirekte, temptationis hujus occasionem præbeat: si namque sic faciens tali temptatione turbetur, sciet quod non sua culpa, sed vel dæmonis malitia, vel carnis fragilitate illam patitur; neverit se ad hujusmodi diligentias obligari, ut a scrupulis omnino liberetur, et credat Augustino dicenti: « Gravem inimicum sortita est castitas, cui non solum resistendum, sed dimisso fræno longius fugiendum; nec eo minus illæ fugiendæ sunt, quia religiosæ videntur, quando quanto religiosores, tanto citius allicant, et sub prætextu pietatis latet viscus libidinis: experto crede, expertus loquor, coram Deo non mentior, cedros Libani duces gregum sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quam de Ambrosii vel Hieronymi impudica turpitudine. » Non sic tamen debet intelligi, quod omnino vitentur mulieres, cum aliquando necessarium sit, vel titulo charitatis, vel alio pio motivo, cum illis conversari; sed intelligi debet quod fugienda sit earum familiaritas secundum prudentiæ leges; quamvis enim non semper de præsenti damnum percipiatur, quando quis in prædictis deficit,

congruo tamen tempore dæmon ex his nebulas, fulgura, tempestates et tonitrua suscitat, quæ postea mentem obnubilent, voluntatem commoveant, concupiscentiam turbent, et fortitudinem dejiciant.

## ARTICULUS II.

### PURGATIO PASSIVA PARTIS SENSITIVÆ PERFICITUR ALIQUANDO MANIFESTA DÆMONUM PERSECUTIONE.

Mirabilis Deus in sanctis suis, qui, ad exercendos et purgandos electos suos, etiam dæmonum utitur malitia, quia, Deo sic disponente ac permittente, tam crudeliter aliquando torquent incipientes, ut, nisi internæ gratiæ firmarentur auxiliis, facile a virtutis prosectione et a perfectionis via deterrerentur; sed bonus Dominus, qui in sua dispositione non fallitur, ex dæmonum malitia et in fideles servos suos sævitia, suum deducit intentum; nam et servos suos medio illo purificat, et contra dæmonum persecutions etiam apertas victores reddit et triumphatores.

Ad hujus veritatis confirmationem innumera possent adduci de vitis patrum exempla. Legimus namque de sancto Antonio, et de sancto Hilarione adhuc incipiente, quantas a dæmonibus sunt passi molestias: quoties visibiliter apparentes viderint, quoties minas et horrores aspexerint intentantes, quoties irridentes et convitia et injurias proferentes audierint, quoties etiam verbera crudelissima variis modis infligentes senserint, in eorum historiis valde notis et passim repertis narrat sanctus Hieronymus. Unde, ne jam seita communiter repetendo fastidium generem, ea nunc missa facio, ut particulari exemplo unius enostris religiosis, cum quo diu familiariter vixi, nondum noto et satis recenti, meam doctrinam confirmem. Plura de insigni venerabilis hujus religiosi sanctitate possem dicere, multaque ipsius extraordinaria et supernaturalia referre gesta, tum in virtutum exercitio, tum in divinis revelationibus; sed, his relictis, quasi extra propositum, quæ ad præsens intentum deserviunt breviter adducam.

Hic vir venerabilis, natione Gallus, patria Narbonensis, jam sacerdos factus in nostrum Carmelitarum Discalceatorum ordinem in-

gressus est. In civitate Parisiensi degens, aliorum juvenum ex singulis Galliæ provinciis illuc confluentium conversatione corruptus, ut ipse testatum reliquit, pondere peccatorum ad ima deprimebatur, et quasi ad profundum malorum venisset contemnebat, et in ipsis mergi desiderabat; multiplici quippe dæmonis suggestione, ad amplectendam hæresim Calvinanam urgebatur. Unde aliquando solus per agros deambulans, hac vehementi pressus tentatione, cœpit apud semetipsum cogitare media ad exequendum hunc finem pessimum pene jam intentum, et quærere in sui ruinam argumenta, ac meditari frivolas haereticorum expositiones ad interpretanda hæc Christi Domini vivificaverba: «Hoc est corpus meum,» ut veram et realem corporis Christi præsentiam in sanctissimo Eucharistiæ sacramento posset negare; sed quia nondum Deus eum despexerat, ideo non fuit difficile ipsum a tam mala intentione converti, collatis pluribus et extraordinariis divinæ bonitatis auxiliis, et audita sensibili voce Christi dicentis: «Visne disputare contra me?» Quæ sic efficax extitit, ut statim omnis tentatio et mala voluntas in eo cessaret. Deus hunc electum non solum ex evidenti periculo naufragii miraculose liberavit, sed etiam ex profundo peccatorum barathro visionibus et minis eduxit: nondum tamen, tot divinis cumulatus beneficiis, divinæ gratiæ et vocationis ductum sponte sequebatur; volebat, sed non valebat, ut ipsem loquitur, ex abysso suorum scelerum resurgere.

Accedebat tempus, sed nondum venerat, quod Deus ad conversionem electi hujus famuli præparaverat: cum enim fortiter simul et suaviter disponat omnia, ipsum in octava Sanctissimi Sacramenti ad quemdam adduxit prædicatorem, cuius verba, quasi sagittas ignitas divinitus immissas, ac cor ipsius transverberantes, excipiit; sic enim publice loquebatur, quasi singulariter ipsum aggredieretur. Ejus conciones sic Deus nostri peccatoris et jam pœnitentis attemperaverat dispositioni, ut ex eis mirabilem doloris sensum et lacrimas devotionis colligeret, et cum incredibili iterum ad eas redeundi fame ac siti discedebat.

His concionibus motus ac pene conversus, anno millesimo sexcentesimo decimo septimo, circa festum sancti Joannis-Baptiste, venit titulo confessionis ad nostram Carmelitarum Discalceatorum Ecclesiam, cumque data occasione confessarius eum interrogasset, an aliquando Dei vocationem ad statum religiosum habuisset, et

an fieri vellet religiosus, tantam in hoc excitativo verbo sensit efficaciam, ut in ejus prolatione totum cor ipsius liquefactum fuerit, et in lacrimas solutus, silentio potius quam verbo suum desiderium manifestavit, cogitans an possibile illud esset, cum antea ne quidem primus hujus rei motus in mentem venisset, imo tanquam impossibile reputaret, cum alias beatissimos existimaret religiosos. Prae admiratione captus, intra se continuo cogitabat an fieri posset, quod tanto frueretur bono; sed tamen mille confessori proposuit impedimenta, quibus quasi invitus a religionis statu elongabatur: huic ergo divinæ vocationi nondum efficaci, vitiis alligatus, ex sua malitia restitit, in dies procrastinans conversionem, factis pietatis in suos parentes motivis.

Sed, o mirabilis et efficacissima excitantis gratiæ virtus! vix septem aut octo diebus apud eos manserat, cum suæ vocationis ad religionem recordatus, et suavi quadam violentia pressus, nulla paterni amoris habita ratione, valedicens mundo, Carmeli solitudinem et iter arduum aggreditur. Quam bene dicit Augustinus, Libro de Spiritu et Littera, Capite vigesimo octavo, quod « cum Deus peccatores efficaciter vocat, facit plus delectare quod præcipit, quam delectet quod impedit. » Et Homilia 29, ex 50, hoc magis exprimit dicens: « Quomodo te a te liberat Deus? » Respondens subdit: « Inspirando virtutem, dando menti cœlestem delectationem, qua omnis terrena delectatio supereretur. »

Ingressus religionem, per ordinariam sanctorum viam deducitur, « quos Deus neque tribulationes, neque jucunditates sinit habere continuas, sed tum de adversis, tum ex prosperis justorum vitam quasi admirabili varietate contextit, » ut ait Chrysostomus Hom. 8. in Matthæum, ne scilicet continuata jucunditate superbe extollantur aut perpetua tentatione nimis opprimantur. Cum igitur fidelis hic servus Domini per totum adventum (die namque sancti Andreæ Apostoli religiosum accepit habitum) et in corpore, et in anima plurimum passus fuisset (exterius quippe graves et acutissimos, capitibus patiebatur dolores, interius vero memor præteriorum, et continua peccatorum suorum meditatione penitus absorptus nimium angebatur), ad confirmandum ipsum ne succumberet, voluit novo ac diurno favore recreare, quem ejusdem verbis hic referto: « Per quindecim dies aut circiter, ait, videbam juvenem quemdam juxta humeros meos excellentissimæ ac suavissimæ formæ; ejus præ-

sentia maximam mihi dabat consolationem, et merorem omnem levabat, et vix unquam alio mentem divertere poteram, quam ad illum parvulum. An esset visio imaginaria, aut intellectualis, certe nescio, qui sese mihi dedit, ipse scit. »

Sed, quia Dominus hunc electum famulum copiose sanctificare, sibique specialiter unire volebat, longo temptationum, et tribulationum exercitio, et praesertim manifesta et aperta dæmonis persecutio purgando disposuit. Prætermisis igitur aliis mediis, quibus eum purificavit, accedamus ad medium dictæ persecutionis, cuius occasione præcedentia retulimus. Sic eam ipse describit: « Bis se mihi representavit dæmon, varias minas intentans, eo quod ab ejus manibus evasissem: prima vice exiens ab oratorio sub forma capitis horrendi cujusdam monstri, alia vice sub forma cujusdam Æthiopis, easdem minas faciens mihi; multisque aliis vicibus terrebat me verbis, sine ulla tamen visione. »

Pluribus aliis modis voluit Dominus eum per dæmonem, cui ipse servierat, purgare: nam aliquando fœtidissimos ac intolerabiles odores, aliquando cruciatus acerbissimos et apertas passus est violentias. Ut enim, post ejus felicem obitum, Pater Prior nostri conventus Parisiensis retulit, non raro fuit a dæmone in corpore vexatus; et ego ipse didici ab uno ejus connovitio teste oculari, quod quadam nocte, auditio in cella ejus ingenti strepitu, aliqui religiosi accesserunt, ipsumque humi jacentem totum lividum et semimortuum invenerunt. Hæc sufficient in præsenti de tam insigni servo Dei, cuius sanctitatem ipse diu expertus sum, et de quo multo plura et majora referre possem.

Hæc purgatio passiva partis sensitivæ, quæ media dæmonum persecutione perficitur, admodum amara et efficacissima est: nam, ex una parte, dæmones, ut incipientes ab ardua perfectionis via deterreant, sævissime in illos juxta intentionem et extensionem divinæ permissionis eos affligunt; ex alia vero parte, hac persecutione territi incipientes, se miserrimos et quasi reprobos existimant; cum enim illam in peccatorum suorum pœnam evenisse arbitrentur, et latens ibi divinæ bonitatis arcanum ignorent, credunt se jam dæmonibus traditos, ut ex tunc in æternum exactas peccatorum suorum pœnas luant. Unde miris modis affliguntur, et coram Deo humiliantur; et sic a præteritis purgantur immunditiis.

Debent directores suos discipulos in hac purgatione constitutos

animare, ut se divinæ dispositioni totaliter submittant, et credant quod hujusmodi persecutio non in malum ipsorum, sed in bonum spirituale, non in ruinam, sed in gloriam permittitur. Nec mirum si Deus suos servos per dæmones affligi disponat, eum Christus ipse per dæmonem tentari, et per membra dæmonis crucifigi voluerit. Debent insuper eos ad talem persecutionem instruere et armare, ne forte in illa succumbant: unde suadere debent, ut tunc Dei, Sanctissimæ Virginis, angelorum et maxime custodum suorum, omniumque sanctorum implorent auxilium; vigilias et jejunia cum sancto Antonio adhibeant; aquam lustralem et dominicæ crucis insigne violentiis dæmonum opponant, ad instar sanctæ Matris nostræ Theresiae, quæ his armis instructa, omnes dæmonum catervas provocabat.

### ARTICULUS III.

#### PURGATIO PASSIVA PARTIS SENSITIVÆ PERFICITUR ALIQUANDO PERSECUTIONE HOMINUM.

Sensibilior nonnunquam est hominum persecutio quam dæmonum: unde non mirum quod ad virtutis exercitium et ad incipientium purgationem Deus illa utatur. Cum enim invisibles sint homini dæmones, et visibles sint sibi invicem homines, in mutua conversatione et familiaritate faciunt sibi invicem angustias, vel data opera, vel etiam præter intentionem; unde in communi consortio sibi dant occasionem patientiam ceterasque virtutes exercendi. Hæc persecutio, sive justa vel injusta, sive facta præter intentionem vel ex intentione, sive quocumque alio modo exerceatur, in varias classes distinguitur, juxta consequentium hominum diversitatem: ex quibus quidam sunt mali, alii boni; quidam amici, alii inimici; quidam extranei, alii affines et consanguinei; quidam fratres religiosi, alii superiores: et hæc persecutio vel dictis, vel factis exerceatur. Tanta autem est Dei virtus et sapientia, quod omnibus his mediis humanæ persecutionis, et bona malaque consequentium intentione, pro purgandis incipientium animis utatur, ut sigillatim hic demonstrabitur.

Et quidem quod mali persequantur justos, et innumeris imo

quotidianis certum est experientiis, et in sacris litteris passim confirmatum; unde non opus est id multiplici autoritate probare. Sed quod mali persequantur justos, et eorum via prosperetur, et e contra quod justi persecutionem malorum patiantur et ubique affligantur, etiam sanctos et illuminatos a Deo prophetas in admirationem adduxit; quin imo Jeremias quasi causam rei tam mirabilis Deum interrogat, justitiam Dei hic latentem demonstraturus. Ait igitur: « Justus quidem tu es, Domine, si disputerem tecum: verum tamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt? Plantasti eos et radicem miserunt; proficiunt, et faciunt fructum; prope est tu ori eorum, et longe a renibus eorum. Et tu, Domine, nosti me, vidisti me, et probasti cor meum tecum. » Sed prophetizans de infelici exitu impiorum concludit, dicens: « Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occasionis. » Hanc justorum per malos purgationem describit Augustinus, Psalmo 64, dicens: « Homines malos, quos patimur, commemoratus est, eamdemque passionem malorum hominum exercitationem suam dixit, ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, et nihil boni de illis agere Deum: omnis malus, aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur. Utinam ergo qui nos modo exercent, convertantur, et nobiscum exerceantur. » Et instruens quomodo in tali exercitio nos gerere debeamus, subdit: « Tamen, quamdiu ita sunt ut exerceant, non eos oderimus, quia in eo quod malus est quis eorum, utrum usque in finem perseveraturus sit ignoramus; et plerumque, cum tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti et nescis. » Tandem attendant, quid Dominus Isaiae 3, dicat justis exercitis per impios, et impiis exerceentibus justos: « Dicite, ait, justo, quoniam bene, quoniam fructum adiunctionum suarum comedet; vae impio in malum, retributio enim manuum ejus fiet ei. » Id est, etsi justus hic exerceatur et purgetur per impium injuste persequentem, tamen bene erit justo non solum in alia vita, sed etiam in ista, quia, media hujusmodi purgatione dispositus, ad intimam cum Deo perveniet unionem, ubi fructum suarum pro Domino patiendi adiunctionum comedet. Et, e contra, vae impio, cui malum accidet in retributionem injuste ipsius persecutionis contra justum.

Quod etiam aliquando boni persequantur justos (sed bona intentione, alias non essent boni), saepe in sanctorum historiis legimus:

et tunc persecutio est gravior, et purgatio inde subsequens major. Nam, in persecutione per malos excitata, justus qui eam patitur facile consolatur, quia satis evidenter appareat hujusmodi persecutionem ex sola consequentis malitia procedere, quamvis qui eam patitur debeat consequentem excusare; sed, quando persecutio a bonis excitatur, qui eam patitur, cognita consequentis bonitate, non solum consequentem excusat, sed etiam seipsum accusat, et interius affligitur de mala sua conversatione, quae tali persecutioni causam dedit. Et haec persecutio graviter affligens durissimam causat purgationem; qua multo major est et penitus intolerabilis, quando persecutio communi bonorum conspiratione suscitatur, de quibus presumi non potest, quod sine rationabili causa persecuantur, sicut de uno tantum presumi posset. Hanc S. Mater nostra Theresia in principio sue conversionis passa, mirabiliter purgata est. Postquam enim multis gratiae sensibilis favores, etiam extraordinarios, puta visionum et revelationum suaviter degustasset, voluit illam Deus ab aliquibus contractis imperfectionibus, persecutione simili purgare. Multi namque viri pii, et etiam aliqui ejus confessores, ad quos hujusmodi favorum notitia venerat, ipsam velut a dæmone deceptam et illusam credere, et tanquam malam devitare cœperunt, quia tales deceptions et illusiones ut præcedentium peccatorum poenam considerabant: ex quo mirabilis afflictio spiritus et extremæ mentis angustiæ oriebantur, maxime cum haec omnibus pene nota essent, et ipsa præ nimia humilitate pejora de seipsa, quam alii, judicaret. Sed quod magis internam augebat afflictionem, erat quod aliqui confessores, minus experti et prudentes, ei præcipiebant, ut Christo manifeste apparenti (de quo tunc dubitare non poterat), tanquam dæmoni illudenti, resisteret, et crucis signo aliisque gestibus contemptus contra eum uteretur; quod præceptum, etsi durissimum ipsique penitus intolerabile, propter reverentiam confessori debitam, exequebatur, in mediis fluctuans augstiis. Hinc enim, Christi apparentis præsentiam evidenter experiebatur, quem cum intimo cordis affectu diligenter, tamen eum despiceret præcipiebatur; indevero, confessoris imperantis reverentia, cui contradicere ut piaculum judicabat, obedire cogebat. Non dubium, quin potius mortem subire, quam tale præceptum implere elegisset; et tamen implevit, et implendo tam amaræ purgationis calicem hausit.

Persecutio amicorum multo sensibilior est, quam sit aliorum:

um enim in præmium amicitiae proprium et connaturale, benevolentia ac favor potius quam persecutio de amicis expectetur, minima eorum persecutio durior apparet quam sit maxima inimicorum. Unde in persona Christi Domini dicitur contra Judam proditorem in Psalmo: « Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuisse utique, et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondisse me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus, qui simul tecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu. » Et ut exprimatur quam intolerabilis sit naturæ amicorum persecutio, subditur contra illos imprecatio gravissima, ex instinctu, seu primo et indeliberato motu ejusdem naturæ facta: « Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes. »

Sed adhuc multo gravior est consanguineorum et affinium persecutio, qui, cum non sola voluntatis electione dissolubili, sed naturæ nexu indissolubili conjungantur, potius debent stare pro illis quibus sic conjunguntur, quam illis obstare, potius succurrere quam persequi: unde talis persecutio ad partis sensitivæ purgationem passivam plurimum confert. Efficacia hujus purgationis et concomitantis afflictionis nobis in sacra Scriptura proponitur, quæ sanctos Patriarchas in exemplar patientiæ cunctis exhibens, vide-licet Job et Tobiam, hac tamen persecutione et purgatione commotos diserte fatetur. Primus, cum audisset suam uxorem sibi in tot calamitatibus constituto sic insultantem: « Adhuc tu permanes in simplicitate tua, benedic Deo et morere, » cum in præcedentibus damnis non solum patienter siluisse, sed etiam Deum benedixisset de bonorum omnium et filiorum jactura, hic quasi oblitus sui, sancta ut ita dicam impatientia, vel potius ardenti motu in injuriosa verba prorupit dicens: « Quasi una de stultis mulieribus locuta es: bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? » Secundus, post multorum laborum tolerantiam, post longam in sua cæcitate patientiam, cum uxoris iratae et exprobrantis audisset haec verba: « Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynæ tuae modo apparuerunt, » tunc ingemuit sanctissimus senex, et cœpit orare cum lacrimis dicens: « Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viæ tuae misericordia et veritas et judicium; et nunc, Domine, memor esto mei, et ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, etc. » Ecce summam humilitatem et

compunctionem ex tali purgatione provenientem. Posset prædictis adjungi Davidis exemplum, qui, sœvientis in eum Absalon filii persecutione, tanquam divina purgatione, pressus, et de throno exclusus, maximæ humilitatis, compunctionis, mansuetudinis, cæterarumque virtutum fructum collegit, eoque patientiae devenit, ut filium Jemini maledicentem sibi libenter audierit, et servis suis hanc maledictionem morte maledicentis vindicari volentibus dixerit: «Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærerit animam meam; quanto magis nunc filius Jemini? Dimittite eum ut maledicat juxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.»

In prædictis persecutionibus, major solatii causa potest reperiiri, quam in sequenti, quaæ fit per fratres religiosos, et etiam superiores, maxime quando sanctitate sunt celebres; in his namque præsumitur, quod in hujusmodi persecutione potius vigeat zelus justitiæ, quam sensus naturæ: unde qui per illos exerceatur, seipsum velut reum agnoscit, et scrupulis agitatus, quasi suis imperfectiñbus ansam persequendi dederit, terribiliter purgatur. Hæc purgatio in statu religioso est admodum ordinaria, sive fiat solo proficiendi animo, quod frequentius accidit, sive fiat motivo non ita recto, quod rarius contingit. Novi Venerabilem Patrem Claudium a S. Joseph Parisiensem, qui recenter admissus in religionem, cum propter bona tam naturæ quam gratiæ talenta singulariter amaretur et laudaretur, cœpit refugere laudes, qui crucis improperium quarebat; unde a Domino postulavit enixius, quod ab omnibus pateretur ac despiceretur. Hujus votis obsecundans, Deus permisit quod plures alii religiosi quotidianas de ipso apud superiorum formarent querimonias, et haec purgatione perfecte purificatus, ad maximum sanctitatis gradum pervenit; ipsum vidi raptum in extasim et heroicos sœpissime virtutum actus exercentem, ac tandem prænuntiata sua morte feliciter decedentem. Legitur in vita Beati Patris nostri Joannis a Cruce, quot et quantas persecutions usque ad mortem, et a fratribus, et ab aliquibus superioribus perpessus sit. A Domino petierat, tanquam laborum suorum mercedem, pati et contemni pro ipso; quod ita copiose concessit ei Dominus, ut qui hoc legunt in ejus vita, mirentur vel cœcitatem, vel zelum indiscretum, aut passionem eorum, qui tam indigne patrem communem reformati Carmeli persequabantur.

Hæ omnes persecutiones vel dictis complentur, vel factis, quæ miris affligunt modis eos quos Deus perfecte vult purificare. Quæ persecutionum diversitates in vitis sanctorum communiter occur- runt; nam aliquando viri sancti vocantur hypocritæ, sancta eorum intentio in deteriorem partem detorquetur, columnæ regularis ob- servantiae tanquam inutiles servi despiciuntur, patres religionum ut vilissima irridentur mancipia; aliquando verbis indignis indi- gniora accedunt facta, quæ longum esset referre, nec ita necessari- um in præsenti videtur.

Tunc humilitate, patientia et mansuetudine opus est incipienti- bus, in hoc purgationis exercitio, ut possideant animas suas. Et facile virtutum istarum actus elient, imo gaudebunt in his et Deum benedicent, si de manu Dei miserentis, non ut flagella, sed ut imperfectionum purgamenta, dilectionis divinæ signa et privi- legia suscepereint, credentes quod hæc casu non accident, sed suavi dispensatione Dei, non in ruinam, sed in salutarem correptionem. Et sciant quod, purgatione finita, erubescēt impii persequentes, et deducentur in infernum, nisi corrigantur, et muta fient labia dolosa quæ loquuntur adversus justum iniquitatem in superbia et in abusione; et simul exclamabunt cum Propheta: « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Perfecisti eis qui sperant in te in conspectu filiorum homi- num, abscondes eos in abscondito facie tuæ a conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione lin- guarum. »

#### ARTICULUS IV.

##### PURGATIO PASSIVA PARTIS SENSITIVÆ PERFICITUR ALIQUANDO RERUM SENSIBILIUM JACTURA.

Inter res sensibiles, quantum attinet ad præsens institutum, computantur bona fortunæ, consanguinei et affines, honores et dignitates, quorum omnium jactura Deus utitur, ut servos suos, viam perfectionis ingressos, a pravis affectibus purificet, ut sigilla- tim exemplis e sacra Scriptura deductis, vel etiam sanctorum historiis demonstrabitur. Cum enim affectus humanus naturæ

corruptæ potius ad visibilia, quam ad invisibilia connaturaliter tendat, ex eo quod illa sunt homini pervia, et pro statu mortalis vitæ magis proportionata, quia non operatur intellectus nisi per conversionem ad phantasmata, quæ sunt directe ac per se primo rerum sensibilium sensibus externis perceptarum, et tantum indirecte ac secundario rerum intelligibilium, quæ nostros latent sensus, ac proinde satis sunt nobis improportionata, inde est quod Deus, ut ab inordinato rerum visibilium affectu nos abstractat, et ad seipsum alliciat, misericorditer per eorum substractiōnem liberat quos miserabiliter eorum possessio ligatos tenet, quia, ut ait Sanctus Bernardus in C. 19. S. Matth., « limosa et glutinosa nimis non modo exterior, verum etiam interior substantia nostra videtur, et facile cor humanum omnibus quæ frequentat adhæret. » Cujus ratio est, quia frequentando diligit ob apparentem saltem bonitatem, diligendo vero ad illa tendit, et firmiter illis adhæret; dicit enim S. Augustinus, 13 Confessionum, quod « ponderibus suis aguntur omnia, et loca sua petunt: pondus meum amor meus, illo feror quo cumque feror. »

Quamvis autem omnia bona sensibilia sensum humanum ad sui dilectionem, ut plurimum inordinatam, allicant, quædam tamen vehementius alliciunt quam alia, et allectum sibique adhærentem firmius ligant, quia naturali nexu vel electione sunt magis connexa, et quodammodo magis intrinseca. Ex quo sequitur quod ordinarie plus diliguntur filii, qui sunt aliquid patris, quam bona fortunæ magis extrinseca diligentur. Sed tamen, quia, ut dictum est, omnium bonorum sensibilium amor saepius est inordinatus et, ut plurimum, imperfectus, quia vel contra vel præter legem Dei diliguntur, ut quotidiana constat experientia, inde est quod Deus servos suos, ad perfectionis viam vocatos, dum simili rerum sensibilium amore videt occupatos, ut tali liberet impedimento currendi ad vitæ semitam, et ad ipsum Deum pervenienti, prædictorum omnium eos jactura purgat et exonerat, ad hoc ut eorum affectus, ab omni bono commutabili segregatus, bono incommutabili et divino firmiter adhæreat.

Quam certum et evidens est, quod major pars mortalium inordinato rerum sensibilium amore pereunt! Quot homines in bonis fortunæ comparandis, præter immensos labores, animæ suæ detrimentum patiuntur! Quot etiam, ut filiis aliisque consanguineis

provideant, se bonis cœlestibus privant! Quot denique reperiuntur qui, ut dignitates et factos honores acquirant aut conservent, non solum mortem corporis, sed etiam animæ incurront, et æternis inferni cruciatibus addicuntur! Saltem negari non potest, quod ab omnibus conceditur, prædicta omnia esse remoras cursus spirituatis et maxima perfectionis impedimenta. Unde jacturam illorum, ut effectum benignæ visitationis divinae, et quasi singulare Dei beneficium, debent non solum humiliter, sed etiam lætanter recipere, quantum humanae conditionis fragilitas patitur.

Possemus hanc veritatem multiplici sacrae Scripturæ testimonio et exemplo probare. Numquid non manifesta est omnibus sancti Patriarchæ et Patris fidei Abrahæ historia? Cum Deus eum sibi in servum perpetuum elegisset, et caput gloriosum populi dilecti, unde Christus erat nasciturus, constituisse, statim de propria domo expulit, de sua cognatione segregavit, de medio consanguineorum, affinium, et amicorum eduxit, et ad longinquam peregrinationis regionem deduxit, ut ibi eum perficeret, et præmiis tam temporaliibus quam æternis commutaret. Unde habetur Genesis 12 : « Dixit Dominus ad Abraham : egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi ; faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus ; benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ. » Quod si permissus est Sarai uxorem suam et Lot filium fratris sui, universamque substantiam quam possederat, et animas quas fecerat in Haran, secum deducere, hoc ideo fuit, quia memoratae personæ, naturali nexu Patriarchæ sancto connexæ, jam sanctæ erant, et exemplo ipsius amplius sanctificandæ ; substantia vero rerum, quam secum transportavit, sic leviter ipsi adhærebat, quod quasi nihilum reputabat, ut testatur sanctus Gregorius, Libro 10 Moralium, C. 16 et 17, et ex his sancti Patriarchæ verbis, « loquar ad Dominum Deum meum, cum sim pulvis et cinis, » ac evidenti demonstrat ratione, dicens : « Quid itaque iste divitias suas aestimare noverat, qui semetipsum pulverem cineremque pensabat? Aut quomodo hunc res possessæ extollerent, qui de se quoque, earum videlicet possessore, tam abjecta sentiret? »

Aliud in veteri testamento de sancto Job exemplum habemus,

qui, ut ab omni terrenorum affectu, non solum bonorum fortunæ, sed etiam filiorum quos forte plus nimio diligebat, perfecte purgaretur, horum omnium privatione brevi purificatus est : sola ejus uxor ipsi ad exercitum patientiæ, et ad majorem purgationem videtur relictæ. Hic vir in terra Hus infideli erat simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo, quem propterea voluit omnino Deus perficere ; unde primo de ditissimo inter orientales, sublata per latrones, vel per ignem cœli consumpta omni ejus substantia, pauperrimum effecit, ut esset typus Christi Domini, qui, cum dives esset ac omnium supremus dominator, pro nobis egenus factus est; deinde filios ejus et filias una die convivantes miseranda domus obruit ruina ; tandem ulcere pessimo daemonis malitia percussum ad sterquilinium reduxit, ubi testa saniem radebat. Et quia in temptatione fidelis inventus est, Dominus benedixit illum benedictione cœlesti, non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus ; dicitur enim, Capite ultimo historiæ ipsius : « Dominus autem benedixit novissimis Job magis quam principio ejus, priorem namque substantiam quam amiserat, parentum et amicorum liberalitate duplicavit, ac filios filiasque perfectione meliores restituit, quamvis tantum numero æquales, et ad extremam senectutem cum omni felicitate perduxit ; post hæc enim vixit centum quadraginta annis, et vidi filios suos, et filios filiorum suorum usque ad quartam generationem, et mortuus est senex et plenus dierum. »

Tertium tandem in lege gratiæ, nec minus admirabile, in persona sancti Eustachii habemus exemplum. Hic vir, genere, opibus, et militari gloria inter Romanos insignis, cum miraculose inter venandum aspectu Christi, e cruce pendens inter cornua cervi quem insequebatur, conversus fuisset, et ad perfectionem christiane militiae vocatus, a Christo præmonitus fuit quanta deinceps sibi pro ejus gloria preferenda essent, ut sic a præteritis imperfectionibus omnino purgaretur. Quocirca, incredibiles calamitates mira patientia perpassus, brevi in summam egestatem redactus est; cumque clam se subducere cogitaret, in itinere conjugem primum, deinde etiam liberos sibi miserabiliter ereptos ingemuit, tantisque obvolutus miseriis et ærumnis in regione longinqua villicum agens longo tempore delituit ; sed hoc medio perfecte purificatus, iterum voci cœlesti et illustratione divina recreatur, et

tandem, ad summam cum Deo unionem perveniens, sanctissimam pro ipso in gloriose martyrio animam dedit.

Non dubium, quin haec purgatio per jacturam omnium sensibilium amara sit, sed si patienter de manu Domini suscipiatur, dulcescet, et qui eam sic suscepit infallibiliter cum sanctissimo Job dicet : « Nudus egressus sum de utero matris meæ; et nudus revertar illuc ; Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum. » Ad hanc divinæ voluntati resignationem plurimum conferet, si is qui talium rerum patitur jacturam, consideret certoque sibi persuadeat haec ita expedire, et provenire Deo sic disponente in bonum suum, qui ipsum tanquam electum summe diligit, qui perfecte scit quæ convenient ipsi, et qui omnipotentia sua potest ipsi quæ magis expediunt concedere. Quod nos Deus summe diligit, ipsemet factetur dicens unicuique nostrum: « Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui, » et manifeste probant quæ nobis fecit, et quanta pro nobis passus est. Quod Deus perfecte sciatur quæ nobis conyenient, manifeste patet: ipse namque novit omnia et cor humaanum solus scrutatur. Quod denique possit nobis quæ magis expediunt concedere, constat ex eo quod « est omnipotens, in cuius ditione cuncta sunt posita, et non est qui possit ejus resistere voluntati, si decreverit salvare Israël, » ut sanctissima Esther regina confitetur. Ex his magnæ consolationis motiva colliget, qui omnium sensibilium jacturam patitur, et impatientiæ ac nimiae tristitia sensum excludet; quia summa Dei dilectio, qua fideles servos suos viam perfectionis recenter ingressos prosequitur, efficit ut illis quæ convenient ad ejus intentum provideat; sapientia, qua singula novit et scrutatur, facit quod in electione mediorum non fallatur, et quæ magis convenient semper eligat, unde dicitur quod « in sua dispositione non fallitur; » omnipotentia, qua de omnibus ad libitum disponit, infallibiliter, indeclinabiliter, et certissime effectum intentum inducit, unde semper evenit quod efficaciter evenire decrevit, et sic ejus decreta nunquam irritantur, nec providentia fallitur. Quæ in creaturis non ordinarie conjunguntur; nam, licet aliquis alium diligat, ipsique bonum procuret, non tamen semper scit quid ei magis expediat, et saepius in sua fallitur electione; et quamvis sciret quid magis expedit, non semper tamen potest illud præstare.

## ARTICULUS V.

PURGATIO PASSIVA PARTIS SENSITIVÆ PERFICITUR ALIQUANDO  
PRIVATIONE BONORUM CORPORIS.

Quo magis sunt intrinseca et propria bona, quibus privamur, eo privatio illorum sensibilior est, et perfectius affectum purgat, si debito modo de manu Domini suscipiatur. Nec latuit ipsum inimicum humani generis, qui cum divina permissione sanctissimum virum Job omnium bonorum fortunæ jactura, et crudeli filiorum nece durius afflixisset, et sua malitia nesciens dispositioni Dei cooperando, purgasset, videns ipsum in tanta tamque universali persecutione circa res exteriores manere constantem ac immobilem, dixit : « Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua; alioquin mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem, et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.» Contingit tamen aliquando, quinimo frequentius, quod parentes plus diligent filios, quam se ipsos, ut optime noverat judex ille, qui, cum a reo, crudeli gehennæ diutius applicato, delicti confessionem extorquere non posset, statim ac eidem gehennæ rei filium applicuit, ad lamenta filii clamantis, pater delictum confessus est, affirmans se in filii compassionē torqueri dirissima animæ poena, cum antea tantum in corpore torqueretur.

Sub bonis corporis sequentia numeramus, perfectam videlicet sanitatem, connaturalem omnium membrorum usum, non impeditas quinque sensuum operationes, decentem pulchritudinem, et alia hujusmodi, in quibus homines, carnales præsertim, magnam beatitudinis partem, et aliquando totalem beatitudinem constituunt, ipsique viri spirituales; vel suimet amore naturali, vel aliis motivis inducti, prædictorum omnium fruitionem sibi necessariam, eorumque privationem quasi virtutis impedimentum arbitrantur; sed sæpe decipiuntur, nam aliquando Deus electis servis suis, præsertim incipientibus, prædictorum bonorum corporis privationem misericorditer causat, non solum ad meriti augmentum, verum etiam ad plurium imperfectionum passivam purgationem. Unde quibusdam infirmitates ordinarias, et aliquando continuas, aliis membris alicu-

ius carentiam, aliis sensus alicujus privationem, aliis denique corporalem immittit deformitatem, quibus eos perfecte purificatos sanctificet, ut in sanctorum historiis manifestum habetur, et sigillatim eorum exemplis demonstrabitur.

Legimus in vita sanctæ matris nostræ Theresiæ, quomodo duris et pene continuis infirmitatibus Deus eam in principio suæ conversionis affixerit : volebat misericors Dominus hanc electam suam, quam ad sanctitatis fastigium adducere decreverat, ab hominum conversatione, ut plurimum nociva, segregare, et aliquas etsi leves purgare maculas per illam contractas, ut sic ab humanis separatam sibi copularet. Cum enim hæc virgo electa miris animæ et corporis naturalibus donis refulgeret, omnium cum quibus agebat, alliciebat et captivabat affectum : et cum aliunde, quasi piaculum ingrati judicaret animi, non redamare amantes, humanae fuissest implicata societati, si Deus eam mediis infirmitatibus non liberasset. Et de sancta Ludovina legimus, quod continua infirmitate decumbens, et acutis pressa doloribus, a juventutis imperfectionibus sic purgata fuit, ut brevi ad altissimum sanctitatis gradum pervenerit.

Legimus alios alicujus externi sensus privatione, puta cæcitatem, vel surditatem, vel gustus corruptione mire purgatos. Et quidem cæcitatem purgatum legimus in sacra Scriptura Tobiam; non enim casu, vel in pœnam peccatorum ei cæcitatem advenisse credendum est, ut temere uxor ipsius judicabat, sed paterna Dei providentia, qui tali tentatione suum fidelem servum tentare et purgare voluit, ut Raphaël Archangelus ipsimet exposuit dicens: « Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. » Hæc probatio et purgatio satis est amara, si secundum hominem judicemus, ut indicat ipse met sanctus Tobias; cum enim Raphaël Archangelus, sub persona juvenis ad eum introductus, salutando dixisset: « Gaudium tibi sit semper, » respondit salutanti: « Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? » Et certe, sicut visu plurimum homines delectantur, omnia sibi grata videndo, sic cæcitate plurimum affliguntur, dum nihil vident eorum, quæ sibi solatium aliquod afferre possunt. Alios legimus a Deo surditate purgatos : maxima namque probantur afflictione, dum concessionem, spiritualium instructionum, et salutarium admonitionum beneficio carent, nec divinarum laudum cantu recreari possunt. Alios etiam

legimus privatione vocis seu loquelæ probatos: plurimum enim affliguntur, dum sua peccata confiteri vix possunt, dum sui spiritus rationem directori reddere nequeunt, dum a canendis laudibus divinis interdicuntur. Alios etiam legimus gustus privatione vel etiam corruptione purgatos: audivi de V. P. N. Dominico a Jesu-Maria, quod, ut pateretur comedendo, ubi solet delectatio percipi, a Domino precibus obtinuit quod omnia quæ comedebat, non solum insipida, sed etiam gustui forent ingrata.

Solet alios Deus alieujus membra dolore vel cruciatu purgare. De V. P. Dominico a sancta Theresia, cuius superius, articulo 2, mentionem fecimus, didici quod pene continuo capitum dolore vexabatur, nisi dum ex superiorum mandato concionabatur: ut enim debite tali vacaret functioni, dolor hujusmodi suspendebatur. Habetur in vita B. P. N. Joannis a Cruce quomodo per aliquot menses acutissimo eruris dolore purificatus fuit. Et in sacra Scriptura legimus, quomodo Job, vir sanctissimus, daemonis quidem malitia, sed tamen benigna Dei dispositione, totius corporis universali dolore fuerit purgatus; dicitur enim Cap. 2 historie ipsius, quod «egressus Satan a facie Domini percussit eum ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem capitum, et quod testa saniem radebat sedens in sterquilinio.»

Alios purgat Dominus connaturali vel adventitio quodam humore malo, flavæ scilicet vel atræ bilis, quo et sibi et aliis intollerabiles aliquando redduntur: mirum est quantum affligantur, qui simili humore moti, vel impatientiæ, vel nimiæ tristitiae sensum patiuntur. Sed, quamvis sint aliis importuni, compassionem tamen digni sunt, quamdiu infirmitate naturali, et non electione malitiosa, sui humoris venenum effundunt.

Tandem alios purgat notabili corporis deformitate, et maxime mulieres, quæ pulchritudinem connaturalius et avidius expetunt et affectant: unde maxime laudantur aliquæ, quæ, ne ad matrimonii vinculum compellerentur, vel faciem sibi deturparunt, vel capillos abraserunt, vel alio notabili modo corpus deformarunt; et multo magis sanctæ virgines illæ beatificantur, quæ, capto prope Massiliam a piratis earum monasterio, cuius adhuc visuntur reliquiae, sibimet amputato naso, deformes et horridæ sic effectæ sunt, ut non solum despectæ, sed et trucidatae sint; unde et virginitatis laureolam sibi debitam conservarunt, et martyrii palmam generoso hoc facto meruerunt.

Plures alii modi purgationis in bonorum corporis privatione possent assignari, sed dicta sufficient ad nostræ doctrinæ confirmationem ; hæc namque satis manifesta sunt, nec majori indigent probatione.

Qui tali modo purgantur, ut facilius, imo et cum suavitate purgationem subeant, præter generale remedium patientiæ et conformitatis cum divina voluntate, debent considerare, non solum quot bona virtutis et meriti ex hac purgatione procedant, sed etiam quot mala vitentur. Per infirmitates, præsertim continuas, discunt quam vere dicat Augustinus in Confessionibus : « O amatores mundi, cuius rei gratia militatis ? Major non esse poterit spes vestra in mundo, quam ut amici mundi sitis : ibi quid nisi fragile, plenum periculis, et per quot pericula pervenitur ad majus periculum ! Pereant hæc omnia, et dimittamus hæc vana et inania ; conferamus nos ad solam inquisitionem eorum, quæ finem non habent ; vita hæc misera est, mors incerta subito obrepit, et post hæc negligentia pœna supplicio luenda est ; » discunt doctrinam sancti Gregorii, in Registro dicentis, quod « pro magno diligi non debet, quidquid fine concluditur, et quod illa appetenda, illa summopere diligenda, quæ nec inventa transeunt, nec adepta deficiunt. » Insuper humana dissolvitur conversatio, maxime periculosa, ut deinceps eorum conversatio sit in cœlis. Per cæcitatem, quot periculis liberantur ! Mors enim insensibiliter intrat per fenestras, et Spiritus Sanctus præcipit ut avertamus oculos nostros ne videant vanitatem : facilius divina per oculos mentis contemplantur, qui terrenis clausos habent oculos carnis. Per surditatem et loquelæ privationem, ab ordinariis murmurandi, detrahendi, deridendi, et similium imperfectionibus eximuntur.

Quod si hujusmodi sensuum externorum appetant, et a Deo possulent usum, non universalem desiderent, sed particularem tantum in ordine ad divinum cultum. Legi in vita venerabilis matris Elizabethæ a sancto Dominico, discipulæ S. M. N. Theresiæ, quomodo quædam monialis carmelitana, visu privata, suis meritis a Domino obtinuerit ut, cum nihil aliud in hoc mundo videret, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum posset videndo venerari : unde, tempore sacrificii, cum aliis ad crates accedebat, et causam interrogata respondebat, simul concessum videndi privilegium secreto retinens : « Quamvis non videam, ut dicitis, Sanctissimum Sa-

cramentum, Deus tamen in eo existens me videt. » De alia moniali ordinis sancti Bernardi legi, in authentico ejusdem testimonio, quomodo, privata loquendi facultate, meritis et reliquis venerabilis matris Annæ a sancto Augustino, discipulæ S. M. N. Theresiæ, quoties volebat, positis in ore capillis ipsius, facile loquebatur; cumque aliquando simili favore fuisset abusa, ut alteri convitianti cum ira responderet, et illa improperaret quod re sancta in malum finem uteretur, sensit se tali favore privatam; sed facti pœnitens, et se indignam hujusmodi gratiæ confitens obtinuit, meritis et reliquiis suæ patronæ, non universalem usum loquendi, qui in malum cedere posset, sed tantum particularem tempore confessionis, aut quando confessarius ipsius loqui præcipiebat, quod in bonum animæ semper cedebat. Has igitur imitantur, qui sensuum usu privantur.

## ARTICULUS VI.

### PURGATIO PASSIVA PARTIS SENSITIVÆ PERFICITUR ALIQUANDO CARENTIA BONORUM ANIMÆ.

Cæterorum omnium bonorum, tam externorum quam internorum ipsius corporis, privatio tolerabilis, imo suavis est, quamdui quis se eam pro Christo credit tolerare, et simul prædictorum affluentia bonorum amarescit, ut ait Bernardus in Cantica: « Cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere mundum. Sed in hac purgatione passiva partis sensitivæ, vir devotus, per subtractionem gratiæ sensibilis, sic obscuritatibus involvitur, ut potius se derelictum et inimicum Dei judicet quam amicum, potius se ei displicere credit quam placere, ita quod vereatur omnia opera sua.

Carentia bonorum animæ duplice accidit. Primo, per subtractionem alicujus solatii vel suavitatis spiritualis, cui, ut plurimum, incipientes inordinate adhærent, vel quia non puritatem spiritus, sed tantum sensibilem aliquam consolationem querunt, vel quia plus nimio rebus alias sanctis addicuntur. Unde legimus in Evangelio, quod Christus Dominus suis dixit Apostolis: « Nisi ego abiiero, Paraclitus non veniet ad vos; cum assumptus fuero, mittam vobis eum. » Querentes sancti Patres et expositores hujus proposi-

tionis dominicæ causam, asserunt apostolos sensibili affectu Christo nimis addictos, et illos oportuisse per absentiam ipsius purgari, ut condigne ad Spiritus Sancti receptionem pararentur, et apte gratiarum ejus infusioni disponerentur. Possumus etiam dicere, quod Christus Dominus adhuc parvulus se Sanctissimæ suæ Matri subtraxit, non quod aliqua imperfectio dilectioni ipsius misceretur, hæc namque Sanctissima Virgo prorsus omni caruit imperfectione, sed ad patientiæ et meriti incrementum, ut, ex concepto dolore de absentia filii magis disposita, firmius eidem invento cohæreret. Si hæc carentia suavitatis spiritualis sanctis apostolis et Sanctissimæ Virgini Dei Genitrici fuit necessaria, tanquam dispositiō majoris sanctitatis et perfectioris cum Deo unionis, quamvis nihil, aut parum in aliquibus esset purgandum, quanto magis necessaria est incipientibus, qui multis subjacent miseriis, et plurimis infecti sunt imperfectionibus !

Secundo, contingit per justam peccatorum permissionem : « Nihil fit, ait Augustinus, nisi Deo volente vel permittente ut fiat. » Duplici ergo Deus decreto circa humanas se habet actiones, circa bonas prædefiniendo positive, circa malas permissive. Quod aliquis vir sanctus aliquando cadat in peccatum etiam mortiferum, post longum pœnitentiæ rigorem, post longam inculpatæ vitæ durationem, occulto sed semper justo Dei judicio contingit; sed hæc permissio non in malum, sed in bonum electorum, non in ruinam, sed in gloriam ipsorum cedit: ex infirmitate quippe vires colligunt, et ex miserabili casu, Dei misericordia excitati, gloriosius resurgent, dum propriam agnoscentes miseriam auxilium divinum humiliter implorant, et, qui prius negligenter, nunc caute per viam salutis incedunt. Unde etiam in hoc casu posset illud sancti Gregorii effatum assumi: « O felix culpa, quæ tales ac tantam meruit habere redemptionem ! » Non cessant de sua miseria conqueri, et in intimis animæ præcordiis sic eum Regio Propheta Deum alliquuntur: « Usquequo, Domine, oblisceris me in finem ? Usquequo avertis faciem tuam a me ? Quamdiu ponam consilia in anima mea (evitandi peccata), dolorem in corde meo per diem (de peccatis commissis) ? Usquequo exaltabitur inimicus meus super me (quasi victor et de meo lapsu triumphator) ? Respice, et exaudi me, Domine Deus meus: illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte (spirituali animæ), ne quando dicat inimicus meus (diabolus) : prævalu

adversus eum : qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero (peccatis consentiendo); sed quicquid accidat, ego in misericordia tua sperabo, nec confundar in aeternum ; et cum me de peccatis exueris, et eorum recordatione ac pœnitentia purgaveris, « exultabit cor meum in salutari tuo ; cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi. »

Quamvis autem major de peccatis lethalibus, quam de venialibus dolor esse debeat, sunt tamen aliqui viri sancti, qui Deo in omnibus complacere volentes, de minimo veniali peccato sic dolent, ac si magnum aliquod piaculum commisissent, ut legimus de sancta Gertrude, que, levibus commissis imperfectionibus seu negligentiis, amaro et vulnerato corde cum Deo conquerebatur, quod seipsam in tantas cadere miserias permitteret, et toto cordis affectu ab eo postulabat, ut se ab illis liberaret. Sed Domini responsione cognovit has leves culpas ad perfectam ipsius purgationem concurrere, dum earum consideratione ad abjectam aestimationem sui deveniebat, et quod humilitas inde concepta plus Deo placebat, quam leves illæ culpæ, non ex malitia, sed ex hominum infirmitate procedentes, displicerent.

Unde debent, qui hujusmodi purgationi divinis ordinationibus vel positive, vel tantum permissive addicuntur, cum maxima cordis humilitate subjici; cum hac tamen differentia, quod si predicta spiritus suavitate priventur, credant se illa penitus indignos, et quod propter peccata præterita potius infernali gehenna torqueri, quam deliciis animæ recreari merentur; si autem in peccata permittantur cadere, suam agnoscent infirmitatem et indigentiam, ac divinam misericordiam humiliter implorent, ut se ab illis liberet miseriis, et simul discant aliis peccantibus ignoscere, nec graves sibi ipsis, nec aliis intolerabiles reddantur.

Quomodocumque vero ex his modis affligantur, juxta consilium sanctorum Patrum et directorum spiritualium, tandem consolen-  
tur. Audiant Taulerum, 11 Instit. dicentem: « Verumtamen, o anima nobilis, in afflictione qualibet constituta, ad memoriam revocare studebis omnia Christi suavia dicta pro confortatione tui, ut est illud : sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos (Joannis 15); et sanctissima promissa illius, ut verbi gratia : omnes capilli capitis vestri numerati sunt ; et, capillus de capite vestro non peribit (Lucæ 21); et, fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum (Mat-

thæi 10) ; et, cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (Matthæi 13); et, in afflictione, et mortis angustia respicite et levate capita animarum vestrarum in gaudio, quoniam appropinquat redemptio vestra (Lucæ 21). Denique, quicumque tales sunt milites Christi, cum Apostolo fidenter dicunt : Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete. Si vero, o amans anima, non illico sub oratione tua, in qua crucem et afflictionem tuam Deo obtulisti, divinam tibi sentis adesse consolationem, ne, quæso, mireris ; magis enim ille vas tuum adhuc expurgare constituit, antequam in illud divinæ consolationis suæ infundat balsamum. Secura tamen esto, si in orationis ac devotionis instantia perstiteris; dives ac liberalis est Rex tuus; si non illico forte tibi præbuerit merum, ad minus certe vinum dilutum, sive infirmorum, id est solatum internum in lacrimis compunctionis per ministros suos, id est angelos sanctos, etiam te ignorante, tibi præstabit, atque miscebit.» Hæc ille.

Sed amplius et suavius de tribulationum utilitate (undecumque proveniant, sive ex subtractione divinæ gratiæ sensibilis, sive ex peccatorum compunctione, sive aliunde), audiamus S. Bernardum, Serm. 16 in Psalmum « Qui habitat. » Ejus verba non tantum faciles, sed etiam desiderabiles reddent afflictiones; ait autem: « Utilis tribulatio, quæ probationem operatur, dicit ad gloriam: cum ipso sum, inquit, in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. Agamus gratias Patri misericordiarum, qui nobiscum est in tribulatione, et in omni tribulatione nostra nos consolatur. Res enim, ut dixi, necessaria, tribulatio quæ in gloriam vertitur, tristitia quæ mutatur in gaudium, gaudium sane longum, quod nemo tollit a nobis, gaudium multiplex, gaudium plenum. Non contemnamus, fratres; semen modicum est, magnus exinde fructus exurgit; forte insipidum, forte acerbum est, forte granum sinapis. Non consideremus quæ videntur, sed quæ non videntur in eo: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Prælibemus primitias gloriae, gloriemur in spe gloriae magni Dei; non solum autem, sed, ut dicam expressius, gloriemur in tribulatione, in ea siquidem spes gloriæ est. Vide si non hoc ipsum docere voluit Apostolus, cum subjunxit: Quoniam tribulatio patientiam operatur, etc.; manifeste advertere est, in his verbis cum præmisisset Apostolus gloriari in spe, non aliud aliquid, sed amplius

eum addidisse dicendo : non solum autem, sed et gloriari in tribulationibus; non enim altera gloriatio commendatur, sed additur ubi spes gloriæ, ubi ipsa spei gloriatio requiratur : siquidem in tribulatione spes gloriæ ; imo et ipsa in tribulatione gloria continetur, sicut spes fructus in semine, sicut et ipse fructus in semine est. In hunc modum etiam modo regnum Dei intra nos est, thesaurus ingens in fictili vase, in agro vili. Est, inquam, sed absconditum est : felix qui ibi invenerit illud. Quis ille ? nempe qui magis cogitaverit messem, quam sementem. Oculus fidei invenit hunc thesaurum, non secundum faciem judicans, sed videns quæ non apparent, sed intuens quæ non videntur. Quam veraciter hunc thesaurum invenerat, quem volebat inveniri et ab aliis, qui dicebat : Momentaneum hoc et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Non dixit, remunerabitur, sed, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Latet gloria, fratres mei, abscondita nobis est in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc levi pondus sublime, et supra modum. Interim ergo festinemus emere agrum istum, emere thesaurum istum, qui absconditus est in agro. Omne gaudium existimemus, cum in varias inciderimus tribulationes. Dicamus ex animo, dicamus ex sententia : Bonum magis ire ad domum luctus, quam ad domum convivii ; cum ipso sum in tribulatione, ait Deus ; et ego aliud interim requiram, quam tribulationem? Mihi autem adhærere Deo bonum est : non solum autem, sed et ponere in Domino spem meam, quia eripiam eum, inquit, et glorificabo eum. Cum ipso sum in tribulatione : deliciæ, inquit, meæ esse cum filiis hominum ; Emmanuel, nobiscum Deus. Ave gratia plena, ait Angelus ad Mariam, Dominus tecum : in plenitudine gratiæ nobiscum est, in plenitudine gloriæ erimus nos cum eo. Descendit, ut prope sit his qui tribulato sunt corde, ut nobiscum sit in tribulatione nostra; erit autem, quando rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus, si tamen curemus interim eum habere nobiscum, ut sit comes viæ, qui patriæ redditor est futurus; imo qui tunc patria, modo sit via. Bonum mihi, Domine, tribulari, dummodo ipse sis mecum, magis quam regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quam esse sine te vel in cœlo. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram ? Aurum probat fornax, et

viros justos tentatio tribulationis : imo cum eis es, Domine, ibi in tuo nomine congregatis medius adstas, sicut olim cum tribus pueris es dignatus etiam ethnico apparere, ut diceret : quia species quarti similis Filio Dei. Quid trepidamus, quid cunctamur, quid refugimus hunc caminum ? Sævit ignis ; sed Dominus nobiscum est in tribulatione : si Deus nobiscum, quis contra nos ? Nihilominus quoque si ille eripit, quis est qui rapiat de manu ejus ? Quis est qui de manu ejus possit eruere ? Postremo, si ille glorificat, quisnam alias inglorium faciet ? Si ille glorificat, quis humiliabit ? Audi denique, quanam gloria ipse glorificet : longitudine, inquit, dierum replebo eum. » Hactenus sanctus Bernardus.

Hanc orationem persuasivam, et demonstrationem mellifluam, quamvis satis prolixam, hic adduxi pro coronide præsentis Discursus, ut qui in parte sensitiva tribulationibus exercetur, non solum in illis conservet patientiam, sed etiam superabundet consolatione ; et non tantum fructum temptationis, verum etiam et saporem percipiat : sicque purgationis hujus effectum consequetur, et ejus amaritudinem non gustabit, similis illi effectus, qui corporaliter infirmus purgari desiderat, et aliunde purgationis amaram potionem reformidat : solet enim eam vel saccharo, vel alio liquore suavi condire, ut sic absque horrore et fastidio sumat ; quod si potionem non prius condimento suavem efficerit, solet statim post potum aliquid arridens gustui sumere, ad hoc ut potionis amaritudinem, vel insipiditatem ex proprio gustu repellat.

### DISCURSUS III.

#### DE PURGATIONE PASSIVA PARTIS INTELLECTIVÆ.

Quamvis hæc purgatio non immediate sequatur purgationem passivam partis sensitivæ, ordinarie loquendo (solet enim proficienibus post longum contemplationis exercitium, et copiosam rerum supernaturalium communicationem advenire), quia tamen aliquando præcedenti purgationi sensitivæ conjungitur, et maxime propter connexionem materiae, de illa nunc agitur.

## ARTICULUS I.

## QUID SIT PURGATIO PASSIVA PARTIS INTELLECTIVÆ.

Hæc purgatio passiva partis intellectivæ multo terribilior et horribilior est, quam sit purgatio passiva partis sensitivæ; quod colligitur, tam ex principio formali, quam ex motivo finali utriusque. Ex principio quidem formali, quia purgatio passiva partis sensitivæ habet pro causa formali solam subtractionem gratiæ sensibilis, ut dictum est; purgatio vero passiva partis intellectivæ habet pro causa formali divinam illuminationem, sive radium divinæ contemplationis infusæ, quæ intima cordis arcana manifestat, et minimos ac levissimos etiam defectus animæ detegit (ex quo dolor ingens et angustiæ inexplicabiles, ac suiipsius odium et horror exsurgunt), et ex nimia contemplationis luce, improportionata subjecto propter ejus impuritatem, offuscatur intellectum et palpabilibus tenebris involvit: propterea sanctus Dionysius radium hunc vocat tenebrarum. Constat autem quod, etsi subtractio gratiæ sensibilis causet aliquam afflictionem, multo majorem causat aperta propriæ infirmitatis et miseriae notitia. Ex motivo etiam finali habetur, quod purgatio passiva partis intellectivæ multo terribilior et horribilior est, quam sit purgatio passiva partis sensitivæ; cum enim hujusmodi purgatio spiritualis, tam partis sensitivæ, quam intellectivæ, sit prævia dispositio perficiens et præparans subjectum ad aliquid bonum superius, cui secundum se erat improportionatum, inde est quod, quanto subjectum est magis improportionatum bono quod debet recipere, vel fini cui debet uniri, tanto major requiritur dispositio qua proportionatum reddatur, et consequenter major et efficacior purgatio. Manifestum est autem, quod per purgationem partis sensitivæ pars inferior disponitur, ut sit superiori proportionata, eique perfecte subordinata, ne spirituales ejus et mysticas operationes impedit; per purgationem vero partis intellectivæ, pars superior animæ disponitur, ut Deo per cognitionem et affectum uniatur perfecte. Unde, cum sit infinite major distantia inter creaturam rationalem et Deum, cui perfecte per suas operationes illa conjungi debet, quam sit inter partem inferiorem

et superiorem ejusdem naturæ et suppositi, ut ex se patet, cum hic extrema distantia sint in eodem naturali ordine, illic autem unum extremum sit ordinis naturalis, et aliud ordinis supernaturalis, ad quem primum per hanc purgationem elevari debet; sequitur quod purgatio passiva partis intellectivæ necessario debet esse major, quam sit purgatio passiva partis sensitivæ.

Unde, si in purgatione passiva partis sensitivæ portio cognoscitiva repleatur obscuritatibus, et portio affectiva exsiccatur ariditatibus, in purgatione passiva partis intellectivæ, intellectus tenebris obvolvitur, et voluntas angustiis velut confunditur et annihilatur: propterea, si prior illa purgatio noctis obscuræ nomen obtinet, hæc posterior noctis omnino tenebrosæ et horridæ merito nuncupabitur; et si in illa admittuntur ordinariae tenebrae, in ista palpabiles et extraordinariae dominantur. Vix sermone potest, etiam ab expertis, exprimi quantæ sint hujus noctis angustiæ, quantus horror, et quam intima spiritus afflerti tribulatio. Hæc possunt utcumque declarari propositis sacrae Scripturæ testimoniis et similitudinibus. Psalmo 17, inducit anima, simili purgatione cruciata, Deum invocans et dicens: «Diligam te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus; Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum; protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus; laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero;» et statim subjugens quas patitur angustias, ac mortis et inferni doloribus comparans, ait: «Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis (scilicet propriæ in hac obscura nocte manifestatæ) conturbaverunt me; dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis; in tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi.» Et Psalmo 68, exclamat qui simili modo purgatur: «Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam; infixus sum in lino profundi, et non est substantia; veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me; laboravi clamans, raucae factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.» Et Psalmus 87 videotur totus esse dolorosa quædam oratio, et affectuosa querela animæ in his angustiis constitutæ; unde ait: «Domine, Deus salutis meæ, in die clamavi, et nocte coram te, quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit: æstimator sum cum descendantibus in lacum, factus sum sicut homo sine adjutorio inter

mortuos liber ; sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt ; posuerunt me in laeu inferiori, in tenebrosis et in umbra mortis ; » et quia in hoc statu credit anima Deum sibi infensum, quod crudelius præ cæteris eam torquet, statim subjungit : « Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti super me ; longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi; traditus sum, et non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia ». Et ad incrementum doloris, credit anima sic derelicta, quod Deus iratus ipsam spernit, nec orationi ejus attendit ; unde, post paucā, quæ lamentis ejus congruunt, prosequitur dicens : « Et ego ad te, Domine, clamavi, et mane oratio mea præveniet te ; ut quid Domine repellis orationem meam ? Avertis faciem tuam a me ? Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea ; exaltatus autem (medio scilicet inter utramque purgationem tempore), humiliatus sum et conturbatus ; in me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me, circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul, elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria ; » quia videlicet, anima sic afflita non invenit facile, qui latens malum suum agnoscat, et qui eam consoletur.

Sed audiamus Jonam Prophetam, qui in mediis doloribus corporis spirituales has angustias et tribulationes expertus est. Dominum alloquens et in ipsum sperans, sic ait : « Projecisti me in profundum in corde maris, et flumen circumdedit me ; omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt ; et ego dixi : abjectus sum a conspectu oculorum tuorum, verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum ; circumdederunt me aquæ usque ad animam, abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum, ad extrema montium descendii, terræ vectes concluserunt me in æternum, etc. »

Hic est status commiseratione dignus eorum, qui hac purgatione passiva partis intellectivæ purificantur. Post transactam partis sensitivæ purgationem, postevacuatas ejus obscuritates et ariditates, ad suavem viae illuminativæ statum devenerant : credebant quod jam hyems transierat, quod imber abierat et recesserat, et quod in posterum ver et aestas flores et fructus suos essent producturi, cum subito majoribus agitantur tempestatibus ; licet enim interdum in via illuminativa obscuritates et aridates paterentur, non tamen diu perseverabant, pristina nam-

que redibat serenitas et suavitas ; nunc autem perpetuae tenebrae, et continua tribulatio spiritus, quae magis sentiri potest quam explicari. Antequam causas et radicem hujus purgationis adducamus in sequentibus articulis, et diversa media proponamus, Discursu sequenti, quibus perficitur, conveniens duxi, ad majorem ipsius notitiam, proponere verba Beatæ Angelæ de Fulginio, cuius sacras veneratus sum reliquias. Hæc igitur mulier sanctissima, in mediis illis tenebris et horrore mortis et inferni constituta, sic loquitur, experta pene singulas hujus purgationis amaritudines : « Ne magnitudo aut multitudo revelationum (sunt ipsissima verba authoris ejus Vitæ, Cap. 19) et visionum me extolleret, et ne earum delectatio me super me efferret, datus est mihi multiplex tentator, qui multiplici tentatione et afflictione me affligat : affliger enim tam in corpore quam in anima ab eisdem. Corporis enim sunt tormenta innumera, a multis dæmonibus multipliciter excitata : vix enim credo quod scribi possent passiones et infirmitates mei corporis; nam non remanet in me aliquod membrum, quin horribiliter patiatur. Nunquam enim sum sine dolore, sine languore, continue sum debilis et fragilis, plena dolore, sic quod continue oportet me jacerem. Non est in me membrum, quod non sit percussum, tortum, et pœnatum a dæmonibus, et semper sum infirma, et semper tumefacta, et plena doloribus in omnibus membris meis, sic quod cum magna pœna possum me movere, et sum fatigata jacere, nec etiam comedere ad sufficientiam possum. » Hæc, licet ad purgationem passivam partis sensitivæ reduci possent, conjuncta tamen acerbis animæ afflictionibus, quibus cooperantur, pertinent ad hanc purgationem partis intellectivæ.

« Tormenta vero animæ et passiones, subjungit, quas sine comparatione acerbiores et plures esse dico quam corporis, patior quasi assidue ab ipsis dæmoniis. Nec scio aliam assignare similitudinem, nisi de homine suspenso per gula in, qui, ligatis manibus post tergum et velatis oculis, suspensus cum fune remansisset in patibulo, et viveret; cui nullum auxilium, nullum remedium vel fulcimentum remansisset. Et dico quod adhuc desperatius et crudelius a dæmonibus torqueor: video enim quod dæmones ita animam meam suspendunt, quod, sicut suspensus non habet aliquid sustentamenti, ita animæ nullum videtur remanere sustentamentum, et omnes virtutes animæ subvertuntur, sciente et aspiciente anima mea. Et quando

anima mea videt subverti omnes virtutes et discedere, et quod non potest se ibi opponere, est tantus dolor animæ, quod vix aliquando possum plorare propter desperatum dolorem et iram; aliquando vero irremediabiliter. Aliquando etiam tanta ira venit in me, quod vix possum me tenere, quin me totum dilaniem. Aliquando vero non possum me tenere, quin horribiliter me percutiam, et percutiendo meipsam tumefeci aliquando caput meum et alia membra. Et quando anima videt cadere et discedere omnes virtutes, fit planctus animæ, et vociferor ad Deum meum.

« Item aliud tormentum patior, quia omnia vitia in me revixerunt, et aliquando reviviscent; non quod sint in vita durabili rationem meam subjicientes, sed præbent mihi et afferunt magnam pœnaliatem. Et etiam vitia quæ nunquam fuerunt in meo corpore, veniunt in me, et incenduntur, et afferunt mihi magnam pœnaliatem, sed non habent vitam continuam; et quando remoriuntur, dant mihi magnam consolationem. Video enim quod dæmonibus multis tradita sum, qui reviviscere faciunt vitia quæ horreo, et quæ fuerunt mortua, et addunt illa quæ nunquam fuerunt. Et ego, recordans quod Deus hic fuit afflictus, et despectus, et pauper, vellem quando oportet quod omnia mala mea duplicarentur. Et quandoque sum in tenebra horribilissima dæmonum, ubi videtur mihi omnino deesse omnis spes boni; et est illa tenebra horribilis, et suscitantur vitia in corpore, quæ cognosco intus in anima esse mortua, sed extra animam suscitant ea dæmones; et etiam illa vitia, quæ non fuerunt, suscitantur.

« Sed et anima videt, quod est ei ablata omnis potentia; quamvis non consentiat vitiis, non tamen habet potestatem omnino resistendi vitiis, et videt quod est contra Deum, et sic cadit, et torquetur in eis. Et est quoddam vitium permissum a Deo venire in me, quod nunquam fuit in me, sed aperte et manifeste cognosco quod permittitur a Deo venire in me; et prædictum vitium est tam magnum, quod superat omnia alia vitia; et est quædam virtus, quæ datur mihi manifeste a Deo contra prædictum vitium, qua virtuose a Deo liberor. Et si non haberem ego fidem de Deo certam, solum in isto, et non pro aliquo alio remaneret mihi; et in isto remaneret mihi spes certa et secura, de qua non possum dubitare, et virtus prævalet semper, et vitium deficit; et virtus tenet me, et non permittit me cadere in vitium; et est virtus tantæ fortitu-

dinis, quod non solum tenet me, imo dat mihi tantam fortitudinem virtutis, quod vere in isto cognosco Deum, et illuminor, et confirmor in tantum, quod omnes homines mundi, nec omnia dæmonia inferni, nec aliqua alia res est, quæ posset me movere ad minimum peccatum, et cum ista virtute remanet mihi fides de Deo.

« Vitiū autem est tam magnum, quod verecundor illud dicere, et est tam magnum istud vitium, quod quando prædicta virtus est mihi abscondita, et videtur mihi quod me dimiserit, non est res quæ me posset tenere, nec pro verecundia, nec pro poena aliqua, quin statim ruerem in peccatum: tunc tamen supervenit illa virtus, et virtuose me liberat, ita quod nec ego ipsa possem peccare pro omnibus bonis vel malis istius mundi. Et istos labores sustinui per duos annos et plus.

« Item in anima mea consuevit pugnare quædam humilitas, et quædam superbia tædii grandissimi: humilitas est, quia video me cecidisse ab omni bono, et video me esse extra omnem virtutem, et extra omuem gratiam, et video in me tantam multitudinem peccatorum et defectuum, quod non possum cogitare quod Deus de cætero velit mihi misereri; et video me domum diaboli, et operatricem et credulam dæmoniorum, et video me filiam eorum, et video me extra omnem rectitudinem, et extra omnem veritatem et dignam infimo et ultimo profundo inferni. Et ista humilitas prædicta non est illa humilitas, quam aliquando habeo, quæ facit animam meam esse contentam, et facit animam venire in cogitationem bonitatis divinæ, quia alia humilitas prædicta non adducit mihi nisi innumerabile malum. Unde intus in anima videtur mihi, quod sim tota circumdata dæmonibus, et video defectus in anima et corpore, et est mihi clausus Deus et absconditus in omni potestate et gratia, ita quod nullo modo possum recordari Dei, nec ipsius habeo memoriam, quia nec ipse permittit; et videndo me damnatam, non euro aliquo modo de damnatione mea, quia plus euro et plus doleo, quia offendì Creatorem meum, quem nollem offendisse, nec offendere pro omnibus bonis et malis, quæ possent nominari.

« Unde et videndo offensiones meas innumerabiles prædictas, pugno cum omnibus membris meis, et contra dæmones, ut possim vincere et prævalere contra prædicta vitia et offensiones, et non possum per aliquem modum omnino; et etiam non invenio aliquod

vadum, nec aliquam fenestrellam, nec aliquod animo remedium, per quod possim evadere et me adjuvare; et perpendo quod ego cecidi ita profunde, unde et humilitate frequenter sum inabyssata, et facit me videre peccata mea, et superabundantiam malitiarum mearum et iniquitatum, ita quod non video me posse manifestare nec discooperire ea per aliquem modum. Ut eas simulationes, et iniquitates meas, et peccata mea possem manifestare, vellem ire nuda per civitates et plateas, et vellem appendere ad collum meum carnes et pisces, dicens : hæc est illa mulier vilissima, plena malis et simulatione, et seminatrix omnium vitiorum et malorum : faciebam enim bona ad famam hominum, et faciebam dici omnibus qui invitabant nos : non comedo pisces nec carnes ; et ego eram plena gula et comessatione, et ebriosa ; et ostendebam quod nolebam recipere nisi quantum sufficiebat mihi, et studebam esse pauper exterius ; et ubi jacebam, projiciebam multos pannos, et de mane faciebam eos levari, ne personæ venientes hoc perpenderent.

« Videte animæ meæ diabolum, et cordis mei malitiam ; audiatis quomodo sum hypocrita et filia superbiæ, et quomodo sum deceptrix, et sum abominatio Dei. Et ostendebam me esse filiam orationis, et ego eram filia iræ, superbiæ, et filia diaboli. Et ostendebam me habere Deum in anima, et consolationes divinas in cella, et ego habebam diabolum in anima et in cella. Et sciatis, quod toto tempore vitæ meæ studui quomodo possem habere famam sanctitatis ; et sciatis in veritate, quod propter malitias et simulationes, quæ absconsæ sunt in corde meo, multas gentes decepi, et sum homicida multarum animarum, et animæ meæ.

« Et postea, stando in ista abyssso, volvebam me ad istos fratres meos, qui dicti sunt filii, et dicebam eis : nolite mihi de cætero credere ; nonne videtis vos, quod sum daemonicæ ? Vos qui dicti estis filii, rogate justam justitiam Dei, ut exeant daemonia de anima mea, et manifestent nequissima opera mea, ut non amplius vituperetur Deus per me ; et nonne videtis, quod si non esset malitia in toto mundo, ego replerem totum mundum de abundantia malitiæ meæ ? Nolite mihi plus credere ; nolite plus adorare idolum istud, quia in isto idolo latet diabolus ; et omnia, quæ locuta sum vobis, fuerunt falsa verba, simulata et diabolica. Rogate istam justitiam Dei, ut cadat hoc idolum, et frangatur, et manifestentur opera diabolica ejus, et mendacia, et verba inorpellata et inaurata

quæ dicebam ; quia deaurabam me verbis divinis, ut essem honorata et adorata pro Deo. Rogate, ut diaboli exeant de isto idolo, ut non plus decipiatur mundus per istam feminam.

« Unde rogo Filium Dei, quem nominare non audeo, quod si non manifestari me per memetipsam fecerit, quod faciat me manifestari per terram, ut aperiatur et deglutiatur me, ut facta in exemplum dicant homines et mulieres : o! quomodo erat inorpellata et deaurata, et tota simulata interius et exterius ! Et vellem mittere in collum meum vinculum, vel unam redortam, et facerem me trahi per civitates et plateas, et pueri ducerent me et dicerent : hæc est vilissima illa mulier, quæ toto tempore vitæ suæ ostendit falsum pro vero ; et homines dicerent ac mulieres : o! ecce miraculum quod fecit Deus, quia fecit per semetipsam manifestari, et dici malitias, et iniquitates, et peccata, quæ toto tempore vitæ suæ fuerant absconsa.

« Sed istud dicere parum sufficiebat animæ ; et sciatis quod sum posita in una desperatione, quam nunquam habui isto modo, quia omnino desperavi de Deo, et de omnibus bonis ejus, et feci chartam inter me et ipsum. Et ideo sum certa, quod non est aliqua persona in mundo ita plena omni malitia et damnanda, sicut ego sum ; quia quidquid Deus mihi concessit et dedit, ad majorem meam desperationem et damnationem permisit. Unde rogo vos omnes, ut rogetis istam justitiam Dei, ut non plus tardet extrahere daemonium de isto idolo, et manifestentur nequissima opera quæ intus sunt, quia caput meum dividitur, corpus deficit, oculi mei caligaverunt propter multitudinem lacrimarum, et omnia membra mea disjunguntur, quia non possum manifestare malitias meas, et mendacia animæ meæ ; sed gaudeo, quia jam incepit aliquid manifestari, et omnia ista sine humilitate vera esse in veritate videbam ; et scias quod tu, qui scripsisti, parum scripsisti in comparatione malorum meorum et iniquitatum, et abusionum mearum, quia quando eram parvula, incepi operari mala. Hæc et his similia cogor dicere, prædicta humilitate abyssata et depressa.

« Postea incipit superbia, quia efficior tota ira, tota superbia, tota tristitia, tota amarissima et inflata; et aliam amaritudinem maximam recipio de bonis quæ fecit mihi Deus, quia non recordor illorum ad aliquod remedium, sed ad injuriam, et ad admirationem dolorosam, videlicet quomodo in me nunquam

potuerit esse aliqua virtus, et dubito quod nunquam in me fuerit verax, et etiam non video aliquam rationem quare Deus hoc permiserit. Et tunc, in ista tentatione, omne bonum est mihi clausum et absconditum, quia efficior in tantum tota ira, tota superbia, tota tristitia, tota amarissima, tota inflata, et pœnata, et dolorosa plusquam possum dicere. Quia, si omnes sapientes de mundo, et omnes sancti paradisi loquerentur mihi omnes consolationes ad consolandum me, et promitterent mihi omnia bona quæ dici possunt, et etiam ipse Deus daret mihi, nisi ipse aliter me mutaret, vel nisi aliter operaretur in anima, nullam consolationem mihi darent, nec aliquod remedium mihi afferrent; nec eis tunc crederem; imo omnia essent mihi ad argumentum dolorum et malorum, et darent mihi majorem iram, et admirationem, et tristitiam, et dolorem plusquam possim dicere.

« Unde, pro commutatione prædictorum tormentorum et temptationum, et ut Deus auferret a me prædicta, ego libenter eligerem et velle omnia mala, et infirmitates omnes, et omnes dolores qui fiunt in omnibus corporibus hominum sustinere, et crederem quod leviora et minora mala mihi essent, quam prædicta tormenta. Unde pluries dixi, quod pro commutatione prædictorum tormentorum, ego eligerem omne genus martyrii sustinere. Et incepit iste prædictus status istorum tormentorum et temptationum aliquanto tempore ante pontificatum Papæ Cœlestini, et duravit plusquam per duos annos, in quibus saepè sum tormentata, et adhuc non sum perfecte neque plene curata, quamvis parum modo sentiam aliquando exterius, non tamen interius.

Sed modo postquam fui in isto statu, cognosco quod inter prædictam humilitatem malam et prædictam superbiam est maxima purgatio et purificatio animæ. In his enim et per illam, humilitatem veram acquirō, sine qua nullus homo salvatur; et quanto major est humilitas, tanto major est purgatio animæ. Unde cognosco, quod inter prædictam humilitatem et superbiam comburitur et martyrizatur anima mea; et propter cognitionem offenditionum et defectum, quam per prædictam humilitatem anima adipiscitur, anima purgatur a superbia et a dæmonibus. Et propterea, quanto anima magis afflita, et depauperata, et humiliata est interius, tanto magis aptatur, et purgatur, et purificatur, ut magis elevetur; quia nulla anima potest aliter nec plus elevari, nisi quantum humiliatur,

et profundius in humilitate complantatur et radicatur. » Hactenus B. Angela de seipsa, verbis quidem simplicibus, sed maxime expressivis.

Ecce vivam purgationis passivæ in parte intellectiva, quoad omnes ejus partes, imaginem; quam propterea hic apposui omnibus simili modo purgatis contemplandam, quia in hac una, singula media, quibus hujusmodi purgatio diversimode in diversis perficitur, simul reperiuntur, ita ut in ipsa conjuncta sint, quæ in aliis divisa cernuntur. Circa quam aliqua nobis consideranda sunt. Primum est, quod per lucem infusam divinæ contemplationis sic anima proprios agnoscit defectus, ut ne ullus quidem lateat, et quæ prius vix apparebant et quasi nulla credebantur, nunc distinete in justa magnitudine, imo in quodam excessu resplendeant; unde hi defectus clarius apparentes mire torquent animam, et objecta sibi propria infirmitate, quasi in desperationem dejiciunt. Secundum est, quod anima, sic humiliter de se sentiens, credit quod multum tempore tentationum deficit; et quamvis aliquando videat se eis non consentire, saepius tamen dubitat an eis consenserit, quod maximas ipsi causat angustias, quia tunc Deum valde diligit, et nollet pro omnibus quæ in mundo sunt divinam ejus majestatem offendere. Tertium est, quod illa, cœlesti luce advertens qua puritate sit Deus colendus, veretur omnia opera sua, et quasi imperfecta judicans, credit maxima esse piacula. Quartum est, quod videns suam impuritatem, et aliunde se judicans a Deo derelictam, credit se factam Deo horribilem, et se in profundum malorum devenisse, quod pejus et infelicius inferni doloribus aestimat. Quintum est, quod videns se ab aliis honorari, et aliunde suas interius contemplata miserias, credit se simulatam et hypocritam, et immerito ab aliis laudatam, et sic virtute humilitatis mota, vellet proprios defectus omnibus propalare, ne deinceps in ipsa decipientur. Sed de his nunc satis, amplius infra declarabuntur.

## ARTICULUS II.

## DE CAUSIS PURGATIONIS PASSIVÆ IN PARTE INTELLECTIVA.

Sicut superius quatuor causas assignavimus purgationis passivæ in parte sensitiva, ad majorem ipsius notitiam, sic in præsenti operæ pretium est, ob eamdem rationem, quatuor causas purgationis passivæ in parte intellectiva manifestare. Harum vero causarum duæ sunt intrinsecæ, videlicet materialis et formalis, quarum materialis est prior, utpote subjectum causæ formalis, ipsi præsuppositum; aliæ duæ sunt extrinsecæ, scilicet efficiens et finalis, ex quibus finalis præcedit quidem in ordine intentionis, sed tamen subsequitur in ordine executionis, prius enim causa efficiens influat physice, antequam finis acquiratur realiter, in quo est ordo executionis, quamvis finis ante moraliter moveat quam efficiens realiter influat, in quo est ordo intentionis.

Causa materialis purgationis passivæ in parte intellectiva est pars superior animæ seu hominis, dicta intellectiva ab intellectu, principali ejus potentia. In hac superiori parte, consideratur anima rationalis seu intellectiva cum propriis potentiis secundum se sumptis, quæ non indigentes organo corporali ad sui consistentiam, ipsam animam ubique, etiam in statu separationis, concomitantur, quamvis in statu unionis indirecte corporeis organis sive potentiis organicis indigeant. Propriæ potentiae rationalis animæ, de quibus dictum est, tres assignantur, videlicet intellectus, memoria intellectiva, et voluntas seu appetitus rationalis. In hac parte, utpote perfectiori, non ita multiplicantur potentiae, ac in parte sensitiva inferiori, quia, juxta proloquium philosophicum, quæ sunt dispersa in inferioribus ob eorum limitationem, sunt unita in superioribus ob eorum amplitudinem et eminentiam. Propter quod etiam memoria intellectiva non distinguitur realiter ab intellectu, licet in parte sensitiva memoria sit potentia realiter distincta ab imaginatione sive phantasia, et ab aliis, utpote limitatis, quæ qualibet objecti diversitate formali distinguntur. Intellectus igitur, ob suam illimitationem, verum, ut sic, abstrahendo a præsenti, præterito, et futuro, tanquam proprium objectum respicit; voluntas autem sive

appetitus intellectualis, ob eamdem illimitationem, respicit bonum, ut sic, universaliter et non sub diversa ratione, sicut illud respicit appetitus sensitivus, qui propterea dividitur in concupiscibilem et irascibilem : ille respicit bonum simpliciter, iste respicit bonum arduum. Anima ergo, secundum has potentias pure spirituales, est subjectum, in quo purgatio passiva partis intellectivæ exercetur modo statim explicando, et propterea dicitur causa materialis illius.

Causa formalis est lux clarissima contemplationis, quæ intima cordis arcana, et centrum animæ penetrans, omnes ejus defectus quantumcumque latentes et minimos ei manifestat, et adjunctis circumstantiis, maxime personæ offendentis et offendæ, mirabiliter animam cruciat, intellectum tenebris obvolvendo, et voluntatem quadam abjectione et desperatione ad extremas angustias reducendo. Intellectus obvolvitur tenebris, per hoc quod, media illa luce clarissima, sic in propiorum defectuum consideratione detinetur, ut ad divina et cœlestia non possit elevari; unde in crassa et tenebrosa misericordiarum suarum caligine totus absorbetur, nec potest ad alia, quæ recreare possent, se divertere. Voluntas autem quadam abjectione et desperatione ad extremas reducitur angustias, per hoc quod, detectis tot tantisque miseriis et infirmitatibus propriis, non potest non horrere seipsam, velut causam et radicem ipsarum, et sic, ex una parte, abjecte de seipsa sentire, ex alia vero parte, de divina bonitate quodammodo desperare, cum tot modis se eam offendisse supponat. Unde anima angustiata et nimis afflita gemit, et in mediis suspirando et gemendo clamat angustiis, quia multiplicata sunt peccata ejus supra multitudinem stellarum ac numerum arenæ maris, et credit se indignam aspicere altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis suæ, quia impie egit, et malum coram Deo fecit irritans divinam justitiam. Et quia tunc completur simul purgatio passiva partis sensitivæ (quæ superius fuerat tantum inchoata, et quæ perfecte purgari non potest separatim a parte intellectiva, propter necessarium utriusque in eodem subjecto et supposito connexionem et sympathiam), inde est quod tunc anima privatur omni gratia sensibili, et sic undequaque angustiatur, nec minimum gratiæ sensibilis experitur auxilium, cum tamen certissimum sit eam divina gratia roborari, et in bono firmari, ut ipsamet aliquando percipit, dum in tantis calamitatibus ac tenta-

tionum tempestatibus in Dei timore et amore constans et immobilis perseverat.

Causa efficiens est Deus benignus et misericors, qui purgando suorum electorum animas ad sui disponit unionem. Vir sanctus Suso, § 36, Dei sapientiam et amorem in hac parte expendit dicens : « Considerare libet, quam suaviter et amorose aeterna Sapientia cuncta disponat, dum, quod plurimum sibi nocere plerique angustiis temptationibusque gravissimis pressi arbitrantur, ipsa ad summam eorum utilitatem inflectit : magnam siquidem purgatorii partem illa afflictio tollit, et eam patientibus impendio prodest, atque ingens praemium adducit. Quamvis enim ipsi multorum se criminum reos arbitrentur, sed coram Deo veri magnique martyres sunt, cum nulli dubium sit, longe acerbiorem hujusmodi perpetuam afflictionem dolorem infligere, quam unius carnificis ictus collo exceptus. Denique passionem hanc magnae esse dilectionis indicium praesagiumque, tam Scripturarum testimonii, quam ipsa veritate probatur ; quippe quam et copiosa gratia, et multorum secretorum revelatio subsequitur. Debent igitur præfati homines eam non solum patienter, sed et libenter sustinere, certi quod brevis haec amaritudo, et momentaneum tribulationis hujus supra modum in sublimitate aeternum glorie pondus operetur in eis. » Et fusius, § 42, aeternam Sapientiam sic loquentem inducit : « Non recte sapiunt illi, qui unquam gravate et cum querimonia quamlibet afflictionem ferunt : omnino enim paterna castigatio et virga mea ex maximo amore proficiscitur, et vere suavis ac benigna est, ut non immerito felix ille censendus sit, a quo illam nunquam retraxero. Afflictio, inquam, non ex aliqua durtitia aut asperitate mea, sed ex amore tenerrimo ac benignissimo trahit originem. Et hoc de qualibet cruce vel tribulatione dictum volo, sive ea ultro suscepta sit, sive nolenti aliunde acciderit, ubi plerumque necessitas mutatur in virtutem, qua tamen cruce is qui eam patitur, nolit me invito esse absolutus, quamque amicabili ac humili cum patientia in mei aeternam referat laudem. Quæ sane crux, quanto majori cum amore et promptiori voluntate conjuncta est, tanto etiam præclarior mihiique acceptior est. Itaque de hujuscemodi afflictionibus me paulo latius dicentem ausulta, et quæ dixerо, ipsis cordis tui visceribus inscribe, sintque velut signum quoddam spiritualibus animæ tuæ oculis propositum, id pro certo retinens, ita me com-

morari in anima munda, ceu in quodam paradiso voluptatis: eam ob rem ferre non possum, ut cum amore aut delectatione ulli rei incumbat vel adhærescat; est namque ex ipsa natura in noxias propensa voluptates. Itaque sepio viam illius spinis, atque omnes semitas ejus, velit nolit, adversitate obstruo, ne ex manibus meis elabatur. Cuncta ejus itinera afflictionibus conspergo, ne qua alia in re cordis sui oblectationem, præterquam in me, constituat. Crede mihi, si corda omnia in unum redigerentur, non possent in hac vita minimum ferre præmium, quod redditurus sum in illo ævo sempiterno, etiam pro minima quaque cruce, quam quispiam ex amore passus fuerit mea causa. Itaque virili animo permitte ac resigna te ipsum voluntati meæ in qualibet re adversa quam te volo perpetui, idque facias absque ulla exceptione hujus aut illius molestiæ. Nosti me semper id solum velle, quod sit maxime ex re tua, multo etiam studiosius quam tu ipse velis; neque te latet æternam me esse Sapientiam, quæ sola perfectissime neverim quid tibi sit conducibilius: jam vero propria experientia disces, crucis a me irrogatas, si quis illis rite uti norit, proprius attingere, penitus penetrare, et celerius in Deum urgere ac propellere, quam quasvis alias proprio arbitrio susceptas. Quid igitur adhuc queritaris? quin ita potius dicas: fac mecum, Pater benignissime, quicquid unquam tibi visum erit. »

Causa tandem finalis est unio intima cum Deo, ad quam hujusmodi purgatio passiva partis intellectivæ condigne præparat animam, et apte disponit: summæ namque puritati divinæ anima propriis imperfectionibus impura convenire non potest, nec nisi purificata et purificatione proportionata valet ei conjungi, et ab aliis omnibus creatis segregari. Nihil enim aequæ diligit Dominus, ac animam humilem, quia « respexit humilitatem ancillæ suæ, » ut ait Sanctissima Virgo, et non potest eam non exaltare juxta modum humilitatis, ita quod, si ad infimum sui contemptum et ad abyssum profundissimam nihilitatis suæ fuerit redacta, ad summam divinæ majestatis unionem exaltabitur, quia, ut docet Dominus in Evangelio, « qui se humiliat exaltabitur. » Constat autem quod anima, in hac purgatione passiva partis intellectivæ constituta, ex clara suorum defectuum visione, sic se despicit et horret, ut summe sit in seipsa humilis, et velut in odio et horrore sui annihilata. Ne tamen in desperationem decidat, quasi a Deo penitus despecta, nonnun-

quam in mediis illis tenebris clara et delectabilis lux irradiat. Ait enim Bernardus, Serm. de Cant. Ezechiæ, quod « crebris hujusmodi vicissitudinibus, inter gratiæ visitationem et temptationis probationem, in virtutum schola est anima proficiens; faciente utique visitatione, ne deficiat; temptatione, ne superbiat: et tali tandem exercitio mundato, oculo interiori statim adest lux, cui fideliter inhærere cupiens, sed corpore pressa non prævalens, ad seipsam nolens dolensque resilit. Gustato tamen aliquatenus quam dulcis est Dominus, ejus etiam, cum ad sua redierit, in cordis palato retinet saporem; quo fit, ut jam ipsum, non ipsius quæcumque bona desideret: et hæc est charitas, non quærens quæ sua sunt: hæc facit filium non quærentem sua, sed Patrem diligentem. » Quod amplius explicat, Serm. 21, in Cantica, exponens hæc verba: « Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. » Ait enim: « Disce, per hoc verbum, a me in spirituali exercitio duplex auxilium desuper sperare, correptionem, et consolationem. Altera foris exercet, altera visitat intus; illa reprimit insolentiam, ista in fiduciam erigit; illa operatur humilitatem, ista pusillanimitatem; consolatur illa cautos, ista devotos facit; timorem Domini docet illa, ista ipsum timorem infuso temperat gaudio salutari; sicut scriptum est: Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum, Psalmo 85; item Psalmo 2: Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Trahimur, cum temptationibus et tribulationibus exercemur; currimus, cum internis consolationibus et inspirationibus visitati, tanquam in suaveolentibus unguentis respiramus. »

Ad causam finalem possunt reduci omnia motiva, propter quæ Deus animam contemplativam inducit in purgationem passivam partis intellectivæ, de quibus articulo sequenti dicetur.

### ARTICULUS III.

#### DE MOTIVIS, PROPTER QUÆ DEUS INDUCIT PURGATIONEM PASSIVAM PARTIS INTELLECTIVÆ.

Plura motiva, ex his quæ superius attulimus, concurrunt ad inducendam purgationem passivam, non solum partis sensitivæ, ut ibi expendimus, sed etiam partis intellectivæ, ut consideranti patet:

propter quod, ne eadem repetamus, his dimissis, ad nova expenda properamus.

Primum motivum est, ut imperfectiones et defectus, tam actuales quam habituales, in anima remanentes, quos purgatio passiva partis sensitivae non potuit eradicare, penitus evacuentur: sciendum namque est, quod cum purgatio sensitiva potius ad hoc tendat, quod partem sensitivam inferiorem attemperet et adaptet intellectuali parti ejus superiori, ne ejus unioni cum Deo motibus inordinatis resistat, quam quod immediate et directe concurrat ad dictam unionem, inde est quod non debet esse sic efficax in purgando subiecto, quantum purgatio partis intellectivae, quae directe ac immediate ad dictam concurrit unionem, cum sit longe major distantia inter impuritatem animae et summam Dei puritatem cui unitur, quam inter sensum et spiritum; et consequenter purgatio sensitiva majores tantum ac magis apparentes sensus imperfectiones attingit, minores ac latentiores purgationi passivae partis intellectivae purgandas relinquens, quales sunt defectus aliqui quasi connaturales ac plurimum inveterati, qui non nisi subtili et acri purgatione, et omnia cordis et spiritus interiora permeante (qualis est purgatio passiva partis intellectivae), nequeunt emundari, et qui contemplationis initio purgationem sensitivam subsequenti non obstant, sicut obstant perfectioni contemplationis, et charitatis fervori, quibus purgatio passiva partis intellectivae deservit. Hujusmodi autem defectus habituales sunt, ex parte intellectus, distractio et evagatio spiritus a Deo ad creaturas; ex parte vero affectus, innatus amor proprius, et nimia ad gustus spirituales adhæsio. Actuales autem defectus, ex parte intellectus, sunt decipi frequenter in visionibus et revelationibus, in locutionibus et prophetiis, et vera judicare falsa, et falsa vera; ex parte vero affectus, sunt præsumptio, superbia, arrogantia, et audacia, procedentes ex abusu divinarum communicacionum, quae ex propria natura potius inclinant ad humilitatem, amorem, et timorem Dei filialem: qui defectus eo sunt pejores, quo minus agnoscuntur, et quasi actus spirituales et recti judicantur; sed in hac purgatione, qua spiritus divina luce perfusus omnia sua scrutatur, et de illis recte judicat, prædictos omnes defectus advertit, et in seipso collectus ac Deo firmiter adhærens, omnino purificatur, et totaliter innovatur.

Secundum motivum est, ut anima ab omnibus creatis sive terris

sive cœlestibus separetur, et intra seipsam colligatur, et in Deum dirigatur: cum enim, in hac purgatione constituta, nullum inveniat in rebus quibuscumque creatis solatium, at potius in omnibus experiatur labore et dolorem, naturali quodam instinctu seipsam intra se colligit, ut minus ab externis perturbetur, et fortior evadat, solique Deo vacet.

Tertium motivum est humilitas, non falsa illa, quæ in desperationem inducit, sed vera illa, quæ, proprios defectus videns et de propria virtute diffidens, in sola bonitate divina confidit. Cum enim in hoc statu, ex una parte, se anima tam clare cognosecat, singulasque imperfectiones suas luce contemplationis illustrata videat, et, ex alia parte, divinæ majestatis eminentiam intueatur, non potest nisi alte de Deo, et humiliiter de seipsa sapere.

Quartum motivum est, ut speciales Dei filii, qui ad summam sanctitatem destinantur, Christo Domino primogenito in multis fratribus, et unigenito Filio naturali perfecte conformentur: « quos enim sic præscivit, prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. » Christus autem Dominus fuit in amarissima hac purgatione, maxime tempore sanctissimæ passionis suæ, dum dixit apostolis: « Tristis est anima mea usque ad mortem; » et dum in cruce clamavit ad Patrem: « Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » Tunc enim summam fuisse passum tristitiam communiter docent expositores. Si autem Christus Dominus tam amaram hausit purgationem, ut aliorum infirmitates purgaret, qualem debent homines haurire, ut proprias purgent infirmitates? Unde Christus Dominus omnibus ad se venientibus præcipiebat tollere crucem; et dilectis discipulis dexteram et sinistram in regno ejus poscentibus, dixit: « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? » Quem purissimæ Matri suæ bibendum obtulit. Et secundum modum sanctitatis quem cuique prædestinavit electo, modum etiam crucis spiritualis seu tribulationis ei præfixit.

Quintum motivum est meritum copiosum, quod ex tribulatione et voluntaria purgationis hujus tolerantia consurgit. Unde Suso loquentem inducens æternam Sapientiam, loco supra citato, sic ait: « Si non doleret crux, non posset nomen tueri suum; sicut cruce nihil est molestius, ita nihil jucundius atque optabilius quam crucem pertulisse; crux et afflictio brevis quidem dolor est, sed prolixum gaudium; crux illi, per quam dolet cui crux molesta est et invisa;

ei vero qui illam fert æquanimiter, hoc præstat crux ut ipsum minime crux, excruciet. Certe, si tanta jugiter abundares spirituali suavitate, divinaque consolatione et oblectatione, ut præ cælesti illo rore perpetuo colliquesceres, ex his omnibus, per se consideratis, non tantum tibi accresceret meriti, neque pro his tanta tibi a me referenda esset gratia, neque perinde me tibi obligarent, ac quasi debitorem efficerent, ut crux una vel afflictio cum amore tolerata, aut tui derelictio in mentis ariditate, in qua me ex amore sustineas; et citius quidem vel decem everti possent ac excidere in magna voluptate et jucunda suavitate cordis, quam vel unus subruatur continua laborans adversitate et perpessione. Si astronomorum omnium prædictus esses scientia, si tam copiose et eleganter posses de Deo dicere ac eloqui, quam cunctæ hominum linguae, non tibi tantum ista conferrent ad vitæ pietatem ac sanctitatem, quam si in quibuslibet afflictionibus tuis Deo te permitteres et resignares: illa namque bonis malisque communia sunt, hoc vero non nisi electorum est. O! si quis justo posset perpendere ac ponderare iudicio tempus et aeternitatem, mallet ille profecto vel centum annis in ardenti jacere camino, quam vel minima levissimæ afflictionis carere mercede, in celis æterno percipienda: illud namque finem tandem habet, istud nullo clauditur termino. »

Sextum motivum est spes præmii vitæ æternæ, quod dictam purgationem consequitur, ut docet S. Bernardus, Serm. de Cantico Ezechiae, dicens: « Est bona consolatio de spe salutis æternæ, in quam, sublatis peccatis quæ separabant inter hominem et Deum, per Dei gratiam reviviscit et hilarescit. In quo cum cœperit proficere, hoc est pie vivere, necesse est, teste Scriptura, persecutionem patiatur, ut recens gaudium vertatur in merorem, et dulcedo boni, vix summis labiis attracta, in amaritudinem commutetur, ita ut libeat dicere: Versa est cithara mea in luctum, et cantatio mea in plorationem. Plorat ergo amarius amissam dulcedinem, quam prius fleverat admissam peccatorum amaritudinem; et hoc tamdiu facit, donec Deo miserante consolatio reddit. »

Septimum tandem motivum est collectio sive aggregatio plurium bonorum, quæ Deus, media purgatione passiva, præter dicta, causat in anima, et quæ Suso, supra citatus, in persona æterna Sapientiæ sic enumerat, dicens: « Age nunc, arrectis percipe auribus: afflictio quidem mundo huic despectui est, at apud me immensam digni-

tatem obtinet. Afflictio iram extinguit meam, gratiam meam conciliat et amicitiam, hominemque mihi gratum efficit et amabilem, utpote mihi conformem. Afflictio bonum est occultum, quod nemo compensare queat; adeo ut, etiamsi quis centum annis crucem amicabilem flexis genibus a me preceperit, nec sic tamen illam emereri possit. Afflictio hominem ex terrestri cœlestem efficit; afflictio tutissimum atque compendiosissimum iter est. Crede mihi, si quis probe cognitum haberet quanta sit crucis utilitas, haud dubie ceu donum præstantissimum ex Dei manibus eam susciperet. O quam multi erant jam aeternæ perditioni addicti, et somnum dormierant sempiternum, quos tamen afflictio restauravit, et excitavit ad meliorem vitam! Afflictio a gravi servat ruinam; præstat homini ut sese cognoscat, intra seipsum se contineat, sibique constet, ac proximis fidem accommodet; conservat animam in humilitate, docetque patientiam; tuetur castimoniam, aeternæ beatitudinis adfert coronam. Afflictio peccati aufert sarcinam, minuit poenas purgatorii, pellit tentationes, profligat vitia, spiritum renovat; veram confert fiduciam, mundam conscientiam, atque animum stabilem et excelsum. Sicut rosarum eximiæ flores suavi vernantis maii rore tinguntur, ita animam afflictio vegetat et fœundat; ipsa animum sapientia imbuīt redditque hominem exercitatum. Qui afflictiones et tentationes non est expertus, quid quæso ille novit? Afflictio virga est amoris plena, et paterna castigatio electorum meorum; afflictio hominem, velit nolit, trahit urgetque ad Deum. Patientia in adversis est hostia viva et odor suavissimus præcellentis balsami in conspectu divinae majestatis meæ, totam cœlestis exercitus frequentiam ingenti admiratione afficit. Neque vero unquam quisquam, quamvis strenuus pugil vel eques, publicitus cum alio congressus, adeo in se hominum oculos animosque convertit, uti totus beatorum hominum cœtus hominem afflictiones rite perferentem aspetat. In adversis retinere patientiam præstabilius est, quam extintos ad vitam revocare, aut alia perpetrare miracula. Afflictio via est arcta, quæ ad ipsas usque cœli portas fortiter pertingit; ipsa hominem ad martyrum evehit contubernium; ipsa laudem palmamque refert ex cunctis hostibus; ipsa animam roseo purpureoque vestit indumento; ipsa coronas vel serta nectit rosacea, et sceptræ conficit ex palmis virentibus; ipsa est velut gemma pretiosissima in monili ad virginis pectus appenso; atque, ut paucis te expediam, ho-

mines afflictos mundus hic miseros appellat, sed ego felices dico, utpote quos ipse mihi elegerim. • Hactenus ille author.

Quod si hæc vera sunt de omni afflictione patienter tolerata, multo magis vera sunt de afflictione, quam operatur purgatio passiva partis intellectivæ, tum quia summa est, quæ in hac mortali vita potest haberi, tum quia a Deo fidelibus suis specialiter electis est communicata, tum quia est ultima dispositio et præparatio animæ ad divinam unionem, tum denique quia est pignus et arrha matrimonii spiritualis Dei cum anima fideli. Unde, cum tot bona contineat, non mirum quod Christus Dominus in diversis afflictionibus beatitudines constituerit, et quod sancti omnes in eis summum hujus vitæ bonum collocaverint. B. P. N. Joannes a Cruce, interrogatus a Domino quam mercedem vellet pro laboribus ipsius causa suspectis, non aliam respondit, « quam pati et contemni pro te, Domine; » et S. M. N. Theresia, hanc veritatem edocta, continuo postulabat a Deo, « aut pati, aut mori, » quasi diceret: naturale est homini beatitudinem appetere, felicitatem querere, consummata non potest beatitudo nisi post mortem in cœlo possideri, inchoata vero felicitas hic tantum per tolerantiam obtinetur; et sic, cum absque beatitudine non possim esse, vel primam per mortem in cœlo, vel secundam per afflictionum et laborum tolerantiam hic mihi concede.

#### ARTICULUS IV.

##### DE EFFECTIBUS PURGATIONIS PASSIVÆ PARTIS INTELLECTIVÆ.

Licet ex dictis plurimi et præcipui colligantur effectus purgationis passivæ partis intellectivæ, quia finis et motiva alicujus, quæ in ordine intentionis pertinent ad genus causæ, in ordine executionis pertinent ad genus effectus, tot tamen et tanti sunt purgationis passivæ partis intellectivæ mirabiles effectus et fructus, ut in præsenti necessarium sit omnes illos, sed diversis cumulis divisos, simul proponere.

Primus igitur effectus sive fructus hujus purgationis, est clara sui cognitio, cum humilitate et maxima afflictione. Cujus ratio est,

quia lux contemplationis infusa, quæ est principium hujus purgationis, ex divina dispositione pervadit omnia conscientiæ propriæ secreta, et omnes maculas et atomos quarumcumque imperfectio-num, alias latentes, manifestat; quod declaratur exemplo lucis materialis, quæ, cum radio solis intensius aeri communicata, minimos materiales atomos volitantes demonstrat, qui cum luce ordinaria erant imperceptibiles: ex qua manifestatione tot proprietatum defectuum sequitur quod anima, seipsam sic impuram et miseram contemplando, vilissimam et abjectissimam de seipsa habeat aestimationem. Quod autem prædictam cognitionem concomitetur afflictio, ex diverso procedit principio. Primo quidem, quia, generaliter loquendo, proprietatum defectuum cognitio plurimum est afflictiva; sicut enim est connaturale cuilibet rei propriam appetere perfectionem, sic connaturale est naturæ cognoscitivæ, de propria dolere imperfectione cognita. Secundo, quia lux purissima contemplationis infusa, quæ est principium hujus purgationis, est improportionata debilitati et impuritati naturæ corruptæ, et se habet sicut lux solis in seipso maxime visibilis respectu visus hominis, vel sicut lux aeris intensa respectu visus debilis, puta hominis infirmi, quæ in utroque casu propter excessum affligit potentiam, donec roboretur et ei proportionetur: sic se habet in præsenti casu lux illa spiritualis, quæ naturæ penitus impuræ communicata plurimum illam afflit, cum tamen postea purificatam recreet; sciendum namque est, quod ad modum recipientis recipitur. Tertio, quia lux illa ex divina dispensatione se habet sicut ignis purgatorii, qui virtute divina elevatus purgat affligendo spiritualem animam, quamdiu purgandas in ea reperit impuritates; unde ipsa lux animas impuras purgat tunc affligendo, quæ postea purificatas purgabit recreando, quomodo purgat angelos in cœlo mundos et puros ab imperfecti- nibus. Sicut igitur purgatio, quæ reperitur in angelis, est tantum a nescientia supernarum veritatum, per hoc quod lux divinæ revelationis et jubar cœleste divinæ irradiationis ordinate singulas hierarchias, singulos ordines, et singulos angelos permeans, a superioribus ad inferiores transmissum, omnes illos instruit, et instruendo recreat, et recreando perficit, sic remotis impuritatibus animæ per prædictam lucem contemplationis infusa, postmodum eam tantummodo purgat a nescientia supernaturalium veritatum, quæ mediante ipsa manifestantur, purgando recreat, et recreando

perficit. Quod confirmat V. P.N. Joannes a Cruce apto et quotidiano materialis ignis exemplo, qui applicatus ligno viridi, humido et impuro, quamvis ex suamet natura sit illuminativus, et transformans in eamdem suam naturam lignum bene dispositum, illud tamen, ob ejus indispositionem ac impuritatem, obscurat in principio lucidissima sua flamma, et quodammodo excruciat, donec actione sua malos humores ab eo quasi gemente totaliter eduxerit; ipsum vero sic jam purgatum illuminat et inflamat.

Secundus effectus est omnimoda defectuum evacuatio et perfecta virtutum acquisitio : cum enim hujusmodi purgatio ad intimam cum Deo unionem ordinetur, debet removere a subjecto dispositiones tali unioni repugnantes et contrarias, simulque proportionatas et conduceentes inducere; si enim hoc requiritur in agentibus naturalibus, quod a subjecto removeant dispositiones formis introducendis contrarias, et simul causet, tam prævie quam simultanea, dispositiones prædictis formis convenientes, debet etiam in agentibus supernaturalibus admitti, quia gratia non destruit, sed perficit naturam, et hoc saltem est necessarium ad connaturalem et suavem formarum, tam in ordine naturæ quam in ordine gratiæ, introductionem. Declaratur hoc totum exemplo ignis superius adducto : cum ignis ligno viridi vel humido applicatur, quamvis sit efficacissimus et maxima virtutis in agendo, nunquam tamen in tali ligno similem suæ formam introducet, nisi prius de ligno humiditatem, frigiditatem, et densitatem, formæ ignis introducendæ contrarias, sua removerit activitate; et simul siccitatem, calorem, et raritatem, eidem formæ convenientes, in ipso produxerit; unde videmus, quod sua flamma lignum investit, humorem ex intimis partibus educit, exsiccando denigrat, paulatim calefacit, et tandem introducto calore rarefacit; cumque jam fuerit totaliter purificata contrariis dispositionibus, et convenientibus dispositum, ipsum illuminat, incendit, sibique simile prorsus efficit. Constat autem, quod defectus morales divinæ unioni contrariantur, virtutes autem ad illam disponunt, et consequenter, per hanc purgationem passivam partis intellectivæ, unionis animæ cum Deo effectricem, debent omnes defectus morales ab anima totaliter evanesci, et simul omnes perfectiones virtutum in ea causari. Hoc autem accidit concurrente subjecto, tam physice, quam moraliter : physice quidem, per suos actus intensissimos, qui cognitorum tunc clare defectuum

horrorem et aversionem, et virtutum illis contrariarum amorem et desiderium causant; moraliter autem, per meritum in illis angustiis acquisitum, per quod divinam flectit misericordiam, ut se ipsum illis defectibus emundet, et contrariis virtutibus illustret; certum est autem, quod per unicum actum intensem potest aliquis defectus perfecte eradicari, et virtus contraria simul acquiri, non tantum meritorie, sed etiam effective. Unde dicitur Ecclesiastici 11, quod « facile est in oculis Dei subito honestare pauperem, » et quod « benedictio Dei in mercedem justi festinat, et in hora veloci processus illius fructificat. » Unde ipsemet qui purgatur, quasi seipsum non agnoscens, quia expoliavit se veterem hominem cum actibus suis, et induit novum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum, attonitus exclamat: « Hæc mutatio dexteræ excelsi; » experitur namque quod efficaci hac purgatione plus brevissimo tempore proficit, quam multis annis propria industria profecisset; videt enim, quod horret illos defectus, in quos antea tam facile cadebat, et quod delectabiliter exercet illas virtutes, quarum exercitio tam vehementer antea resistebat. Hæc mutatio non fit in purgatione passiva partis sensitivæ, quia non pertingit usque ad imperfectionum et peccatorum radices, quæ sunt in anima: unde non tam defectus morales eradicat, quam suspendit, refrænans aliquanto passiones appetitus sensitivi, ne indebito resiliant; et sic non tam proprie dicitur purgatio, nisi huic intellectuali conjungatur, separata quippe potius est quædam reformatio sensus, prærequisita ad hoc ut sensus parti superiori perfecte subordinetur, et ejus actioni et passioni sic aptetur, ut ad illam concurrat, et isti in hac purgatione tranquille subjiciatur, et consequenter, non solum pars superior intellectiva, sed etiam pars inferior sensitiva plene purifetur.

Tertius effectus est continua Dei memoria sive præsentia: cognitio namque sui, et propriæ miseriæ perpetua in hoc statu contemplatio perfectam causant Dei notitiam, miseria siquidem humana divinam reclamat misericordiam. Et merito Deus animam inanem et vacuam rerum omnium creatarum imaginibus, propria suipius cognitione replet; si enim non datur vacuum in ordine naturæ, sic nec in ordine gratiæ: unde necesse est quod, si Deus, per hanc purgationem, animam cognitione et affectu rerum creatarum evacuat, simul illam sui cognitione et amore divino repleat. Hæc tamen

cognitio Dei nimis obscura, et saepe imperceptibilis, et dum percipitur, est in aliqua generalitate confusa; distincta namque Dei cognitio, et particularis, divinarum perfectionum contemplatio pro statu unionis reservatur.

Quartus effectus est ardens quidam amor Dei, et multo major illo qui in purgatione passiva partis sensitivæ vigebat: postquam enim lux illa divinitus infusa contemplativam animam investiendo tenebris obvolvit, et impuritatibus emundavit, positis tandem ultimis dispositionibus, per prædictam cognitionem Dei generalem obscuram de ejus divinis perfectionibus, affectum illius erga ipsum Deum inflamat; et sic, divino amore ferventissimo, potius afflictivo (propter annexam priorum defectuum intuitivam notitiam, et timorem damnationis et æternæ a Deo separationis, quam se prædictis defectibus videt meruisse) quam fruitivo, tota medullitus ardet, eo prorsus modo quo lignum, ut in eadem comparatione persistamus, postquam flamma ignis, ob suam crassitiem et impuritatem, fuit obscuratum, et ejus activitate quodammodo afflictum, ut ex ejus resistentis crepitu et quibusdam humoris expressi lacrimis percipitur, tandem siccitate, calore, et raritate dispositum, totum ardet et in ignem transmutatur. Cum igitur anima contemplativa, in hac purgatione constituta, non tam propria industria fervorem charitatis excitet in seipsa, quam excitatum illum amoroso consensu patiatur, inde est quod talis fervor sit multo maior et vehementior, et quod ipsa illa succensa ferventius ardeat, remotis jam terrenis affectibus per hanc purgationem, qui tales charitatis fervorem impediebant. Per hoc enim quod luce contemplationis illustrata de omnibus rebus, juxta proprium earum meritum recte judicat; cætera præter Deum despicit, in quibus manifestam advertit vanitatem, cum Ecclesiaste dicente: « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas; » seipsam autem odio et horrore persequitur, cum se tot miseriis et impuritatibus plenam intueatur; et sic totam se in Deo diligendo colligit, et ipsum tota virtute simul unita fortiter, sed nondum suaviter amat. Cui propterea aptantur hæc verba Psalmi 58. « Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es. » Unde multo perfectius, quam cæteri justi, mandatum de dilectione Dei custodit, quo sic præcipitur: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex ex tota virtute tua; » omnimoda tamen et perfectissima ejus obser-

vantia, quæ in hac mortali vita custodiri potest, in solo statu unionis habetur. Collectis igitur omnibus potentiis, tam sensitivæ quam intellectivæ partis, simulque mirabili cum harmonia concurrentibus, suavissimum quidem Deo ac jucundum amoris canticum, sibi vero amarissimum, triste, ac flebile personat, dicens cum Psalmista, Psalmo 17: « Diligam te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus; Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum, protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus; laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero. » Aliquando etiam amore succensa, desiderat habere Deum quem amat, et cantat Domino cum Psalmista dicente: « Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea; in terra deserta, et invia, et in aquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam; quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te, sic benedicam te in vita mea, et in nomine tuo levabo manus tuas. » Suamque sitim exprimere volens in hoc doloroso amoris sensu, utitur similitudine cervi vulnerati, et cantat corde potius quam voce cum eodem Psalmista, qui ait: « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus: sitivit anima mea ad Deum fortè vivum; quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus? Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam. » Et in hoc sensu intelligitur dictum illud Isaïæ, Cap. 26. « Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. » Audiamus sanctissimum virum Job, qui, quamvis proprias exteriores miseras describat, mire tamen animæ in hac purgationis nocte constitutæ afflictivam et ardentem sitim, quam de Deo patitur, sic exprimit: « Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui; sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi. Si dormiero, dicam: quando consurgam? et rursam expectabo vesperam, et replebor doloribus usque ad tenebras. »

Quintus tandem effectus est, colligere animam in seipsa, ipsam fortificare, et quietam reddere. Quod haec nox purgationis intellectivæ colligat animam in seipsa, constat ex dictis: quia, ex una parte, vanitatem et pericula manifestat, quæ in rerum temporalium sequela

reperiuntur; ex alia vero parte, propriæ conscientiæ secretiora detegit arcana: unde ipsam movendo ab externis segregat, et in sui consideratione penitus occupat. Inde est, quod in obscura et tenebrosa hac nocte, diabolo velut invisibilis, et ab inimicorum spiritualium insidiis secura procedit; dæmon namque ad intima conscientiæ secreta penetrare non potest, nec quod Deus ibi operatur valet videre, quandoquidem ejus cognitio in materiali sensitivæ partis operatione sistit, et haec omnino spiritualis divinae communicacionis, in hujusmodi nocte contemplationis factæ, particeps esse nequit. Unde non solum anima totaliter ab aliis exterioribus separatur, verum etiam ab externis omnium sensuum etiam interiorum operationibus ad seipsam secundum ipsius partem superiorem colligitur, quamvis aliquando contingat quod, quando communicatio spiritualis est vehemens, a spiritu ad sensum redundet, propter naturalem partis intellectivæ cum sensitiva communicationem, vel quod diabolus, videns tantam potentiarum sensibilium quietem et silentium, colligit animam in suo centro quiescere. Sic autem Deus aliquando colligit animam, ut quiete ac pacifice cum ea conversetur, unde dicit Osee 2: « Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus; » et etiam ut ibi ab hostium insidiis secura permaneat, unde dicitur Cantic. 3: « En lectulum Salomonis sexaginta fortis ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi, uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos. » Quod haec nox purgationis intellectivæ fortificet et roboret animam, constat ex eo quod, in mediis illis tenebris et angustiis, minimis etiam imperfectionibus resistit, et in tali est liberatione, quod potius millies moreretur, quam Deum offenderet; unde non solum a Deo roboratur, ut patienter hujus purgationis angustias toleret, sed etiam ut in amore Domini contra dæmonum insultus et tentationes perseveret. Quod denique haec nox purgationis intellectivæ pacificet et quietam reddat animam in seipsa, facile ex dictis infertur: per hanc namque purgationem, omnino tolluntur et eradicantur vitia, defectus evanescunt, et passiones inordinatae refrænantur, quæ sola possunt animam in seipsa turbare; his enim compositis, omnis alia per dæmones excitata tempestas exterius, non interius sœvit. Contingit enim aliquando quod, quando dæmones animam magis collectam in seipsa vident, et divinæ communicationis beneficio interne participem esse vel conji-

ciunt, vel ex ejus ad sensum redundantia percipiunt, vel ex divina dispensatione ad meriti et virtutis ejus augmentum intelligunt, tunc in parte inferiori timores et horrores suscitant, ut eam perturbent, et a centro sui ad exteriora reducant. Hunc animæ ad interiora recessum, et perturbationem ejus a dæmonie suscitatam desribit sponsa Canticorum 6, dicens : « Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si florisset vinea, et germinassent mala punica; nescivi, anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab. » Quamvis autem hæc dæmonum perturbatio dicatur extrinseca, quia fit in parte sensitiva, plurimum tamen animam molestat, propter naturalem spiritualis animæ cum spiritu maligno antipathiam, cuius præsentiam advertit et horret, et simul propter naturalem partis sensitivæ cum intellectiva conjunctionem, ratione cuius quælibet alterius bona et mala, ex mutua quadam redundantia, participat. Sed tunc anima, naturali quodam instinctu, se ad centrum recolligit, ut ibi securius et quietius persistat; et in secura statione posita, tempestatem inferius excitatam respicit, quæ non parum ipsam perturbat, quia ab intima Dei conversatione revocat, cui prius quiete vacabat, quod maximum ei causat tormentum, præsertim si diutius perduret. Divinæ autem hujus dispositionis ratio inde sumitur, quod, ex una parte, anima est in via purgativa, et Deus, medio etiam dæmonum ministerio, vult purgationem perficere; ex alia vero parte, justitiæ rigor a Deo institutus videtur exigere, ut sicut Deus Angelorum beneficio animam adjuvat, sic dæmonum tentatione sinat eam agitari, ut in ipsa tentatione fideliter perseverans juste mereatur, et condigne præmietur. Omnimoda siquidem divinæ communicationis participatio, et familiaritatis continuæ fruitio est status unionis propria: unde hic illam desiderat, et ibi obtinendam sperat, juxta illud Cantorum 8: « Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat? » In hac quiete animæ, et silentio omnium ejus potentiarum tam partis sensitivæ quam partis intellectivæ, communicatur uberioris divina sapientia; unde dicitur: « Dum medium silentium teneant omnia, et nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit. »

## ARTICULUS V.

DE SIGNIS DEMONSTRANTIBUS PURGATIONEM PASSIVAM PARTIS  
INTELLECTIVÆ.

Effectus quidem sunt signa suæ causæ, ut communiter docent philosophi; propterea constituunt demonstrationem Quia, sive A Posteriori, procedentem ab effectibus ad causas. Sed hoc diversimode intelligitur: nam quidam effectus sunt, qui demonstrant perfecte non solum quod causa sit, sed etiam quid sit; et hi debent esse effectus adæquati causæ, totam ejus virtutem et perfectionem specificam participantes, cum enim nemo det quod non habet, et unumquodque operetur in quantum est in actu, in talibus effectibus, et virtus et perfectio saltem specifica causæ perfecte relinet, et sic per illos cognoscitur quid sit causa. Quod etiam per illos cognoscatur quod causa sit, ex eo constat quod operari sequitur esse, et cum causa sit operata hujusmodi effectus, necesse est quod sit, vel fuerit præcedens suos effectus: et tales effectus univoci dicuntur, et causa dicitur univoca. Alii sunt effectus, qui demonstrant quidem perfecte quod causa sit, sed non quid sit, quia sunt effectus illius causæ proprii, at tantum analogi, id est, debent necessario procedere ab illa causa, unde illam presupponunt esse, non autem sunt illi similes in ratione specifica, unde non expriment perfectionem specificam causæ, sed ad summum rationem aliquam genericam aut analogam, ipsis et causæ communem. Alii sunt effectus, qui non sunt proprii, sed communes, id est, sic procedunt ab una causa, quod possunt procedere ab alia: et hi non demonstrant quid causa sit, nec quod hæc in particulari sit. Alii denique sunt effectus, qui, quamvis sunt proprii alicujus causæ particularis, non tamen apparent, sed latent: et hi nullo modo possunt adducere in cognitionem causæ, nec quid sit, nec quod sit.

Applicando hanc generalem doctrinam præsenti materiae, dicimus quod, etsi purgatio passiva partis intellectivæ plures habeat effectus, ut visum est, non tamen omnes in particulari sunt signa ejus demonstrativa, etiam tantum quod sit, quia plures nos latent, plures vero sunt effectus communes, qui ab ipsa purgatione, et ab

alia causa procedere possunt. Hæ namque angustiæ spiritus, quas articulo præcedenti in primum effectum hujus purgationis constituiimus, sic possunt a Deo misericorditer purgante procedere, quod etiam possint ab ipso juste peccatum aliquod, de novo sed secrete commissum, puniente causari. Circa quod anima, in hac purgatione constituta, plurimum hæret, desudat, et confusa tabescit mœrore: si enim sciret hanc purgationem a Deo sibi placato et propitio exhiberi in bonum divinæ unionis, plurimum lætaretur, sed quia timet esse poenam peccatorum, et tanquam supplicium illis debitum infligi, maxime tristatur. Unde in præsenti quædam signa infallibilia proponentur, quæ saltem simul sumpta demonstrabunt animabus quando misericorditer, in ordine ad divinam unionem, hac purgatione passiva partis intellectivæ purificantur, ac debite disponuntur.

Sed prius, ad majorem eorum quæ dicta sunt et quæ dicentur evidentiam, sciendum est quod purgatio hæc, quam vocamus passivam partis intellectivæ, quia scilicet solus Deus in anima paciente illam operatur (ad differentiam alterius, quam in seipsa anima proprio causat labore et industria, quæ propterea dicitur purgatio activa), duplice sumitur: scilicet active, ex parte ipsius Dei purgantis animam; et in hac acceptione formaliter importat divinam operationem, sive activam lucis supernaturalis infusionem, quæ proprios animæ manifestans defectus, illorum causat horrorem afflictivum et emundationem, et sic horror, afflictio, et emundatio non sunt formaliter ipsa purgatio, sed tantum consequenter, sive effectus illius; et propter hoc articulo præcedenti hujusmodi inter effectus purgationis enumeravimus; vel sumitur passive, ex parte animæ purgatæ per infusionem lucis supernaturalis proprios ei defectus manifestantibus, ac inde horrorem afflictivum et mille angustias causantibus; et in hac acceptione purgatio hujusmodi formaliter importat passionem hujus horroris afflictivi et angustiarum, ut dictum est articulo primo præsentis Discursus.

Purgatio hæc passiva partis intellectivæ, tam active quam passive sumpta, vel est simplex et pura, vel est poenalis. Dicitur simplex et pura, quando non ut poena peccatorum, sed ut dispositio ad unionem divinam prærequisita exercetur, quamvis omnium peccatorum et imperfectionum maculæ detergantur. Dicitur vero poenalis, quando in poenam peccatorum a Deo primario causatur, quamvis

eumdem purificandi habeat effectum, quia, ut ait Augustinus in Enchiridio, Cap. 11, « Deus cum sit summe bonus, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeo omnipotens et bonus, ut benefaceret etiam de malo; unde ad infinitam Dei bonitatem pertinet, ut esse permittat mala, et ex eis eliciat bona. » Et ad materiam præsentem applicando, ex eadem omnipotentia et bonitate Dei procedit, quod in aliquo etiam justo et illuminato permittat aliquod peccatum, ut ex ejus casu bonum humilitatis, pœnitentiæ, ac perfectæ purgationis bonum eliciat, unde contingit quod hac via divinæ misericordiæ, per efficacissimum divinæ gratiæ auxilium, insignes aliquando peccatores non solum justificantur, sed etiam in momento perficiantur, ut in sancto Latrone confirmatur, qui teste sacra Scriptura, unico pœnitentiæ et dilectionis actu sic profecit, ut statim a Christo Domino inter sanctos referri meruerit.

Non dubium, quin omnes effectus purgationis intellectivæ supra numerati, sint infallibilia et demonstrativa ejus signa, si purgatio in sua sumatur generalitate, prout abstrahit a simplici et pœnali: non potest enim negari, quod cognitio sui cum humilitate et afflictione, imperfectionum evacuatio et acquisitio virtutum, continua Dei præsentia, amor Dei afflictivus, et tandem collectio, robur et quies animæ non sint intellectivæ purgationis effectus; sed in præsenti, ad majorem animæ consolationem, infallibilia et demonstrativa purgationis puræ et simplicis apponentur signa, ut sciens se pure in bonum, et non in pœnam exerceri, non ut ream, sed ut amicam in ordine ad divinam unionem purificari, non tantum patienter, sed etiam gloriose in sua purgatione velit usque in finem perseverare.

Primum ergo signum purgationis intellectivæ puræ et simplicis est, quod anima, ex una parte, nihil sibi sit conscientia, quantum attinet ad peccata de novo commissa, vel ad graves aliquas imperfectiones, et quod, ex alia parte, de statu deliciarum et suavitatis spiritualis, quam abunde participabat, ad cumulum angustiarum, ariditatis, tenebrarum et umbræ mortis statim se videat devolutam, et quodammodo in horroribus et pœnis purgatorii et velut inferni consuetam intueatur. Quamvis enim, præ spiritus angustia, bonum simplicis et puræ purgationis ipsa se sola non percipiat, directoris tamen docti et experti (quo maxime tunc indiget) magisterio percipi-

piet, si ei clare et efficaciter proponat, quod nullus perit, nec peccat nisi sciens et volens, unde debet in Domino confidere quod nullo sit vulnerata peccato, si nullius peccati recenter commissi sibi conscientia sit : quamvis enim nullus sciat certitudine physica an odio an amore dignus sit, quia qui judicat nos Dominus est, quem nulla latet cogitatio, potest tamen quis certitudine morali ex praedicto colligere principio, quod nullum de novo commisit peccatum, et consequenter ei potest suaderi, quod haec purgatio sit simplex et pura, non in supplicium, sed ad salutem.

Secundum signum est, quod anima diutius a plene deliberatis peccatis, etiam minimis, abstineat, et nullam habeat ad exteriora propensionem, sed tantum continuam, cum lacrimis et amaritudine, suarum misericordiarum intuitivam cognitionem, et ardens perfectionis desiderium. Ex primo namque facile concluditur, quod talis anima nullum de novo peccatum commisit, quo divina gratia vel charitatis amicitia fuerit privata; nam, ex D. Thoma, moraliter est impossibile quod, qui divina privatus est gratia et charitate non continetur, diutius absque casu in peccatum persistat, quia, ex una parte, non habet affectum ordinatum per gratiam et charitatem circa Deum, et ex alia parte, peccato precedente viam ad aliud aperuit ; et aliunde, si inordinato affectu alicui creaturæ per peccatum adhaesisset, inclinationem ad illam, et ad exteriora propensionem experiretur. Ex secundo autem concluditur, quod haec purgatio est viri sancti ac perfecti, et non peccatoris: est enim velut impossibile, quod statim in novo peccatore haec duo conjungantur, summa vitae præteritæ contritio cum lacrimis et horrore sui, et ardens perfectionis desiderium; dicitur enim communiter, quod nemo de repente fit summus; et quamvis Deus via extraordinaria, ad ostensionem bonitatis et omnipotentiae suæ, possit subito honestare pauperem, et conversum peccatorem perficere, hoc tamen quam rarissime contingit, et via ordinaria ac regulariter homines paulatim in perfectione proficiunt.

Tertium signum est continua Dei contemplatio, et summa ejusdem dilectionis; in mediis namque purgationis hujus tenebris, anima in generali et confusa Dei cognitione continuo manet, et ardentibus quamvis afflictivo charitatis igne fervet: quæ duo demonstrant necessario ipsam animam nulli creaturæ paulo ante adhaesisse inordinato cordis affectu, propter quem hic crucietur, sed in Dei per-

severasse amore et cognitione, cum ejus amorem in mediis afflictionibus cum suiipsius odio, et ejus cognitionem in mediis tenebris cum suiipsius horrore conservet. Unde dicitur Psalmo 38: « Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis, et dolor meus renovatus est; concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis. » Licet autem, in principio purgationis hujus, amor Dei vix percipiatur, propter confusionem intellectus et ariditatem voluntatis, existit tamen et mirabiles operatur effectus: unde exiguis formaliter judicari potest, quamvis virtualiter et appretiative maximus debeat judicari; sic enim anima erga Deum afficitur, quod millies mortem dirissimam pateretur, potius quam eum vel leviter sciens et volens offenderet; et major et gravior ejus afflictio in hoc sita est, quod timet se Deum offendisse, et a gratia sive divina amicitia excidisse. omnesque quas patitur angustias despiceret, si se propter ipsum Deum eas pati judicaret: nullum timeret periculum, nullum vitaret laborem, nulla formidaret tormenta, ipsamque mortem pati suave et gloriosum crederet, ut Deo summe dilecto posset in aliquo deservire, tunc enim labores, quietem, dolorem, delicias, et contemptum esse gloriam arbitratur. Consideremus sponsam, hoc amore sauciatam, in mediis dilectum suum tenebris inquirentem: querit, et non invenit; vocat, et non respondet; sola per plateas et vicos civitatis cursitat, pericula spernit, et occurrentia audacter ingreditur; cumque eam invenissent custodes, qui circumeunt civitatem, et percussissent, et vulnerassent, et ablato pallio spoliassent, non de plagis et vulneribus dolet, nec de injuria conqueritur, sed in sola dilecti sui inquisitione persistit immemor injuriæ, et ejus ardens amore vulnera non sentit. Consideremus etiam Magdalenam in hac purgatione constitutam, et continua sui Domini contemplatione occupatam, et amore ardentem, quomodo viventem adhuc in domo Pharisæi spretis injuriis, et jam mortuum in sepulcro contemptis periculis quereret. Primum casum exponens Gregorius, ait de illa: « Consideravit quid fecit, et noluit moderari quid ficeret; super convivantes ingressa est, non jussa venit, inter epulas lacrimas obtulit. Discite quo dolore ardet, quæ flere et inter epulas non erubescit; et quia turpitudinis suæ maculas aspergit, lavanda ad fontem misericordiae eucurrit, convivantes non erubuit; nam, quia semetipsam graviter erubescet intus, nihil esse credidit quod verecundaretur

foris. » Secundum vero casum proponit sanctus Joannes Evangelista Cap. 20, dicens: « Una autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebrae essent, ad monumentum. » Quod exponens Gregorius, ait: « Quæ prius frigida peccando remanserat, postmodum amando fortiter ardebat; qua in re pensandum est hujus mulieris mentem quanta vis amoris accenderat, quæ a monumento Domini, etiam discipulis recedentibus, non recedebat: exquirebat quem non invenerat, flebat inquirendo, et amoris sui igne succensa, ejus, quem ablatum credidit, ardebat desiderio. » En vivam animæ in hac purgatione constitutæ et Deum in mediis tenebris et afflictionibus inquirentis imaginem: lux enim illa supernaturalis, secundum se clarissima, animam ipsam impuritatibus adhuc plenam offuscat et obscurat; et amor Dei, qui alias fruitionem et paradisi delicias causaret, nunc amaritudinem et angustias, propter conjunctas suæ miseriæ circumstantias, causat in anima.

Hæc sunt certa et infallibilia purgationis hujus indicia, quæ qui in se fuerit expertus, sperare et confidere debet quod, peracta purgatione, Deus faciet tenebras in lucem et aspera in directa, et quod hyems rigidissima transiet, et ver placidissimus et æstas uberrima succedent.

## ARTICULUS VI.

### QUOMODO SE GERERE DEBEANT, QUI PURGATIONE PASSIVA PARTIS INTELLECTIVÆ EXERCENTUR.

Aliqua superius adducta sunt documenta circa modum procedendi in purgatione passiva partis sensitivæ, quæ etiam pro hac purgatione passiva partis intellectivæ valde sunt utilia, et multo magis necessaria, primum maxime de eligendo directore apto, scilicet prudente, docto et experto, si fieri potest. Cum enim hujus purgationis via non sit ordinaria, et a paucis trita, ductore magis experto opus est, ne in ipso viæ processu periculum adsit, et incauta pereat anima; unde quæ circa hæc ibi dicta sunt, videantur et observentur; sicut et de non relinquendis spiritualibus exercitiis. Quædam igitur et specialia pro hac purgatione documenta remanent proponenda.

Primum est, supposita conformitate voluntatis nostræ cum divina, ipsum Deum humiliter, cum fiducia filiali de paterno ejus auxilio impetrando, et perseveranter invocare, sanctos adhibendo pro nobis apud Deum intercessores, et eos præsertim quos scimus in hujusmodi purgationis angustiis desudasse. Nec cessare debemus, quamvis preces nostræ videantur exosæ Deo, et ipse tunc appareat judex implacabilis puniens peccata, ut sigillatim demonstratur. Quod necessaria sit conformitas voluntatis nostræ cum divina, plusquam certum est, et ab omnibus sanctis usu receptum; divina quippe voluntas debet esse prima voluntatis creatæ in omnibus regula, ut Christus Dominus, et instruendo nos in oratione dominica, et operando, nos docuit: ibi siquidem nos petere docuit a Patre cœlesti, ut fieret ejus voluntas sicut in cœlo, et in terra; et ipse in agonia constitutus, cum, juxta sensum partis inferioris, petiisset a Patre ut transiret calix passionis, secundum tamen partem superiorem subdit: « Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. » Conformantes autem nos in omnibus divinæ voluntati, facimus, ut dici solet, de necessitate virtutem, et per hunc actum liberum etiam in necessariis meremur. Certum est quod divina voluntas beneplaciti et efficax, velimus nolimus, in rerum naturalium providentia semper impletur; unde maximæ prudentia est, nos propriam voluntatem ei conformare: sic enim et merebimur, et in omnibus satisfacti erimus, quia semper succedit id quod volumus, dum succedit id quod Deus vult absolute, quod semper contingit, et tandem, ad instar beatorum, immobiles ac omnis perturbationis expertes erimus, rectissimæ voluntati divinæ firmiter in omnibus adhærentes, et sic benedicemus Dominum in omni tempore. Quod Deus sit invocandus humiliter et cum fiducia filiali, et implorandum sit ejus paternum auxilium, nulli dubium esse potest, cum omne bonum et omne donum perfectum descendat ab ipso patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio; unde quilibet debet cum Psalmista dicere, Psalmo 17: « Circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me; tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi: o Domine, libera animam meam; misericors Dominus et justus, et Deus noster miseretur. » Quod sancti sint pro nobis intercessores adhibendi, et hi præsertim quos scimus in hujusmodi purgationis angustiis desudasse, manifestum est, quod enim nostris meritis obtainere non possemus, eorum intercessionibus obtinebi-

mus; unde, ad illos conversi, clamemus cum beato Job: « Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei; » et propria miseriarium seu angustiarum hujus purgationis experientia edocti, et nobis compatientes ad Dominum, clamabunt: « Illuminare his qui in tenebris, et in umbra mortis sedent. » Quod cum spe auxilii sit perseverandum, docet nos beatus Job, dicens Cap. 13: « Etiam si occiderit me, in ipso sperabo, verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam, et ipse erit salvator meus; » et Psalmista, Psalmo 22, ait Deo: « Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu tecum es. » Et merito sic sperabat, cum, illo revelante, sciret ipsum adesse tribulatis, et inducat sic loquentem: « Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. » Quod ab hujusmodi fiducia cessare non debeamus, quamvis preces nostrae Deo videantur exosæ, docet nos Jeremias Propheta, Lamentationum Cap. 3, ubi spirituales in hoc statu purgationis animæ dolores et multiplices angustias mystice describens, ait: « Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus, me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem, tantum in me vertit, et convertit manum suam tota die (manum videlicet illam gravem, cuius ictu pene contusus Job flebat dicens: manus Domini tetigit me). Vetustam, subdit, fecit pellem meam et carnem meam, contrivit ossa mea, aedificavit in gyro meo, et circumdedit me felle et labore; in tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos, circumaedificavit adversum me, ut non egrediar, aggravavit compedem meum; sed et cum clamavero et rogavero, exclusit orationem meam, conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit. Ursus insidians factus est mihi, leo in absconditis; semitas meas subvertit, et confregit me, posuit me desolatam, tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias pharetræ suæ; factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio, et fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere, et repulsa est a pace anima mea; oblitus sum bonorum, et dixi: periit finis meus, et spes mea a Domino. » En vivis coloribus expressum animæ flebilem in hæ purgatione statum, in qua nullum possidet bonum, ut credit, omni subjicitur malo continue per Deum iratum immisso; unde se Domino credens exosam, quasi jam damnata spe decidit; et tamen, cœlesti lumine confortata,

cum sancto Abraham Patriarcha conservat spem contra spem, et ad Dominum recurrit, quem scit esse misericordem, et ideo cor contritum et humiliatum non despicere. Unde tandem, cum eodem Propheta concludit: « Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absynthii et fellis; memoria memor ero, et tabescet in me anima mea; hæc recolens in corde meo, ideo sperabo; misericordiæ Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus. Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum; bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quarenti illum; bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. » Quod denique sit perseverandum in concepta de Deo fiducia, quamvis ipse tunc appareat judex implacabilis puniens peccata, suadet idem Propheta prosequens ibidem: « Quia non repellit in sempiternum Dominus, quia si abjecit, et miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum; non enim humiliavit ex corde suo et abjecit filios hominum, ut contereret sub pedibus suis omnes vincitos terræ. » Et post pauca subdit: « Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum; levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos; nos inique egimus, et ad iracundiam provocavimus, idecirco tu inexorabilis es; operuisti in furore, et percussisti nos, occidisti, nec pepercisti, opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio; oculus meus afflicctus est, nec tacuit, eo quod non esset requies donec respiceret, et videret Dominus de cœlis. » Et merito sic perseveranter anima sperat, etsi pro peccatis afflictam se credat, quia scit quod Deus quos amat castigat, et quod non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat. Unde sibi certo persuadeat, quod hæc purgatio, quamvis in pœnam peccatorum inducta, multum animæ proficiet, si ea debite utatur.

Secundum documentum est, ut qui in hujusmodi purgatione exercetur, sibi persuadeat honestum et gloriosum esse in hac mortali vita temptationibus et angustiis affligi, imo esse signum distinctivum filiorum Dei, ad æternam beatitudinem electorum, a reprobis filiis daemonum. Christus Dominus, Filius Dei naturalis et exemplum eorum qui in filios adoptantur, nonne sibi suisque discipulis crucem in suam elegit hereditatem? Nonne contrarium sentientes tanquam incredulos et stultos reputavit? Jam gloriosus resurgens ex mortuis hanc doctrinam prædicavit, et quod adhuc mortalis docuerat, jam immortalis effectus confirmat. Prius enim

crucis verbo docuerat, dicens : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me ; » item : « Qui non bajulat crucem suam, non est me dignus. » Sed, ut ait Augustinus, « parum erat Dominum hortari martyres verbo, nisi firmaret exemplo. » Post suam resurrectionem, suos instruens discipulos, et arguens contraria sapientes, ait : « O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt prophetae, nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ? » Hanc ejus doctrinam omnes discipuli, exemplo ipsius confirmati, postmodum lætanter secuti sunt, unde crucem, tanquam sibi debitam portionem, peramanter sunt amplexati. Longa singulorum inductione probari posset, sed unus pro omnibus adducatur Andreas, primus vocatione Christi discipulus. Hic, ad locum martyrii perveniens, cum crucem a longe aspexisset, exclamare coepit : « O bona crux, quae decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, et aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, et redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. » Si quis autem ex Christi discipulis materialem non sustinuit crucem, passus est spiritualem, multo graviorem. A qua lege nec sanctissimam et innocentissimam exemit Matrem suam, cuius animam tribulationis gladius pertransivit. Hæc via crucis regia et secura est, quæ sola dicit ad vitam eum, qui usque ad mortem per eam incesserit : unde electis Dei filiis in cruce cum Christo suo primogenito perseverandum et moriendum est. Propterea S. Bernardus, Sermone 1 Paschatis, irridet Judæos Christo crucifixo illudentes, et irridendo dicentes : « Si filius Dei est, descendat de cruce : » Imo vero, ait, quia rex Israël est, titulum regni non deserat (scriptum namque est : dicite in nationibus, quia Dominus regnavit a ligno), virgam imperii non deponat, cuius nimirum imperium super humerum ejus. Si Pilatus quod scripsit, scripsit, Christus non perficiet quod incœpit; ipse enim coepit, et salvabit nos. » Et S. Leo, Sermone 4, de Passione Domini, Judæos quasi male concludentes sic arguit : « De quo erroris fonte, Judæi, talium blasphemarum venena potastis? Quis vobis magister tradidit, quæ doctrina persuasit, quod illum regem Israël, illum Dei Filium credere deberetis, qui se aut crucifigi non sineret, aut a confixione clavorum liberum corpus excuteret? Non hoc vobis legis mysteria, aut prophetarum ora cecinerunt, sed illud vere legistis :

Faciem meam non averti a confusione sputorum; et iterum: Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Numquid legistis: Dominus descendit de cruce? Sed legistis: Dominus regnavit a ligno. » Ad hujus doctrinæ confirmationem, quidam pius Scripturæ interpres, querit cur Patris cœlestis vox intonuit super Christum Dominum, tum ad baptisma Joannis accendentem, tum in monte Thabor coram discipulis transfiguratum, et gloria ac honore coronatum: « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit; » cum tamen super ipsum crucifixum non intonuit, quando major instare necessitas videbatur, ut tunc sic humiliatus usque ad mortem crucis exaltaretur, et Filius Dei crederetur. Respondet ad intentum nostrum, quod Christus Dominus per crucem et passionem cum adjunctis circumstantiis sufficienter declarabatur Filius Dei; unde et a Centurione, et a pluribus aliis ut talis agnitus fuit, qui propterea pœnitentes pectora, propter sacrilegium execrandum in ejus divinam personam commissum, recesserunt dicentes: « Vere filius Dei erat, » quia crux et passiones sunt insignia filiorum Dei constitutiva, et a filiis perditionis distinctiva. Accedere autem ad baptisma ad peccatorum remissionem institutum, poterat ipsum Christum denotare peccatorem, eujus conditio divinae ipsius personæ repugnat; deliciae vero et gloria, in hac mortali vita communicatae, non carent suspicione deceptionis. Unde in cruce vox Patris non fuit ad manifestandum mundo Christum necessaria; bene tamen in Jordane et in monte Thabor. Ex quibus omnibus constat, quam honestum et gloriosum sit, quamque proprium filiorum Dei, in hac mortali vita temptationibus et angustiis affligi.

Tertium documentum est adhuc magis efficax, non quidem secundum se, sed tantum supposito amore concupiscentiæ, quo Deo propter retributionem deservimus, antequam, perfecte per hanc purgationem ab imperfectionibus purificati, ad divinum obsequium ex puro amore amicitiæ, sive ex solo complacendi divinæ majestati motivo, sublevemur. Est autem hoc documentum, considerare quod, secundum doctrinam Christi, lata est via quæ ducit ad perditionem, et multi incedunt per eam, est namque deliciis plena, fontibus irrigua et floribus consita; sed via quæ ducit ad cœlum quam angusta est, et quam pauci ambulant per eam! cum sit tribulationibus et angustiis horrida, spinis et scopulis infensa,

et penitus invia et inaquosa. Unde, qui propriæ vacat utilitati et suæ salvationi invigilat, non tristetur, sed potius gaudeat, cum se in hujus purgationis pressura constitutum videbit. Et sciat quod regnum cœlorum et æterna gloria, cum sit bonum summum, sive beatitudi omnium bonorum aggregatione constans, ex divina ordinatione difficulter acquiritur, ita ut non possit possideri, si tripli titulo non habeatur, quo divisim res aliae acquiruntur, videlicet hæreditate, emptione, et violentia virtutis, cum enim regnum cœlorum non gratis, sed juste per modum præmii et coronæ justitiae a Domino tradatur, ut ait Apostolus, non habetur titulo puræ donationis. Quod regnum cœlorum hæreditate possideatur, docet Apostolus : « Si autem filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. » Quomodo vero Christus Dominus, « primogenitus in multis fratribus, » in possessionem hæreditatis suæ seu regni cœlestis intravit ? Numquid non per labores et tribulationes, ut ipse met suis discipulis testatus est, dicens : « Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam, » scilicet in regnum sibi alias hæreditatis titulo, tanquam unigenito Filio naturali, debitum ? Deus autem nos elegit conformes fieri imaginis Filii sui ; et aliunde, multum indecens foret quod Filius naturalis dilectissimus per labores, et filii tantum adoptivi per delicias ad hæreditatem pervenirent. Quod regnum cœlorum emptione possideatur, docet S. Augustinus Libro, de Spiritu et Anima, dicens : « Ecce venale est regnum Dei; eme si vis, nec multum existimes de re magna propter pretii magnitudinem, tantum valet quantum habes; noli querere quid habeas, sed qualis sis; res ista valet tantum quantum es tu, te da et habebis illam. Sed malus sum, inquietus, et forte me non accipiet: dando te illi, bonus eris. » Quomodo autem potest quis se totaliter Deo dare, nisi operando et patiendo pro ipso Deo, quicquid ipse voluerit, ubi, quomodo, et quando voluerit, cum omnimoda conformitate ad divinam ejus voluntatem, et cum Christo in cruce hac spirituali agonizans, suum ipsi commendando spiritum ? Quod denique regnum cœlorum virtutis violentia possideatur, docet Christus Dominus in Evangelio, dicens : « A tempore Joannis-Baptistæ, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. » Quod exponens S. Hieronymus in quadam epistola, ait: « Grandis violentia est generatos in terra cœlum querere, et possidere per gratiam quod non tenemus per naturam. » Quomodo autem exercetur hæc

violentia, nisi in tribulationibus et angustiis hujus purgationis intellectivæ? Audi S. Gregorium in quadam homilia dicentem : « Regnum cœlorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur. » Prædicta omnia cōfirmantur doctrina Christi Domini, qui prædicans beatitudines, sive media quibus solis ad beatitudinem pervenitur, illa constituit in tribulationibus et angustiis, videlicet in paupertate spiritus, in fame et siti, in fletibus, in persecutionum tolerantia, in pacifica mansuetudine, et in aliis purgationis hujus exercitiis. Et merito hæc Christi doctrina traditur; cum enim Deus sit judex rectus, qui merita quæcumque præmiare debet, et punire demerita, et vix nullus sit inter mortales, qui penitus merito et demerito careat, inde est, quod omnes homines debent aliquo modo præmiari et puniri; et cum aliunde impii et reprobi propter suas iniquitates damnandi, nullo sint in futura vita fruituri præmio, et æterno sint castigandi supplicio, et vice versa justi et electi sint æterno fruituri præmio, et nullo in patria subjiciendi supplicio, sequitur quod illi in hac vita præmio temporalium bonorum remunerentur, et isti poena temporali dolorum, afflictionum et similium puniantur; et quamvis istorum pena posset ad purgatorium differri, ad confirmandos tamen mortales de futuræ vitæ certitudine, necessarium fuit quod multa delicta in præsenti vita non puniarentur, et multa similiter bona opera non præmiarentur, ut illa in futurum punienda. et ista præmianda reservarentur, quamvis aliquando execrabiliora delicta, et insigniora opera, etiam in præsenti vita, in vitii detestationem et virtutis æmulationem, condignum supplicium et præmium consequantur. Hæc exceptio multis in sacra Scriptura probatur testimoniis, ut punitione Sodomorum et remuneratione sancti Patriarchæ Abrähæ. Doctrina vero generalis passim tam in sacris quam in profanis historiis habetur expressa, et responsum Abrahæ ad epulonem divitem jam damnatum confirmat : « Fili, inquit, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. » Hujus doctrinæ practica saltem ignorantia quemdam monachum de solitudine ad sæculi delicias reducebat, cum vidisset impium hominem in civitate pacifica morte cum externa devotione defunctum, et sanctum eremitem in deserto fuisse a leone devoratum; sed, apparentis angeli, confirmatus instructione, remansit in solitudine.

Tandem audiamus Taulerum eos, qui hoc modo purgantur, sic consolantem et instruentem : « Plerique, ait, aliqua molestia gravata mihi dicere consueverunt ! Pater, male tecum agitur, diversis enim afflictionibus multoque merore perturbor; et ego recte cum eis agi pronuntio. Tum illi : non, aiunt, Domine, sed mea culpa id actum. Ad quod rursus ego : sive tua culpa id actum sit, sive non, crede ipsam afflictionis crucem a Deo tibi impositam, eidemque gratias agens sustine, et resigna te ipsum. Rursum illi : sed magna intus ariditate, obscuritateque contabesco. Quibus ego : feras, aio, dilecte fili, patienter, et melius tecum agetur, quam si in magna multaque sensibili devotione versareris. » Et alibi sic ait : « In gravissima illa pressura et tenebrosa desolatione homine constituto, pressuræ omnes, miseriæ, calamitates quas jam pridem evicerat et superarat, iterum in eo consurgunt, denuo impugnant, totoque impetu navem illius magna cum tempestate concutiunt, et fluctibus suis impetunt exagitantque ; sed, obsecro, quicumque hæc sentis, noli timere dejici, modo navicula tua probe anchoræ fixa sit, venti ei et fluctus obesse non poterunt. Ad mentem tibi veniat quod Job ait : « Post tenebras spero lucem. » Tantum ergo tecum maneas, non foras evageris, ad finem usque tentamenta et pressuram hanc sustine, nec aliud aliiquid quæras quo hanc evadas molestiam ; sicut faciunt plerique, qui dum hanc internam paupertatem et pressuram sentiunt, semper aliiquid inquirunt, quo eam effugere possint, quod profecto officit plurimum. »

Multa supersunt dicenda ad solarium et instructionem eorum qui rigori purgationis hujus subjiciuntur ; sed hæc in communi dixisse sufficiat, in particulari siquidem tradentur documenta sigillatim toto Discursu sequenti, dum diversa proponentur media, quibus hæc purgatio passiva partis intellectivæ perficitur.

## DISCURSUS IV.

**DE VARIIS MEDIIS QUIBUS PERFICITUR PURGATIO PASSIVA  
PARTIS INTELLECTIVÆ.**

Sicut purgatio passiva partis sensitivæ diversis perficitur mediis, sic et purgatio passiva partis intellectivæ; de quibus in præsenti Discursu agendum est. Nec media superius adducta, et sensitivæ purgationi deservientia, ab hac intellectiva penitus excluduntur; imo etiam aliqualiter ad illam concurrunt, cum purgatio sensitiva compleatur cum intellectiva, et propter identitatem suppositi utriusque partis sensitivæ et intellectivæ, et connaturalem ipsarum sympathiam, angustiæ ac dolores unius redundant in aliam. Unde, suppositis iis quæ de mediis purgationi sensitivæ proportionatis et propriis dicta sunt, in præsenti tantum agetur de mediis purgationi intellectivæ proportionatis et propriis.

### ARTICULUS I.

**PURGATIO PASSIVA PARTIS INTELLECTIVÆ PERFICITUR  
ALIQUANDO TENTATIONE CONTRA FIDEM.**

Fides est « sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, » sive est basis et fundamentum spiritualis ædificii; unde, fide sublata per actum infidelitatis, necesse est pereat totum spirituale ædificium, sicut, sublato materiali fundamento, tota domus corruuit. Inde est, quod Deus benignus et misericors speciali influxu fidem in peccatoris intellectu conservat (et idem ob eamdem rationem dicendum de conservatione spei in ejus voluntate): quamvis omnes aliæ virtutes infusæ quolibet actu peccati mortalis simul cum gratia sanctificante destruantur, solo infidelitatis actu fides destruitur.

Fides est quoddam lumen supernaturale divinitus infusum, quo creatus intellectus robatur, ut veritates a Deo revelatas possit attingere. Cum enim, ut ait Philosophus, « intellectus noster, ob suam infirmitatem, se habeat ad divinas veritates, quae secundum se sunt manifestissima naturæ, sicut oculus noctuæ ad solem, » necesse fuit quod, ad illarum intuitum et assensum, intellectus illo supernaturali lumine subjiciatur, quod est quædam derivatio luminis gloriæ, quo beatorum intellectus in seipso robatus quidditative Deum intuetur; et utrumque hoc lumen est divini intellectus diminuta participatio, lumen quidem gloriæ major et perfectior, lumen autem fidei minor et imperfectior. Unde, per hæc infusa divinitus lumina, creatus intellectus videt clare, vel obscure, semper tamen supernaturaliter, quod divinus intellectus intra se connaturaliter intuetur. Intellectus igitur creatus per hoc lumen res divinas in Deo revelante videt, non videndo eas in seipsis, et eas non comprehendendo attingit. Per illam credit Deum esse trinum et unum, esse objectum nostræ beatitudinis, esse summe misericordem, et sic de aliis divinis perfectionibus, quæ naturali lumine capi non possunt, quæ propterea sunt primarium fidei objectum; secundario autem se ad alia divinitus revelata diffundit, quæ naturali lumine capi possent.

Cum ad nostram salutem tam necessaria sit operatio fidei jam expressa, tanquam basis et fundamentum ipsius, et, illa supposita, facile sit omnium aliarum virtutum exercitium (qui namque credit Deum esse summe bonum et summe misericordem, facile in illum sperat, illum suaviter amat, prompte colit, mandatis ejus obedit, et tandem vitat omnia quæ divinæ ipsius majestati possent disdiscere), inde est quod diabolus totis impedit viribus, ne Dei prædictatio suscipiatur, et conatur ut fides jam suscepta destruatur, certus quod, illa destructa, totalem victoriam reportabit. Ecclesiasticis constat historiis, quanta rabie suos ministros, Imperatores ethnico, armavit contra prædicatores Evangelii, ne semen fidei fructificaret, et quanta malitia, singulis sæculis, in Ecclesia suscitavit here siarchas, ut zizania falsorum dogmatum seminando semen fidei corrumperent.

Quod diabolus generali malitia circa fidei destructionem in tota facit Ecclesia, facit etiam in unoquoque, ut ab eo fidem excludat, et maxime suam malitiam in hac materia circa eos exercet, qui,

violenta hac purgatione pressi, ambulant in tenebris et umbra mortis : impie suggestit illis, quod falsa vel suspecta sunt fidei christianæ documenta, cum in seipsis experiantur tot mala, tot tribulationes et angustias, cum potius præmia mererentur ex diuturno virtutum exercitio ; et ex hoc inferendum suadet, vel quod non est Deus, vel quod non curat de nobis, vel quod non est judex justus, et quo l de nostris gaudet miseriis.

Huic diaboli suggestioni nostra cooperatur natura : cum enim fidei christianaæ dogmata sint supernaturalia, et consequenter captum intellectus creati excedant, ejus cognitioni supereminens nec comprehendi possunt; unde natura secundum se ab eorum assensu refugit, et nisi pia voluntatis affectione moveretur ad credendum intellectus, omnino discredenter, intellectus quippe ex se habet, quod non credat quæ non capit.

Cooperatur etiam infinitus infidelium numerus, qui fidem manifeste impugnant ; sed periculosior est eorum malitia, qui, sub nomine Christiano latentes, atheismum incautis secrete praedicant : alios quasi nimis credulos ac levioris ingenii despiciunt, se solos ingenia fortia, solidum judicium, et eminentem habere prudentiam gloriantur. Nec rari sunt hæc monstra naturæ, cum rebelles sint dictamini naturæ Deum attestantis, cum quibus propterea titione potius, quam ratione foret agendum. Hæc viperarum genimina nuper ex quodam Lucillio Vannino processerunt in Gallia. Impius hic, ex Italia oriundus, incautos malitiose decipiebat juvenes, cum quibus familiariter agebat ; ejus impietas in multis per eum deceptis adhuc perseverat ; sed in præmium impietatis sacrilegæ, post linguæ abscisionem, vivus Tolosæ combustus fuit, et obstinate, non constanter, ut falso dicebat, in atheismo periiit.

Permittit igitur aliquando Deus, quod, ad majorem electorum suorum purgationem et ad majus eorum meritum, diabolus graves contra fidem tentationes excitet, quæ crudeliter animum exercent. Eis objicit (quod etiam athei solent objicere) quam decepti forent, si quæ credunt vera non essent: vere essent miserrimi, cum in hac vita nullis fruerentur deliciis, et in alia nullo laborum præmio gauderent. Novi aliquos, qui, tali tentatione multo temporis spatio vexati, cruciabantur interius, et moerro tabescabant. Et quamvis diabolus, experientia diutinæ resistantiæ doctus, prævideat fideles Dei famulos huic temptationi non consensuros, urget tamen,

si non ut vincat, saltem ut inquietet, et ab exercitio virtutum re- trahat; sed ipsius malitia Deus utitur in bonum eorum quos purgat.

Quum se aliquis hujusmodi tentatione infidelitatis exagitatum videt, debet primo, sursum ad cœlum respicere, ut cœleste fidei lumen a Patre luminum imploret, et ei dicere cum Apostolis: « Auge nobis fidem; » deinde, debet diabolum tentatorem irridere, eique dicere: « Quomodo mihi suggeris ut non credam, quod tumet credis et contremiscis evidentia signorum convictus? » debet actus fidei multiplicare circa materiam in qua tentatur; et captivans intellectum in obsequium fidei, debet Ecclesiæ authoritati credere, et non veritates ab ea propositas, tanquam a Deo revelatas, examinare, in hoc enim examine contra diabolum disputans infallibiliter succumbet. Legitur in Vita V. P. N. Dominici a Jesu-Maria quod quidam doctor eximius, in extremis pene constitutus, gravi contra fidem temptatione vexabatur; et, quia de difficultatibus per diabolum objectis lumine naturali disurrebat, jam fere temptationi succumbebat, sed Dei misericordia per dictum venerabilem patrem liberatur, qui, divina revelatione excitatus, currit ad infirmum, eum de propriæ salutis admonet periculo, de curiositate disserendi circa fidei mysteria severius arguit, et compunctum ac in fide confirmatum solatur, qui brevi, precibus et monitis patris in agonia roboratus, victoriam de inimico reportans, in cœlesti Jerusalem triumphaturus discessit.

Debet qui sic tentatur, propriæ imaginationi, diabolo, aliisque forte tentantibus hominibus fortiter in fide resistendo respondere, sed diversimode: sibi quidem, quod, etiamsi falsa forent quæ fides catholica de Deo, de animæ rationalis immortalitate, et futura vita docet, ex una tamen parte, sibi gloriosum et honestum est, secundum rationis dictamen et juxta virtutis regulam mortalem vitam transigere, ex alia vero parte, nullum mali periculum incurrit, nec poenitendum unquam ipsi foret, quod ab illicitis carnis deliciis abstinuerit, ne brutorum effrenatam concupiscentiam imitaretur. Diabolo autem respondere debet, quod magis Deo veritates fidei revelanti, et per Ecclesiam catholicam proponenti (de quo morales habet demonstrationes), quam ipsi tentanti et ut plurimum mentienti velit credere. Hominibus vero tentantibus, et improbe suggestoribus, quam foret attonitus ac deceptus, si quæ

credit falsa essent, respondeat audacter quod respondit quidam pater Carthusianus uni de schola atheorum similiter ipsum tentanti et suggestori : « Fateor quod quidem attonitus essem, nunquam tamen me pœniteret honeste ac laudabiliter vixisse ; sed si vera sunt quæ credo, beatus ero sic vixisse, tu vero miserrimus eris, cum impia et vituperabilis vitæ rationem reddes, et a Deo, justo Judice, merito damnatus, tuorum scelerum pœnas lues. »

Sed ad majorem fidei firmitatem, etsi tentatus unicum habere debeat formalem credendi rationem, divinam scilicet revelationem obscuram, et Ecclesiæ Catholicæ propositionem tanquam conditionem sine qua non et velut regulam credendorum, potest tamen laudabiliter inquirere motiva quædam efficaciter demonstrantia, quod fidei dogmata per Ecclesiam Romanam proposita sunt a Deo revelata, et quod Ecclesia Romana sit vere catholica. Utriusque vero plura possunt assignari motiva, quæ hic indicasse sufficiet, cum de illis alibi fuse disseruerim. Primum motivum est frequens miraculorum operatio : cum enim, ex una parte, solus Deus sit author miraculorum, cum ipse solus liber institutor naturæ possit supra naturæ leges operari, quod est patrare miracula, quæ sunt opera mirabilia vel contra, vel supra, vel præter naturam facta ; ex alia vero parte, non possit mendacium confirmare miraculis, vel decipi, cum sit æterna sapientia, vel decipere, cum sit prima veritas, necessario sequitur illud esse verum, in cuius confirmationem miracula patrantur. Constat autem, tum sacra Scriptura, tum historia ecclesiastica, per universum orbem infinita fuisse patrata miracula, in confirmationem veritatum quas nobis Ecclesia Romana credendas proponit. Secundum motivum est, testimonium tot insignium martyrum, qui, fuso sanguine proprio, veritates fidei confirmarunt. Quamvis enim aliqui pro falsis dogmatibus moriantur, illorum tamen mors obstinatione, et non constantia regulatur ; quod colligitur, tum ex modo credendi, tum ex modo moriendi, tum ex pusillo numero morientium. Credunt enim in abscondito, et ordinarie fidem suam verbis negant, dum instat periculum ; moriuntur ut plurimum impatienter, non cum fervore charitatis, sed cum furore impietatis ; rarique sunt hujusmodi morientes, cum natura mortem horreat, et sola tunc audacia naturæ per daemонem excitata patientur. Sed incliti martyres Christi manifestam omnibus fidem suam faciunt, eam in mediis cruciatibus

ipsismet tyrannis prædicant; patiuntur cum summa mansuetudine, cum gloria vultus hilaritate, imo et pro persecutoribus ac inquis tortoribus orantes crudelissimam necem patiuntur; nec pauci sunt, sed innumeri martyres, qui a primis Ecclesiæ incunabulis ad hæc usque tempora toto terrarum orbe pro Christi fide moriuntur. Tertium motivum est, testimonium tot prudenter et doctorum hominum, qui veritates fidei lumine naturali superiores ipsique obscuras non defenderent, nisi cum Propheta scirent testimonia fidei credibilia facta esse nimis; maxime, cum talis fides rigidam carni doctrinam proponat, et de ultimo fine agat, circa quem nullus prudens errare vellet, ne a beatitudine, quam in ejus assecutione constituit, excluderetur. Quartum motivum est, tam repentina majoris hominum partis, ad quos fidei Christianæ prædicatio pervenit, tam brevi tempore facta conversio, cum tamen hæc prædicatio non nisi per rusticos et paucos piscatores facta fuerit, et alias doctrinam carni et sanguini repugnantem, et de abstrusis veritatibus nec intellectui conformibus contineret. Quintum motivum est, sanitas vitae quam fides christiana docet et inducit in suis sequacibus, quam aliæ sectæ non profitentur; earum namque sectatores, vel in impuritatibus, vel in nugis apparentibus immorantur, ut in longa mea per Orientem peregrinatione sedulo consideravi. Quantam autem vitae sanctitatem et puritatem fides christiana doceat, vix dici potest, nec in praesenti describere necessarium est, cum omnibus pateat tot sanctarum virginum immaculata puritas, tot religiosorum incredibilis austeritas, tot aliorum vera pietas. Sextum tandem motivum est, ut alia plura nunc prætermittam, scientia prophetica, quæ a solo Deo dimanare potest: cum enim principaliter versetur circa futura contingentia a voluntate hominis dependentia, et hæc a solo Deo possint certo prænosciri, qui solus imperium habet absolutum in dictam voluntatem, utpote author ipsius, inde est quod illa fides sit vera, quæ conjunctam habet sibi prophetiam. Constat autem quod prophetia soli Christianæ fidei, et nulli sectæ alteri sociatur, quamvis in aliis sectis reperiantur aliquando homines, qui dæmonum arte futura quedam præsciant, quæ tamen non semper eveniunt; sed omnes prophetæ, quæ passim apud prophetas in antiqua lege, vel etiam in lege gratiæ scriptæ et per traditionem acceptæ sunt, omnino et cum singulis suis circumstantiis fuerunt completeæ.

Dum igitur, in mediis tenebris hujus purgationis, aliqua contra fidem urget inimici tentatio, « sumendum est scutum fidei, in quo possimus inimici tela nequissima repellere, » et ad prædicta recur- rendum motiva, ut his convictus noster intellectus fateri cogatur, quod veritates fidei Christianæ sunt evidenter credibiles, quamvis non sint nobis in seipsis evidentes, dum peregrinamur a Domino.

## ARTICULUS II.

### PURGATIO PASSIVA PARTIS INTELLECTIVÆ PERFICITUR ALI- QUANDO TIMORE REPROBATIONIS, ATQUE TENTATIONE DESPERATIONIS.

Quamvis hæc duo sint formaliter distincta, timor reprobationis et tentatio desperationis, quia reprobatio est principium et radix exclusionis a regno cœlesti, ut a beneficio creature indebito, et etiam damnationis, sed supposita creature malitia, desperatio autem est medium quo completur damnatio, quia tamen circa eamdem ver- santur materiam, in præsenti conjungimus.

Rari valde sunt, qui Deo deserviunt puro penitus amore amicitiae; plures autem sunt, qui deserviant amore concupiscentiæ et propter retributionem: inde est quod nihil ita torquet fideles animas, ordinarie loquendo, quam si timeant esse se in numero reproborum, et aliquando damnatorum, licet timendum magis esset minimum malum culpæ quam omnia mala penæ, cum hæc sint tantum contra creaturam, illud autem Divinas offendat Personas.

Cum igitur Deus, in hac purgatione passiva partis intellectivæ, tentationibus et angustiis suorum animas electorum, tanquam aurum in fornace probare velit, et scoriam imperfectionum decoquendo purificare, nonnunquam timore ac horrore reprobationis, et concomitante desperationis tentatione illos affligit. His plurimum cooperatur clarissima, per lucem infusam omnes simul imperfectiones proprias ipsis manifestantem, suæ miseriæ contemplatio: non enim possunt, se tam miseras intuendo, nisi horrorem de seipsis concipere, et insuper judicare quod oculis divinæ majestatis, multo purioribus, majori sunt in horrore et odio, et propterea se velut reprobos

arbitrantur, et in desperationis pene barathrum devolvuntur, quod omnem alium doloris et afflictionis sensum supereminet. Cum enim nihil tam naturale sit, quam beatitudinem appetere, sic nihil tam naturale potest esse, quam summam reprobationis et damnationis miseriam beatitudini contrariam refugere; unde, sicut spes beatitudinis adipiscendæ plurimum recreat, sic timor perditionis æternæ velut imminentis supra modum affligit. Vix angustias inde exortas capere potest, qui eas non fuerit expertus. Vidi aliquando, cum recenter professus confessarios e nostris ad juvandos morti proximos comitarer, quamdam mulierem, in extremis pene constitutam, quæ tentatione desperationis pressa sic torquebatur, et interius in anima, et exterius in corpore, quod in circumstantibus sui compassionem et horrorem excitaret: omnia consolationis monita in suæ desperationis mœrorem convertebat; identidem voce lacrimabili et lugubri se miserrimam, ac ter quaterque infelicem proclamabat; totque se pugnis in toto corpore percutiebat, quod tota esset livida; et, postquam Dei bonitate convaluit, ictuum contusione diutinum sensit dolorem.

Vere qui hujusmodi tentatione in hac purgatione durius exercentur, omni compassione digni sunt, et vere ambulant in tenebris et umbra mortis. Et certo, quid durius, gravius et horribilius alicui esse potest, quam seipsum in præcipito damnationis confestim ruiturum contemplari, et quod brevi bonorum omnium jacturam, et omnium malorum ruinam incurret? Nihil æquale cogitari potest, maxime dum talem jacturam et ruinam scit esse æternam. Unde, si tunc anima, ad has angustias redacta, se sola sit incapax consilii et solatii, debet a suo directore suaviter tractari et ad spem salutis æternæ rationibus erigi; et licet se damnationem mereri propriis peccatis asserat, debet ei responderi quod, quamdiu vivimus, est locus veniae, et quod Deus novit mutare sententiam, si ipsa noverit saltem quoad propositum emendare delictum.

Debet director animæ sic afflictæ, confusæ, perturbatae, et rugienti præ horrore, multorum exempla proponere, qui de perditione erepti ad magnam sanctitatem et æternam gloriam Dei misericordia pervenerunt. Proponat illi Saulum spirantem adhuc minarum et cædis in discipulos Domini fuisse conversum, et ex persecutore factum apostolum, ex vase dæmonis factum vas electionis. Proponat illi sanctum Latronem, qui cum tota vita male vixisset, et coram Deo et co-

ram hominibus, unico contritionis et amoris actu meruit a Christo beatificari et inter sanctos referri. Proponat alium, qui cum summis impietatibus suis meruisset per judicem ad mortem damnari, et in profundum maris demergi, et alias impoenitens ac obstinatus permaneret, differtur supplicium a judice, qui exigentibus justitiæ legibus damnans corpus, salvare volebat animam; sed cum nulla pœnitentia spes appareret, quasi reprobus in mare sacco conclusus demergitar, et quasi jam flammis addictus aeternis a recto simul et pio judice defletur. Sed, o mirandum divinæ misericordiæ prodigium! apparet gloriosus judicii, qui damnatus credebatur, et affirmat se in ultimo vitæ momento divinitus de suis sceleribus illustratum, et efficacis gratiae præventum auxiliis, per actum contritionis et amoris perfectissime justificatum, ad gloriam pervenisse.

Et certe, miserations Domini sunt super omnia ejus opera: unde merito dicit Prophetæ quod « Deus non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat, » et quod « benignus Dominus non gaudet de malis nostris, » nec in penis hominum simpliciter afflictivis sibi complacet, quamvis in penis medicinalibus in bonum ipsorum sibi complaceat. Et in Vita sanctæ Gertrudis legimus, quomodo misericors et miserator Dominus ipsi revelavit, quod omnium aeternam salutem summe desiderat, et tanta pietate morituris succurrit, quod si homines scirent, nullus de misericordia ejus desperaret. Similia debent exempla proponi ei, qui in hac purgatione passiva partis intellectivæ constitutus, timore reprobationis et tentatione desperationis torquetur.

Debet, ad ejus solatium, heroicæ sanctorum Patrum exempla propoundere, si generoso ejus animo profutura crediderit, ipsi persuadens, quod more ipsorum euret tantum Deo placere, ipsi deservire, et in sacro ejus timore ac amore perseverare, et quod suæ salutis curam Deo relinquat, asserens fideli servo et generoso athleta debere sufficere quod sua obsequia suo Domino placeant. In hujus doctrinæ confirmationem, referat exemplum sancti Bonaventuræ, qui dum timore reprobationis angebatur, seipsum confortans dicere solebat, quod Domino amore amicitia, et non amore concupiscentia deserviebat, et ipsi non ut remuneratori, sed ut in se bono complacere desiderabat, et quod propterea volebat solo amoris et non retributionis intuitu ipsi placere; et quod, cum sit ita bonus et ve-

nerabilis, et alias ex sua malitia et miseria non possit per totam æternitatem diligere et laudare, saltem toto vitæ suæ tempore tanto ferventius in ejus amore et laude volebat perseverare, quanto brevior est duratio, ut sic intensio extensionem compensaret. Simile quid legimus in vitis Patrum de sancto quodam monacho. Is summe, propter eximiam sanctitatem a suo superiore diligebatur, et quotidie in via perfectionis cum magno ejusdem superioris gusto proficiebat. Dæmon, humanæ salutis et spiritualis inimicus tranquillitatis, ut uno lapide bis feriret, ut dicitur, prædicto superiori in angelum lucis transfiguratus apparebat, ipsique condolens de futura nuntii, quod afferebat, afflictione, denuntiat monachum illum, quem sic tenere et justo diligebat titulo, præscitum esse ac inter reprobos computari, et quod proinde oleum et operam in suis pœnitentiis ac sanctis exercitiis perdebat. De insperato miratur senex et supra modum affligitur nuntio: quid faciat, quo se vertat nescit; non audet dilecto referre discipulo, ne contristatus desperet; non potest tamen vim doloris et afflictionis celare; non amplius hilari, sed moesto venientem recipit vultu, et ab ipso percunctatus lacrimis potius quam voce magnum in anima latere malum respondet. Verum, importunis ejus precibus coactus, revelationis seriem de reprobatione ipsius enarrat. Quietè et tranquillo suscipit animo sanctus juvenis tam durum de sua reprobatione nuntium; et superiori, illud referenti, cum insigni resignatione et conformitate ad divinam voluntatem respondet: «Timebam, Pater, ne in aliquo Deum offendissem; cum nihil acciderit tale, parum euro de omnibus aliis, etiam de mea reprobatione: non servio Deo, retributionis sed amoris titulo; purius deinceps ei deserviam, cum nihil mihi sit ab ipso sperandum; pro maximo fore præmio semper credam, si meis operibus divinæ placeam majestati; procurabo facere quod debo, faciet Deus quod ipsi placitum erit.» Hoc discipuli responso consolatus et simul aedificatus magister, heroicam ejus virtutem et consummatam miratur sanctitatem, et postmodum complete consolatur, cum, vero apparente angelo, et de præcedente falsa revelatione ipsum certificant, certitudinem de sui discipuli prædestinatione suscepit.

His et similibus exemplis director spiritualis discipulum, prædicto reprobationis timore ac desperationis tentatione vexatum, ad insignem resignationem, et heroicam cum divina voluntate confor-

mitatem debet animare. Quod si tam generoso perspexerit non esse animo, signis communiter receptis moraliter demonstrare procuret, quod inter electos Dei numeretur, et quod inter alia prædestinationis signa, quas patitur afflictiones potiorem obtinent locum, quia «Deus quos amat castigat, » ut ipsemet affirmat. Et quamvis similes angustias in pœnam peccatorum sibi venisse replicet, debet iterum respondere, quod Deus non punit bis in idipsum, et cum ipsum in hac vita pro peccatis semel affixerit, parcer in alia: « non enim, ut ait sanctus Tobias, delectatur in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facit, et post lacrimationem et fletum exultationem infundit. »

### ARTICULUS III.

#### PURGATIO PASSIVA PARTIS INTELLECTIVÆ PERFICITUR ALI- QUANDO TOTALI SUBTRACTIONE CONSOLATIONIS.

Hæc purgatio solet pluribus et gravissimis afflictionibus animæ perfici, sicut ex dictis hactenus manifestum est; sed tamen benignus Dominus, ad refocillandas electorum suorum, quos sic purgat, vires spiritus, nonnunquam eos cœlesti luce et interna suavitate solet ordinarie recreare, et tandem ipsa purgatio completur, et tunc anima ineptiatur ab ubertate domus Dei et torrente voluptatis ipsius potatur. Verum aliquando contingit, quod Deus aliquos fidèles suos servos continua et perpetua purgatione, seu toto vitæ mortalib[us] tempore, exerceat. Cujus rei non aliam possumus assignare causam, nisi quod Deus illorum fidelitatem probare, continuo meritum augere, et totum præmium, idque copiosissimum, pro futura vita velit reservare, similes famulos in exemplar patientiæ, humilitatis, et resignationis proponendo. Si namque multum laudatur, et vere laudabilis sit S. M. N. Theresia, quod, duodeviginti annos gravissimis morbis et variis tentationibus vexata, constantissime meruit in castris christianaæ penitentiæ, nullo refecta pabulo earum consolationum, quibus solet etiam in terris sanctitas abundare, quanto laudabilius erit, toto vitæ per multos annos tempore, in tenebris continuis ex parte intellectus, et in assiduis ariditatibus

et angustiis ex parte voluntatis, absque ulla intermissione, Domino  
deservire!

Non desunt aliqui, qui sic a Deo gravi hac purgatione purificantur. Et, ne a Carmelo renovato descendamus, invenio V. P. N. Joannem a Jesu-Maria, tertium congregationis Italiæ Præpositum-Generalem, qui tota vita sic purificatus ad maximam pervenit sanctitatem, ut incorruptum ejus sacrum corpus, quod in nostro conventu Tusculano bis veneratus sum, adjunctis aliis pluribus signis demonstrat. Qui hæc non sciret, et mellifluos ejus libros perlegeret, ipsum suisse spirituali suavitate conditum judicaret. Ut ea quæde ipso sunt in præsenti referenda majori firmentur auctoritate, sub iisdem proponentur verbis, quibus author Vitæ ipsius, Cap. 18, propositus.

« Joannes noster, ait, ab eo tempore quo, ad exemplum Udonis Archiepiscopi divinorum judiciorum horrore percussum, in asylum reformati Carmeli sese abdidit, ad extremam usque vitæ mortalis periodum, doloribus non corporalibus solum, sed timoribus ac desolationibus internis adeo continuis fuit afflictus, ut non nisi raro concessum fuerit de torrente dulcedinis divinæ in hac vita bibere, et inclinatum caput consolationibus cœlestibus exaltare.

« Nam militi suo Deus, dum devotionis subtrahebat affectum, propriis stipendiis merere jubebat, et gladio, quem adversus dæmonem stringeret, exarmabat : exponebat hostibus inermem, pavori, pusillanimitati relinquebat obnoxium. Hinc in virtutum actibus angustia, in orando tenebræ, in meditando fastidium, circa omnia bona tedium et anxietas ita aggravabant, ut in obseurum careerem, in vincula sibi conjectus videretur, et cum Jeremia Thren. 3, lamentaretur ad Dominum : « In tenebris collocavit me, aggravavit compedem meum, conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit. » Imo cum ad Omnipotentem cor erigeret, urgebat subito gravissima adversus eumdem impatientiae tentatio : cur tam durus tribulato, tam parcus egeno, tam aversus oranti, tam inexorabilis pulsanti ? Unde, palpitans ex vehementi agonia, meroe tabesciebat, quia ibi non reperiebat solarium, ubi unicum est afflito refugium. Quid dicam de temptationibus acerbissimis circa prædestinationem, circa misericordiam Dei, circa fidem Christi, quas cum spiritus sui rationem superiori redderet, nulli alteri rei melius comparari asserebat, quam damnatorum cruciatis ac tormentis ?

« Nam illæ fidelium animæ, quæ purgationis ignibus expiantur, certa spe fruuntur salutis æternæ. At cum Joannem nostrum Deus afflictionum tempestate concuteret, in manibus suis lucem abscondebat, ne usquam emicaret, et gratiam in animæ centro latentem tot nubes circumseperant, ut ne minimæ quidem scintillæ prodire fas esset; sed quidquid unquam boni præstiterat, quidquid favoris acceperat, ceu somnium, fumus, umbra abiverant in oblivionem: solam memoriam illigatam fixamque tenebat peccatorum et imperfectionum multitudo, et impendens desuper ira supremi Numinis, quasi in rebellem servum, lanceas ac fulmina evibrantis. Nec transitoriae erant hæ tentationes, quæ advenienti cederent auroræ; sed mora temporis, et importunitate doloris sedem sibi fixerant quasi habitualem, unde ad minimum motum exurgenter in pugnam, ac veluti rabidi canes morderent, si possent; si non possent, allatrarent, vellicarent. »

Causas hujus ariditatis adducturus author, statim subjungit: « Nec mirere, lector, Deo carissimam animam in extremis angustiis derelictam; speculator enim astabat desuper, et athletæ sui certamine jucundabatur, vires occulte suggerebat, victoram dabat, augebat meritum, præparabat coronam; quemadmodum de sanctissimo Jobo, Antonio, Catharina Senensi sacræ atque ecclesiasticæ testantur historiae.

« Duas derelictionis hujus causas in Ven. P. Joanne a Jesu-Maria, subdit, comperio, finalem unam, alteram efficientem sive formalem primariam. Etenim, cum ad Dei contemplationem pertingere nemo valeat, nisi speculum cordis gerat emundatum, ideo, sicut igne probatur argentum, et aurum camino, ita Joannem nostrum probavit Deus, ita ad purum excoxit scoriam ejus, ita loco condimenti pacis amarissimum obtulit fel anxietatis. Et ne talentum multiplex altitudo contemplationis efferret, aggravata est super eum manus Domini, quæ deprimeret, ut quanto ad majorem efformabatur sanctimoniam, tanto diuturniore acrioremque sustineret luctam; quanto splendidius lumen oriebatur divinæ sapientiæ, tanto profundius obscurarentur vires humanæ naturæ. Nam, ut S. Gregorius ait, 20 Moralium in Job, Cap. 19, « Omnipotens Deus eos, quos in æternum diligit, aliquando ad tempus relinquit; sanctos enim suos Deus inveniendo adjuvat, relinquendo probat, donis firmat, tribulationibus tentat. » Unde recte per quemdam sapientem dicitur:

« In primis elegit eum ; timorem, et metum, et probationem induxit super illum ; et excruciat illum in tribulatione doctrinæ sue, donec tentet illum in cogitationibus illius. » Quod Spiritus Sancti oraculum optime athleta nostro congruit, quem Deus quamprimum elegit, timore ac metu percussit, donec ad probandas vias Carmeli duras induxit ; deinde in tribulatione doctrinæ mysticæ excruciat ; ac tandem gravissimis cogitationibus ac tentationibus emundavit.

« Altera hujus rei causa, ad quam velut ad formam primariam, quodam gratiae impetu fluxit intimus animi dolor, charitas fuit, qua erga Deum flagrabat intensissima. Ubi enim amor, ibi dolor, et quot gradibus ascendit amor ad Sponsum, tantis dolorum gradibus ab eo repulsam passa in seipsam recidit anima, tabescitque. Nam, si nec vivendum sibi amplius putant ii, qui mulierum amoribus exulcerati, ab illis contemni se animadverterunt, quæ res amatoribus ægritudinem adfert intolerabilem, animæ, quæ erga Deum charitate vulnerata est, quanta fuerit ægritudo, si non amplius eum sibi adesse arbitretur ? S. Joannes Chrysostomus, Cat. in Job, Cap. 2. Vivat ergo triumphator in Israël, qui non derelinquit sperantes in se, nec patitur eos supra vires a se præstitas tentari, sed dat cum tentatione proventum ; et athleta nostro non indecorum fuit cum tot monstris depugnare, nec inutile de hostibus spolia reportare, nec inglorium a summo Rege coronari. »

Utrique causæ possumus aliquid addere ex doctrina generali, quam in præsenti tradimus. Ad formalem quidem, quod hujusmodi angustiæ ex clarissima divinæ contemplationis luce, qua hinc propria ipsius imperfectionum etiam minimarum impuritas, inde vero summa Dei puritas, cui adhærere sitiebat, manifestabatur, tanquam a radice pullulabant. Quæ sic aliquando sunt vehementes, quod qui eas patitur, nec orare, nec oculos in cœlum valet elevare, ut dictum est, et tunc solum est tempus flendi et tacendi. Ad causam vero finalē, addimus quod, cum Deus hunc fidelem famulū in primum nostræ congregationis Magistrum Novitiorum elegisset, ut ipso directore innumeros per hanc purgationis viam ad divinam unionem, et ad coronam gloriæ perduceret medio virtutum exercitio, copiosius ipsum magistrum præ cæteris scientia non solum speculativa, verum etiam experimentalis et practica voluit instruere,

et patientia cæterisque virtutibus illustrare, ut non solum præsentes discipulos verbo et exemplo, sed etiam alios scriptis de hac materia libris doctissimis erudiret. « Qui enim non est tentatus, dicitur Ecclesiastici 34, quid scit? vir in multis expertus cogitat multa, et qui multa didicit enarrabit intellectum; qui non est expertus, pauca recognoscit. » Et Jeremiæ 31, dicitur: « Castigasti me, eteruditus sum. » Plurimum autem ad directionem animarum, quæ hac purgatione vexantur, conductit, ut director præter eximiam doctrinam, etiam habeat experientiam, ut aptius instruere, et melius compati possit afflictiis. Nec hanc rationem tacuit author vitæ ipsius; imo post pauca sic illam tradit. « Denique non sibi soli, sed proximis certamen profuit tanti magistri; nam ut, dum viveret, oraculum fuit affictorum, et refugium suavissimum personarum spiritualium in animi gravissimis desolationibus, ita, post mortem, in ejus scriptis superstes esse videtur quedam gratia consolationis; præsertim paraphrasis in Job hoc spiritu præ cæteris pollere censemur; nam eum ad hunc effectum elucubravit, et amicis sollicitantibus evulgavit, et viri plures doctrina ac pietate clari confessi sunt sese in afflictionibus acerbissimis, ex hujus commentarii lectione non modicum fuisse confirmatos ac recreatos. »

Quantum attinet ad remedium et solatium eorum qui hoc modo purgantur, non aliud videtur necessarium, quam illud quo hic sanctissimus vir in mediis angustiis utebatur, quod author vitæ ipsius loco citato refert his verbis: « Duobus vero potissimum mediis sublime sibi tropæum erexit de temptationum victoriis spoliisque. Primo, quod Dei voluntati obsecutus nullam aut requireret, aut admitteret humanam consolationem, præter eas quas obedientia præscribebat, et has quidem ea qua poterat parcitate. Secundo, quod in mediis tenebris et ardentissimis flammis, ceu in ultimo tormentorum agone constitutus, contra naturæ ruentis impetum sese erigebat, profusis lacrimis et efflatis suspiriis, tanto validius erumpens in heroicos contrariae virtutis actus, quanto vehementius imminebat a temptatione periculum, et intimius aderat Dei præservantis auxilium; adeoque libenter et frequenter in Tusculanam Sancti-Silvestri solitudinem hujus rei gratia sese recipiebat, ut in ea spiritus internas angustias facilius ac liberius exhalareret. Et in hoc conventu nostro perseverat ambulacrum ex eo dictum Viale Contemplationis. »

Dictis adjungi potest, quod ab aliquo ejus discipulo didici, nempe hunc virum sanctissimum (dum similibus angustiis premeretur, et inimici suggestionibus ab exercitio virtutum, quasi sibi non profuturo et inutili, dissuadebatur) solitum respondere, se non propriæ utilitatis motivo, sed Dei solius amore facere et pati, quicquid faciebat et patiebatur. His etiam possunt adjungi alia remedia superius adducta et inferius adducenda.

#### ARTICULUS IV.

##### PURGATIO PASSIVA PARTIS INTELLECTIVÆ PERFICITUR ALIQUANDO SCRUPULORUM IMPORTUNITATE.

Multi sunt, qui tempore purgationis intellectivæ scrupulorum importunitate vexantur, sive, ut ait V. P. N. Joannes a Cruce quibus conceditur ad exercitium abominabilis spiritus vertiginis, qui sic eis sensus et intellectum obscurat et obtenebrat, ut mille perplexitatibus et conscientiæ ambagibus repleantur; unde nec proprium, nec alienum audent sequi consilium, et sic velut stimulis ac horroribus agitantur, ut ad amentiam usque perturbentur.

Audiamus Job, virum rectum et timentem Deum, qui scrupulis, agitatus, Cap. 9, sic loquitur: « Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti; si autem et sic impius sum, quare frustra laboravi? si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea. Neque enim viro, qui similis mei est, respondereo, nec qui tecum in judicio ex æquo possit audiri. Non est qui utrumque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus. Auferat a me virgam suam, et pavor ejus non me terreat; loquar, et non timebo eum, neque enim possum metuens respondere. » Quæ V.P.N. Joannes a Jesu-Maria exponens, sicut expertus, ait: « Potest sensus Jobi ad partem hominis inferiorem pertinere, in quo certe sensu observandum, et memoriarum mandandum, ad afflictorum solatium, ejusmodi lamentum esse animis desolationem tenebrasque interiores patientibus familiare. Satis quippe frequenter, postquam longam vitæ inculpatæ viam emensi sunt, in hos modos lugubres

verba faciunt : ego, quoad potui, Deum colui, ab omni labore vigilanter abstinui, Deum quam impense valui precatus sum, quomodo ergo tam severe a Deo repellor? quomodo Deo inquisitus sum? quid mihi profuit labor perseveranter exhaustus? Hic pro arcana afflictorum disciplina observandum, duo certe mirabilia in veteranis Dei cultoribus cohærere, et magnanimitatem cum Deo agendi, et quamdam velut oppressionem animi a Dei majestate per immissa afflictionum tela deterriti; illud a conscientiae testimonio, hoc a cruciatum magnitudine genitum videtur. »

Scrupulorum radix est lux clarissima divinæ contemplationis, et amor Dei. Qui enim huic intellectivæ purgationi subjacent, cum ex una parte, proprias imperfectiones et defectuosum in omnibus operandi modum intueantur, ex alia vero parte, summam Dei majestatem et puritatem advertant, cui perfectissimus debeatur cultus, aliunde vero Deum intense diligent, ut supponitur, inde est quod in singulis actibus suis Deum timent offendere, et importuno timore crudelissime torquentur. In eorum persona sanctus Job loquitur Capite nono: « Vere scio quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo; si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. » Et post pauca: « Si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest: cur ita facis? Deus cuius iræ nemo resistere potest, et sub quo curvantur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo? qui etiam si habuero quipiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor; et cum invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam; in turbine enim conteret me, et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa; non concedit requiescere spiritum meum, et implet me amaritudinibus. » His consonat quod ait Apostolus de seipso: « Nihil mihi conscientius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me Dominus est, » qui scilicet arcana mentis et cordis secretiora penetrat ac omnia delicta castigat. Et timorem auget dictum S. Bernardi Serm. 54, in Cantica: « In veritate didici, nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. Beatus homo qui semper est pavidus: time ergo cum arriserit gratia, time cum abierit, time cum denuo revertetur, hoc est semper pavidum esse. Succedant sibi vicissim in animo tres isti timo-

res, secundum quod gratia vel adesse dignatur, vel offensa recedere, seu iterum placata redire sentietur. Cum adest, time ne non digne operis ex ea : « Videte, inquit Apostolus, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. » Quid si recesserit? Nam multo magis tunc timendum. Plane multo magis, quia ubi deficit tibi gratia, deficit tu. Time ergo, subtracta gratia, tanquam mox casurus; time et contremisce, Deo tibi, ut sentis, irato. Time, quia reliquit te custodia tua. Nec dubites causam esse superbiam, etiamsi non appareat, etiamsi nihil tibi conscient sis; quod enim tu nescis, scit Deus; et qui te judicat, Ipse est. Numquid qui humilibus dat gratiam, humili auferet datam? Ergo argumentum superbiae privatio est gratiae, quanquam interdum subtrahitur gratia, sive retrahitur, non pro superbia quae jam est, sed quae futura est nisi subtrahatur. Habes hujus rei evidens documentum in Apostolo, qui stimulus carnis suae sustinebat invitus, non quia extolleretur, sed ne extolleretur; sed sive jam existat, sive nondum, superbia tamen semper causa erit subtractae gratiae. Jam si gratia repropriata redierit, multo magis tunc timendum, ne forte contingat recidivam pati, juxta illud in Evangelio: Ecce sanus factus es, vade et jam amplius noli peccare, ne aliquid deterius tibi contingat. Audis redire quam incidere esse deterius; proinde excalesce periculo invalescat et metus. Beatus es, si cor tuum triplici isto timore repleveris, ut timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa longe plus pro recuperata. » Haec sunt, quae scrupulos in hac purgatione intellectiva causant his qui in tenebris ambulant.

Quamvis autem satis manifestum sit quid est scrupulus, ad maiorem tamen ejus evidentiam, et apponendi remedii notitiam, sciendum est quod primario nomen scrupuli ad significandos lapides perexiguos, qui calceos ingressi pedem laedunt, impositum est; secundario autem et metaphorice translatum est ad significandas angustias animi ac conscientiae timores absque sufficienti fundamento exurgentibus: unde in hoc sensu scrupulus nihil est aliud, quam timor peccati commissi ex levibus ac incertis conjecturis procedens, juxta illud Psalmi 13: « Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor. » Hic timor admodum affligit animam in omnibus Deo placere desiderantem, et afflictio talis appetit in fronte et foras prodit, quia ut dicitur Proverbiorum 17: « Spiritus tristis exsiccat ossa. »

Scrupuli, qui tempore purgationis intellectivæ torquent animam, quamvis aliquando ex naturali indispositione, puta melancholica, aliquando ex ignorantia, aliquando ex aliorum suggestione, et tandem aliquando ex diaboli tentatione tranquillam animam turbare volentis, diversimode procedant, suum tamen ex Dei dispositione habent effectum, et animam affligendo purificant. Unde Psalmista sub persona eorum, qui scrupulis vexantur, ait Psalmo 54: « Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris : expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate. » Et Psalmo 106, sic describit eorum angustias sub persona navigantium, saeviente maxima et periculosissima tempestate : « Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos ; anima eorum in malis tabescet ; turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est. »

Ad solatium eorum, qui serupulorum importunitate purgantur necessarium est in præsenti nonnulla proponere remedia. Et quidem primum est, imitari illos de quibus dicitur in Psalmo : « Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur ; » vel sanctum Josaphat Regem,2 Paral.20, dicentem : « Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te ; » vel tandem, persistendo in eadem tempestatis comparatione, imitari apostolos Christum dormientem evigilantes, et ipsi dicere : « Imperaventis et mari, et fac tranquillitatem ; salva nos, perimus. » Sed hæc deprecatio sit, ex una parte, cum maxima fiducia, quod cum sit « miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors, non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur, sed quomodo miseretur pater filiorum, miserebitur Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figuratum nostrum, recordatus est quonia in pulvis sumus ; » ex alia vero parte, sit cum perseverantia usque in finem, exponendo ipsi propriam miseriā, et dicendo : « Domine, vim patior, factus sum mihi meti ipsi gravis. »

Secundum remedium est, se totum Deo committere et ipsum benedicere cum Propheta in omni tempore ; ipsa namque filiali resignatione quodammodo ad succurrendum compelletur. Non enim austerus et terribilis est, et hoc affirmat Bernardus, Serm. 38. in Cantica, dum ait : « Apostolus dicit, quod ignorantiam Dei quidam habent : ego autem dico omnes ignorare Deum, qui nolunt

converti ad Deum; neque enim ob aliud procul dubio renuunt, nisi quia gravem et severum imaginantur qui pius est, durum et implacabilem qui misericors est, ferum et terribilem qui amabilis est: et mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo quod non est ipse. » Et merito id asserit Bernardus, cum habeatur Sapientiae 1: « Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærите illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum, appareat autem eis qui fidem habent in illum. »

Tertium remedium est, quod qui solent scrupulis agitari, vere et generose devitent peccata nota, et imperfectiones manifestas, et de ipsis commissis conterantur, cui plurimum juvat frequens examen conscientiae cum emendationis proposito. Aliunde vero male fundatas imaginationes, quas ex directoris consilio neverint esse frivolas, et non moraliter malas, sedulo deponant; imo contra ipsas procedentes agant; quia, jam admissa propter pusillanimitatem una, subintrat alia, quae tertiam quasi concatenatam trahet; et sic, una fovente aliam, dabitur processus in infinitum, cum magno capitis detimento, conscientiae periculo, et jactura temporis, quae ex importuna scrupulorum importunitate incurritur, dum illis inquiete vacant, quando meditationi vel contemplationi, ac virtutum exercitio foret insistendum. Et suadendum esset, ut in auxilium accederetur ad Eucharistiae Sacramentum, cum Psalmo 22 scriptum sit: « Parasti in conspectu meo mensam, adversus omnes qui tribulant me. » Quod si scrupuli sint circa bonitatem ac validitatem confessionis, suadendum est scrupulosis quiescere et conscientiam pacificare; nullus enim cum fundamento remanet timoris locus in hac materia, quando, morali et sufficienti, juxta consilium confessoris, adhibita diligentia, manifestant sincere occurrentia peccata; quia, ex una parte, videtur impossibile singula in particulari peccata cognoscere, secundum Psalm. 18 assertum: « Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, » unde peccatis occurrentibus confessis in individuo, debent in communi de aliis non occurrentibus conteri et confiteri, et de illis solis postea confiteantur cum occurrerint memoriae, sed data occasione; ex alia vero parte debet sibi quilibet suadere, quod in hac præsertim materia divinæ misericordiae fidendum est, cum Deo dicat Augustinus, Libro 9 Confess., Cap. 13: « Væ etiam laudabili vitae hominum, si remota misericordia discutias eam. »

Quartum tandem remedium est, quod, quando quis advertit in se scrupulos insurgentes, si vere judicet ut tales, id est timores esse absque fundamento, procedat in contrarium, ut dictum est; si dubitet, an sit fundamentum timendi, tunc sileat, et resolutionem directori consulendo remittat. Hoc remedium est maxime proprium huic materiæ, cum alia sint satis communia. Ad cuius evidentiam, sciendum est quod, si perfectius et tutius est in omni materia prudentiam superioris quam propriam sequi, juxta dictum sapientis, Prov. 3: « Ne innitaris prudentiæ tuæ, et ne sis sapiens apud temetipsum, » quia Christus Dominus, Lucæ 10, ait ad superiores: « Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit, » multo magis verum est in hac materia scrupulorum, ubi qui eorum importunitate vexantur, non solum in ductu prudentiæ deficiunt, sed etiam ad amentiæ tenebras declinant, ut ipsa constat experientia; sic enim redduntur hebetes, ut ignorant, saltem practice, quod parvuli neverunt, et risu digni præ ineptiis videntur, sed in rei veritate multa compassionē digni sunt. Eligant igitur doctum, sanctum, et expertum directorem, juxta superius dicta, Discursu 1, articulo ultimo; et se totos ejus directioni committant, in omnibus consilium sequantur, et acquiescent iudicio, certi quod, hoc modo procedentes ac directori obedientes post redditam ipsi sincere spiritus rationem, non amplius ipsi de se, sed ille de ipsis est rationem Deo redditurus, ut docet Apostolus, Hebræorum 13, dicens: « Obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. » Director autem hujusmodi benigne et compassionate recipiat, ac patienter dirigat, quamdiu dociles ac suis consiliis acquiescentes videbit; et sciat hoc dictum Domini, Isaiae 35, ad se directum: « Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. » Ipsi persuadeat quod Christus Dominus, hujus purgationis author, ut refert idem Isaias cap. 42, « calatum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet, » sed tandem ejus precibus excitatus ventis imperabit, et serenum restituet, « statuet procellam eorum in auram, et silebunt fluctus eorum et tunc latabuntur quia siluerunt, et deducet eos in portum voluntatis eorum; » et quod « fidelis est Deus, qui non patietur eos tentari supra id quod possunt, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possint sustinere; quia sufficit illis gratia Dei, ut eorum virtus in hac infirmitate perficiatur. » Cumque talibus

remediis de tam gravi et periculosa tempestate fuerint liberati, gratias Deo pacificatori ac liberatori referant, cum sanctis Machabæis, Libro 2, Cap. 1, dicentes: «De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi.» Hæc sunt remedia contra scrupulorum infirmitatem, a sanctis Patribus, et gravissimis authoribus selecta, pluribus aliis praetermissis, vel quia jam sunt adducta, vel quia minus efficacia.

## ARTICULUS V.

PURGATIO PASSIVA PARTIS INTELLECTIVÆ PERFICITUR  
ALIQUANDO TIMORE DERELICKTIONIS ET INDIGNATIONIS  
DIVINÆ.

Licet plura circa hoc medium purgationis intellectivæ superius dixerimus, speciali tamen titulo proponimus in præsenti, ut circa hanc materiam expertum in seipso, V. P. N. Joannem a Jesu-Maria. Eum supra Lamentationes Jeremiæ Prophetæ fuse disserentem, et apte nos instruentem audiamus, simul adductis ipsius Prophetæ sententiis, quæ, ut supra dictum est, angustias hujus purgationis ad vivum exprimunt.

*«Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.*  
Ergo certe, cum animam, cui Deus ob crimen admissum graviter succensuit, cœlesti ultione tanquam in nihilum redactam cogito, in vexationis libro imbecillitatem meam aperte lego atque dignosco.

*«Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.* Conqueritur nempe anima, sortem nimis adversam sibi accidisse, proprio se domicilio depulsam, abductam in tenebras, proindeque puræ lucis radiis orbatam. Hæc est imago internæ cœcitatis, tenebrarumve interiorum, quæ animam, paulo ante divinæ lucis radiis illumitem, in stupiditatem quamdam pene incredibilem conjiciunt. Habet autem insignem doloris sensum ac si diceret anima: Hei mihi, quam infauste res mihi cedunt! Deus clementissimus, qui me ad purissimæ lucis solem sine trepidatione, aquilarum more, cernendum amanter evehebat, nunc, ad luendam culpæ poenam, in tenebras densissimas lugentem agit, ac extabescere sinit.

*« Tantum in me vertit, et convertit manum suam tota die.*  
 Familiare est omnibus, qui malis infestantur, se in primis infelices, et acerrime omnium tractatos dietitare : quocirca quicquid malorum alienorum audiunt, leve quiddam, si cum ipsorum labore comparetur, existimant. Quae sane opinio aptissime animo insidet, cogitando alitur, continuatione excrescit, alienæ anxietatis ignorantie in immensum abire videtur. Quasi apertius anima diceret : nescio indignationem Dei satis ponderare, videtur profecto ab aliis omnibus puniendis prudens abstinere, ac in me unam severe cædendam manum ultro citroque versare. Neque hic conquestionis modus usitatus est iis duntaxat, qui peccarunt, et se graviter afflictos cum aliis, qui impune peccasse videntur, identidem conferunt ; sed iis quoque, qui cum insolentes sint, ad incrementum meriti excentur. Cum enim conscientiae stimulus non urgeat, et aliunde peccatorum more graventur, frequentes motus exultant, et Deo impunitatis causas dulcissime interdum repräsentant, ut patet ex illo : «Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus,» et ex aliis permultis ejusmodi querimoniis amore suggerente productis. Neque mirum : animæ quippe quo puriores sunt, eo solent severius excruciarí, ut Deus, manum hac illaque convertens, nullam hominis partem vulneribus immunem relinquit. Quod vero additur, «tota die,» incrementum sensus habet, quasi dicat, se solam a Deo, non aliud cogitante, sæpe, graviter, ac sine intermissione torqueri.

*« Vetustam fecit pellem meam et carnem meam, contrivit ossa mea.* In sensu nostro tropologico verum est, anima immissis a Deo laborum jaculis saucia, corpus conflaccescere, carnem absumi, pellem contrahi squaloremque prætendere, ossa denique infirmari. Verum est pariter, penitiore ac magis arcano sensu, animam graviter afflictam quasi senio confici, dum vires internæ, quibus vegeta et velut armata incedebat, deficiunt et quodammodo atteruntur. Hinc certe qui rerum internarum ac divinarum affectionum consulti sunt, vices alternas non sine voluptate, in iis qui perfectionis christianæ viam carpunt, occulate dispiciunt. Quando enim spiritus afflat, homines ætate proiecti, vi nova cœlitus accepta, adolescentiæ vires resumere videntur ; et non internos tantummodo actus, sed labores externos valide obeunt, miroque spectaculo cum pueris adolescentibusque vitæ austeritatem concertant. E contrario, adolescentes

firma corporis constitutione prædicti, qui heri, spiritu prospere flante, muros æneos perrumpere audebant, hodie ariditate laborantes vix loco se movere posse videntur, ac si eos senectus repentina fregisset; modo lætissimo tripudio coram arca fœderis cum regio Psalte totis viribus exultant; modo cum eodem velut exsangues, more testæ arent, ac Deo faciem avertente deficiunt. Quapropter minime mirum est, si anima immense gravata pellem vetustam, carnem exesam, ossa contrita lamentetur.

*« In tenebrosis collocavit me quasi mortuos sempiternos.* Quasi planius diceret: si nosse velitis, ubi me Deus collocarit, in quam miseriae profunditatem demerserit, intuemini me anxiū et intime perturbatum. Nativum est hominī subterranea loca ingredienti, anxietatem et perturbationem pati; subit enim quædam mortis imago, dum cogitat homo se vivum in mortuorum loca penetrare. Mens ergo Vatis nostri juxta sermonem arcanum est, inducere animam sic dicentem: In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos; hoc est vivam sepelivit, adhuc viventem sepulchro condidit, ac si me vita defecisset. Qui sane dicendi modus ad vim calamitatis significandam appositissimus est: plerumque enim animæ vexatio adeo sævit, ut homo non magis præsentis vitæ functiones exercere valeat, quam si e vita migrasset.

*« Sed et cum clamavero et rogavero, exclusit orationem meam.* Licet sensus hic animæ, quæ culpam admisit, et ad purgationem exercetur. satis arcarius sit, sensus tamen alter animæ innoxiae et ad virtutum progressionem excruciatæ suavior est. Evenire videlicet solet, animam virtutum statura grandem, acri repulsa, quæ morte funestior est, interarescere; et quamvis certo speret procella sedata serenitatem superventuram, mali tamen diurnitate et assiduitate peccandi per intervalla frangitur, et amatoriis phrasibus ad exprimendum sensum appositissimis utitur. E quibus proculdubio una inter potissimas est, quæ hic a Vate sancto inducitur: sed et cum clamavero et rogavero, exclusit orationem meam; quasi luculenter diceret: quorsum adeo constanter pulso? Semper repellor: experimentis multis certe didici Deum me a consilio vexare, neque a pressura velle desistere; quocirea frustra precor, cum ille se mihi inexorabilem exhibeat. Hujusmodi verba profert anima; et tamen, dum ea promit aitque se nosse Deum exaudire nolle, sperat se per ipsas preces, querimoniis plenas, exauditum iri, neque enim eas fun-

deret, nisi profuturas speraret. Quod in omni amoris derelictione testatum est: sane vexatio desperationis signa præfert; amor tamen alte fixus in spem totus erigitur. »

Multa ad hunc intentum ex eodem loco possent adduci ; sed, his relictis, paucula desumamus ex ejus Paraphrasi in Librum Job, Capite 19, exponens hæc verba: « Iratus est contra me furor ejus, et sic me habuit quasi hostem suum, » ait : « Modus lamenti hujus simillimus est illi, quem Jeremias exprompsit : tetendit areum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis. Sermo iste gravior afflictorum proprius est, cum tamen se a Deo amari omnino in animum inducant, ipsasque ærumnas in bonum ac profectum suum directas existiment. Quocirca parcendum est veris Dei cultoribus acerbe vexatis; si, dum recrudescit dolor, hujusmodi querimoniis utantur : Deus me severe repellit, succensuit mihi, videor ei exosus, me velut hostem cœdit, aliisque similibus. »

Et vere tot tantæque suscitantur in anima tribulationes et angustiae, dum timore derelictionis et indignationis divinæ purgatur, quod poenæ inferni multo tolerabiliores ac mitiores sibi fore judicet, easque tunc in votis habeat. Audiamus Job, in similibus angustiis constitutum, sic exoptantem : « Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? » Quamvis autem hic per infernum intelligatur limbus Patrum, posset tamen intelligi locus damnatorum, quia furor Domini est terribilior omni inferno, et, sublato Dei furore a damnatis, infernus valde mitesceret.

Speciale remedium animæ purgatione hujusmodi vexatae est, patientem Job imitari, suos videlicet amicos invocando, et lacrimabili voce, sed diversa intentione dicendo : « Miseremini mei, miserebimi mei saltem vos amici mei; quia manus Domini tetigit me. » Job quidem invocabat amicos, ne ipsum persequerentur, sicut Deus; unde virtualiter eis dicebat, juxta paraphrasim V. P. N. Joannis a Jesu-Maria: « Vos saltem, qui accessistis amici, cernentes hoc spectaculum, quod saxa molliret, commiseratione flectimini; potentia quippe sua aversa, velut manu, me Deus exercet: cur ergo me cruciat is et carnem absumitis meam, ac si vestrum foret me cœdere, sicut cœdit Deus? » Anima vero debet sanctos, et præsertim suos devotos, in auxilium et intercessionem apud Deum invocare, sancti namque veri sunt amici, et inter eos maxime sanctum suum Angelum cus-

todem, cuius munus est animam sibi commissam custodire, dirigere, ac Deum in ipsam iratum placare. Unde, « anima, tali purgatione vexata, quoties gravissima cernitur urgere tentatio, et tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione, inclama eum, et die : Domine, salva nos, perimus. Quid sub tantis custodibus timeamus ? » Sunt verba divi Bernardi.

Quod si reliquos paradisi sanctos, et etiam fideles Dei servos bonum est invocare, utilius sane erit Jesum et Mariam in his angustiis inclamare : Jesum quidem, quem habemus advocatum apud Patrem, et qui est propitiatio pro peccatis nostris; Mariam autem, quia est Mater misericordiae. Audiamus Bernardum de invocatione Jesu : « Tristatur aliquis nostrum ? Veniat in cor ejus Jesus, et inde saliat in os : et ecce, ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, reddit serenum. Labitur quis in crimen ? currit insuper ad laqueum mortis ? Nonne, si invocet nomen vitae, confestim respirabit ad vitam. » Sed forte dicet anima : Jesum ipsum propter peccata mea video iratum, accedere formido, invocare non audeo : scito, quod, cum iratus fuerit, misericordiae recordabitur, et quod semper erit Jesus, id est Salvator, et potius nomen Salvatoris deponeret, quam munus salvandi non impleret, ne nos decipere videretur. Quod si justitiam reformides, propter offensam divinam ejus maiestatem, accede ad Mariam, quia sic est voluntas ejus, scilicet Filii qui totum nos habere voluit per Mariam ; « saepè quippe vidimus et audivimus, ait sanctus Anselmus, Libro de Excellentia Beatissimae Virginis Mariæ, Cap. 6, plurimos hominum in suis periculis recordari horum, et omnis periculi malum illico evasisse ; velociorque nonnunquam salus memorato nomine ejus, quam invocato nomine Jesu unici Filii sui, et id quidem, non ideo quod ipsa major aut potentior eo sit, nec enim ipse magnus et potens est per eam, sed illa per ipsum. Quare ergo propitior salus in recordatione ejus, quam Filii sui saepè percipitur ? Dicam quid sentio : Filius ejus Dominus est et Judex omnium, discernens merita singulorum : dum igitur ipse a quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profecto id juste facit ; invocato autem nomine Matris, etsi merita invocantis non merentur ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt ut exaudiatur. »

Huic autem invocationi maxima conjungenda est humilitas,

huic enim proprium est iram et furorem mitigare : quanto magis Deum, quando vere non est, sed tantum appareat iratus, innocentia animæ conciliabit, cum de illo scriptum sit : « Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet ? » Alia etiam ex superius adductis adhibeantur remedia, quæ profutura judicantur.

## ARTICULUS VI.

PURGATIO PASSIVA PARTIS INTELLECTIVÆ PERFICITUR  
PLURIBUS ALIIS MEDIIS.

Innumeris pene mediis Deus, corruptæ reparator naturæ, et animæ nostræ spiritualis medicus, servos suos purgat, ut infirmitatibus expulsis, alacrius viam perfectionis percurrere, et ad ipsum Deum valeant pervenire, eique intime uniri. Sed, ne nimium prolixus fastidium lectori generem, aliqua tantum pauca, prætermissis aliis, adducam.

Permittit aliquando Deus, quod diabolus existentibus in hac purgatione spiritum blasphemiae suscitet, qui, singulis eorum conceptionibus immixtus, ad horribiles contra Deum et sanctos blasphemias quasi compellit interius in mente, et exterius ad eas pronuntiandum voce. Quicquid sanctum tunc vident, quicquid prius audiunt, quicquid devotum legunt, illo blasphemiae spiritu in deteriorem partem detorquetur. Et sic illis videntur computari, de quibus dicitur quod « posuerunt in cœlum os suum. » Vix concipi potest, quales angustiæ in eorum anima generentur : seipsos horrent et inter reprobos reputant, cum se tam indigna de Deo et sanctis ejus advertunt cogitare. Tunc patientia et humilitate opus est, sibique persuadere debent, quod servi fidèles Domini, « in paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se ; tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. » Credere debent quod hæc tentatio non est in eorum ruinam, sed in meritum, cum alias videant se paratos millies potius mori, quam minimum quid contra Deum cogitare vel dicere.

Purgatio hæc aliquando perficitur timore deceptionis in præteritis :cum enim qui purgantur se miseris et imperfectionibus plenos intueantur, credunt præcedentes Dei favores fuisse dæmonum illusiones; non enim sibi persuadere possunt, quod tam insignes Deus ipsis favores concesserit,cum potius se suppliciis inferni dignos conspiciant: unde concludunt, quod Deus, in pœnam latentium peccatorum, permisit ut a diabolo deciperentur. Hoc etiam gravior animam excruciat, timentem ne, prædictis illusionibus diaboli, ut credit,in profundum malorum venerit, et jam sit a Deo penitus derelicta. His angustiis diu vexata fuit S. M. N. Theresia, ut in Vita ipsius legitur ; propterea quoscumque doctos, quoscumque sanctos et spirituales neverat, in animæ remedium consulebat. Sed confidant, qui sic purgantur, quod nemo perit nisi volens, nemo decipitur a dæmone nisi consentiens. Si fuerint humiles ac Domino fidentes, ipsæ dæmonis illusiones proderunt occasionaliter ad salutem; « omnia quippe cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. » Consulant directorem, et ejus consiliis acquiescant.

Perficitur etiam aliquando talis purgatio desperatione remedii, quod est gravissimum animæ supplicium, et simile damnatorum miseriæ. Omne quippe tormentum leve judicatur, si momentaneum et breve fuerit ; gravissimum vero semper habetur, si diuturnum et perpetuum credatur. Complementum namque damnationis est, videre quod inferni supplicia commensurentur æternitati, nec ulla sint unquam duratione terminanda. Qui autem sic purgantur, cum fundamento credunt nullum suis malis fore remedium. Experiuntur quod, ex devotionis suavitate, qua perfundebantur abundantius, in obscuritatem tenebrosam, in ariditatem maximam, et in quamdam insensibilitatem, suis, ut credunt, demeritis devenerunt. Quod exprimit sanctus Bernardus, Serm. 54 in Cantica, dicens: « Superbia inventa est in me, et Dominus declinavit in ira a servo suo : hinc ista sterilitas animæ meæ, et devotionis inopia quam patior. Non compungi ad lacrymas queo, non sapit Psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio. Ubi est illa inebriatio spiritus? Ubi mentis serenitas, et gaudium, et pax in Spiritu Sancto? » Sed his patientia opus est, nam vel tempestas cessabit, vel cum tempestate pleni meritorum divitiis ad portum æternitatis pervenient.

Perficitur etiam aliquando hujusmodi purgatio dominicæ passionis participatione. Contingit namque quod Christus Dominus famulis suis amarum calicem suum offerat bibendum, eosque passionis sue dolores, quos in anima et corpore passus est, liberaliter ipsis concedat. Mirabile purgationis hujus habemus exemplum in Beata nostra Magdalena de Pazzis, quæ, ut in Vita ipsius legitur, saepius in anno, et præsertim diebus sacris majoris hebdomadæ, quando dominicæ passionis fit commemoratio, patiebatur omnes sacratissimæ illius passionis dolores, tum in anima, tum in corpore. Unde tunc ei assistentes varias in ejus corpore dolorosas transmutationes advertebant, non secus ac si flagella in omnibus membris, coronam spineam in capite, clavorum fixuras in manibus ac pedibus, fel et acetum in ore, diversas extorsiones in toto corpore, et tandem summam illam tristitiam animæ manifeste videbant. Vere Christi Domini patientis et crucifixi vivam imaginem contemplabantur. In aliquibus sanctis tanta fuit dominicæ passionis participatio, ut sacra ejus stigmata membris impressa remanserint, et per plures annos perseveraverint, ut tanquam certum de sancto Francisco Ecclesia solemni celebrat commemoratione. Hujusmodi animo opus est: certi sint quod post, tempora passionis, gloriam spiritualis resurrectionis consequentur.

Perficitur tandem hæc purgatio, ut breviter concludamus, favoribus a Deo post commissas aliquas imperfectiones concessis. Sed hoc medium solis animabus generosis est proportionatum, quæ unico placendi Deo ad virtutis exercitium motivo ducuntur. Cum enim commissis imperfectionibus se dignas supplicii agnoscant, et vellent pœnis sibi impositis offenso Deo satisfacere, dum ab eo favores pro suppliciis, gratias pro pœnis recipiunt, miro modo torrentur, dum facta reflexione considerant se tam ingratas Deo tam bono, se ipsum Dominum offendisse, qui gratiarum charismata indignis profundit. Unde, in hac parte, Deus Apostoli consilium, ad Romanos 12 datum, sequitur, ubi dicit: « Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. » Sic se purgatam saepius asserit S. M. N. Theresia, et fatetur favores sibi post imperfectiones commissas a Deo communicatos, multo duriores tunc fuisse quolibet supplicio. His tantum opus est conteri de imperfectionibus, ac vitam emendare.

Plura adhuc possent adduci media, quibus purgatio passiva partis intellectivæ perficitur; sed, brevitati consulens, ea prætermitto, maxime, quia ex dictis hactenus facile colligetur, quomodo se quisque in his gerere debeat. Unde, concludens in hac parte, remedium pro singulis generale ex Tauleri, viri sancti et expertissimi, doctrina propono. « Sciendum est, ait, fideliterque retinendum quod, in homine Deum pure intende, saepe gravis quædam pressura et angustia oboriatur, qua oppressus videtur sibi Deum non pure intendisse, et ita omnium laborum suorum fecisse jacturam, omnemque perdidisse operam. Hinc jam pacem pectoris amittit, animique mœrorem et perturbationem incurrit. Haec autem pressura nonnunquam ex gravitate naturali, seu indispositione, vel complexionis malitia, nonnunquam ex influentia cœli, vel aëris inæqualitate, nonnunquam vero ex maligni spiritus operatione, qui per hujusmodi gravissimas immissiones suas hominem istum perturbare molliatur, accidere solet. Sed hæc suaviter declinanda sunt cum benigna tranquillaque mansuetudine, ita enim facilius vincuntur. Unde non satis recte faciunt quidam, qui pressuram hanc violenter et impetuose a se excutere, eamdemque perrumpere volunt, destruentes ac debilitantes per hoc capita sua, quique nimis inordinate doctores et Dei amicos pro consilio et auxilio accedunt, eripere se inde et evadere cupientes; unde sœpius magis implicantur, cum nemo facile inde eos extrahere et expedire queat. Quamobrem, ubi ista pressura et tempestas in homine exsurgunt, haud secus faciat quam solent homines facere, ubi tempestas oritur, et pluviae vel grandines cadunt. Tunc enim fugiunt omnes sub tectum, donec tempestas sopiatur, et pluviae cessent. Ita et ipse, ubi intra se simpliciter sentit ac deprehendit quod nihil velit neque desideret nisi Deum, dum hac pressura corripitur, modeste subtiliterque fugiat, donec integre sibi ipsi restituatur; simulque in vera resignatione ac patienti abstractione humiliter sustinens, tranquillo ac benigno animo in hac afflictione Deum præstoletur, etiamsi una hebdomada, vel uno mense, vel sex mensibus, unove anno, vel etiam diutius sine cessatione illa perduret. Et quis novit quali modo, quave ratione benignissimus Deus ad ipsum venire, suaque illi charismata et dona infundere velit? Stet itaque cum benigna mansuetudine sub tecto divinæ voluntatis ac beneplaciti, certus quod hoc vel centuplo gratius sit, magisque placeat Deo, quam

si magna sensibili devotione afflueret, et multas virtutes Deo quotidie offerret, intusque florerent et virerent omnia, et ipse divino lumine irradiaretur. In pressura namque non ita facile quis seipsum et sua quærere vel retinere potest, sicut in consolationis, ac sensitibilis dulcedinis, devotionisque affluentia. In hac namque sæpe se natura admiscet, et dum anima in ea immodice delectatur, mæculam contrahit. » Hactenus Taulerus.

---

## DISCURSUS V.

### DE TENTATIONIBUS OCCASIONE PURGATIONIS PASSIVÆ EXSUR- GENTIBUS, ET DE EARUM REMEDIIS.

Quia, occasione purgationis utriusque passivæ, id est, tam sensitivæ quam intellectivæ, plures insurgent tentationes, ideo de illis, ac earum remediis in præsenti Discursu disseritur. Hujusmodi autem tentationes (quas consequentes, aut concomitantes purgationem vobabo) distinguntur ordinarie ab aliis, de quibus egimus in superioribus, quæ sunt media purgationis ipsius, unde sunt antecedentes purgationem. Quamvis autem possint esse plurimæ hujusmodi tentationes, de aliquibus tamen magis frequentibus et ordinariis tantum agetur.

### ARTICULUS I.

#### DE TENTATIONE CESSANDI A BONIS OPERIBUS.

Hæc tentatio valde frequens, et pene communis est in purgatione passiva partis sensitivæ, non autem in purgatione passiva partis intellectivæ. Ratio utriusque est; quia purgatio passiva partis sensitivæ præcedens intellectivam solis convenit incipientibus, nondum in virtute firmatis, qui potius amore concupiscentiæ et motivo dulcedinis spiritualis, qua in virtutum exercitio perfruun-

tur, quam amore amicitiae, seu unico placendi Deo ducuntur motivo, et sic ad maximam difficultatem torrentur, et a bonis operibus cessare tentantur. Purgatio autem passiva partis intellectivae solis advenit iis, qui jam diu in via illuminativa processerunt, in qua se multum virtutibus exercuerunt, ac proinde ipsis, bono firmatis. quasi connaturale est bene agere, unde non facile ab exercitio virtutum deterrentur, cum, ut communis dicitur proloquo, oderunt peccare boni virtutis amore. Quae hic dicentur collecta sunt ex D. Bonaventura, Process. 4. Relig., a Cap. 1, usque ad 10.

« Non tota simul, sed paulatim illabitur hujusmodi tentatio, sensim crescit, et quibusdam intensior gradibus invalescit. Cum igitur incipientes vident exhaustam gratiae sensibilis affluentiam, corde deficiunt, sicut prius gratia devotionis animabantur, ita ut contra quascumque diaboli tentationes firmi et immobiles persisterent, juxta Davidis sententiam: « Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos; » Item: « Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. » Subtracto ergo tam singulari refugio, quicumque hoc modo purgatur, quodammodo inermis expositus est hostium tentationibus, et ideo pavidus efficitur et pusillanimis, nisi fidei et spei firmitate se muniat, et patientia et humilitate se defendat, quae tunc maxime habent locum exercendi se, et magnam gloriam promerendi. Fides autem probatur, si jam credit vera esse quae jam desiit per gustum dulcedinis experiri. Dulcia nimis sunt omnia quae de Deo gustamus; sed gustus eorum ideo subtrahitur bonis, ut fides magis innitatur auctoritati Scripturae quam experientiae, et magis ex hoc meritoria sit. Spes probatur, si confidat Deum sibi esse propitium, etiam dum flagellat, et ita studeat studiose servire et placere in omnibus, ac si sentiat et videat eum sibi esse pacatum. Unde Abraham laudatur, quia contra spem credidit divinæ promissioni, et non haesitavit diffidentia. Certissime scias, quod quaecumque promisit Deus, potens est et facere. Patientia probatur, si non murmuret contra Deum, quasi ex sua duritia hominem tribulet et desoletur, et si longanimiter sustineat beneplacitum Dei, et non deficiat in adversis. Humilitas probatur, si cogitet se digne puniri, quasi quod indignus est consolatione spirituali, et si justificet Deum, quod juste judicavit puniendo reum et ingratum, privando eum beneficio consolationis internæ. Tantum nobis debet Deus

placere, et tantum debemus Deum diligere quando nos punit, sicut quando consolamur, quia tam pia intentione nos punit ut purget, sicut dum blanditur ut consoletur. Ideo Apostolus ait : « Quis enim filius, quem non corripit pater ? » Et Joannes : « Ques amo, arguo et castigo. »

Post primum hujus temptationis gradum, qui est pusillanimitatis, nisi resistatur, statim sequitur secundus, difficultatis scilicet et languoris bene operandi, et quem idem sanctus Doctor sic exprimit : « Quidam tentantur ex difficultate bene operandi : habent aliquam bonam voluntatem, sed non fortem. Ex difficultate obstacula inveniunt, quasi qui saxum magnum volvunt, et inde affliguntur, tam ex remorsu conscientiae quæ accusat eos, quam ex dolore tardi profectus, et desiderio vitaे sanctioris. Quidam enim vellent habere bona opera, et non valent ad ea exequenda seipsos vincere, juxta illud Apostoli : Velle mihi adjacet, perficere autem non invenio. Aliqua vero possent, sed ista videntur eis arida et prava, quod diffidunt ea placere Deo, vel alicujus meriti fore ; et sic utrobique negligentes sunt. Ita incident in quamdam tristitiam et diffidentiam, sicut dicit Bernardus de talibus. Sunt qui in spiritualibus studiis fatigati et versi in torpore, ambulant tristes vias Domini, longos dies, longas quærunt et noctes, frequenter murmurant, corde arido ad quælibet injuncta accedunt. Quidam enim horror terret eos, cum cogitant de profectu spirituali, quasi dicant apud se : bona est victoria, sed dura pugna; dulce est præmium, sed labor merendi gravis. Sic exploratores, missi in terram promissionis, reversi commendabant ubertatem terræ, ostensis fructibus ; sed terruerunt populum pro difficultate impugnationis hostium, et proceritate inhabitantium. Ita religiosi quidam, explorantes terram per Scripturas, gaudia magna praedicant in cœlo fore, sed pugnas temptationum et labores spiritualium exercitiorum ita exhorrent, quod potius volunt in deserto mori, quam introduci in terram promissionis, hoc est, magis volunt in quodam medio statu remanere inter sœcularem et spiritualem vitam, quasi inter Ægyptum et terram promissionis, in deserto acediosæ conversationis, quam per labores et tribulationes pervenire ad gloriam perfectionis. Gigantes territi etiam mirantur, et timent quasi monstra Enacim, cum magnorum Sanctorum vitas considerant, et de propria parvitate diffidentes, illorum perfectionem attingere, non ex humilitate, sed ex

paviditate desperant, causantes et murmurantes contra Deum, quod tam dura servitia ab hominibus requirat, sicut illi qui educti erant de Aegypto ad tales miserias tolerandas. Unde etiam tam pauci veniunt ad perfectionem, sicut de omnibus supra ad pugnam enumeratis, tantum duo terram promissionis intraverunt: quia illi soli perfecti sunt religiosi, qui etiam in pugna temptationis et in exercitio virtutis infatigabiliter constantes fuerint, in pugna resistendo malis, in exercitio insistendo bonis usque in finem. »

Tertius invalescentis hujusmodi temptationis gradus est fastidium bonorum operum, ex difficultate ac languore bene operandi procedens. Quod sic explicat idem Bonaventura: « Ex hoc sequitur alia tentatio (videlicet partialis, conducens tanquam novus gradus ad totalem, de quahic agimus), scilicet fastidii, qua fastidit homo omne bonum: tædet eum orare, legere, meditari; tædet eum audire bona, vel loqui, vel operari, vel interesse divinis, etiam quæ sine gravi labore posset facere: et exinde, quia ad magna virtutum praemia pervenire diffidit, etiam in minoribus exerceri fastidit. Et quod haec tentatio ex priori oriatur, ostenditur: quia statim post murmur populi pro labore, sequitur murmur pro fastidio mannae, quod significat spiritualis refectionis alimentum, sicut sunt verba sacre Scripturæ et bona opera, quæ pascunt hominem et animam, et reficiunt conscientiam. De hoc Psalmista: Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis. Ad duo autem trahit ista tentatio, aut ad exteriores consolatiunculas et sæculares levitates, ut qui non habent in spiritualibus consolationem, saltem in carnalibus querant et in secularibus, ut consulant fastidio quo vexantur. Sic et illi qui manna nauseant, carnes concupiscunt, et pepones et porros, etc., id est, terrena et carnalia gaudia, sollicitudines exterorum negotiorum, quæ sua acredine, quasi porri, fastidientem gustum mutando delectant; sed postea conscientiam amaricatam ad fletum compellunt, aut ad nimiam tristitiam trahunt. Hæc tentatio fastidii, dum non habet in spiritualibus delectationem, et in carnalibus consolari renuit, sic, nusquam inveniens refugium, malo mœrore consumitur. Solum ergo restat, ut instanter clamant ad Dominum dum tribulantur, ut de necessitatibus suis liberentur, et sacrificent sacrificium laudis, et annuntient opera ejus in exultatione, id est, recolant beneficia Dei, ut illis ad laudem ejus in exultatione spiritus provocentur. »

Ultimus tandem hujus temptationis gradus est, cessare a bono opere. Hic praecedentes gradus necessario sequitur, nisi suffocetur exsurgens, aut progrediens in illis tentatio. Unde, subtracta gratiae sensibilis affluentia, ex parte Dei, solo purificandi motivo, tyrones incauti propria malitia corde deficiunt, ubi ferventius animari deberent; difficultatem et languorem bene operandi malitiose affectant, quando puro charitatis motivo foret operandum; fastidium in omni bono opere voluntarie patiuntur, dum purioris gratiae pascuntur abundantia; et tandem velut exanimes cessant ab exercitio virtutum, cum ipsis in via perfectionis esset currendum.

Hi temptationis gradus sunt sibi valde connexi, et omnino consecutivi: nam, experientia teste, discimus quod, ubi cor deficit circa alienjus assecutionem, confestim novæ succedunt difficultates, operandi languor occurrit, fastidium operationis illabitur, et tandem ab opere cessatur, si solius inclinatio naturæ ponderetur, quæ non agit nisi delectatione operis mota, et imitatur gratiam: nam, sicut ait Augustinus, Libro de Spiritu et Littera, C. 28, supra citato, « Deus sua gratia sic homines movet ad operandum, ut faciat plus delectare quod præcepit, quam delectet quod impedit; » et Homilia 29, ait: « Quomodo te a te liberat Deus? inspirando virtutem, dans menti cœlestem delectationem, qua omnis terrena delectatio supereretur. »

« Principiis igitur temptationis obsta: sero medicina paratur, cum mala per longas invalueremoras. » « Noli esse pusillanimis in animo tuo, » dicitur Ecclesiastici 7; et spe firmus dic cum Apostolo, ad Philippenses 4: « Scio humiliari, scio et abundare (ubique et in omnibus institutus sum, et satiari, et esurire; et abundare, et penuriam pati): omnia possum in eo qui me confortat. » Director potissimum animare debet, demonstrans paratum Dei subsidium. Deus ipse præcipit, Isaïæ 35: « Dicite pusillanimis: confortamini et nolite timere; ecce Deus vester ipse veniet, et salvabit vos. »

Præter alia remedia superius adducta, ferventer oret, et cum Propheta Regio expectet eum, « qui salvum facit a pusillanimitate spiritus et tempestate. » Imitetur fidelem quemdam Dei famulum, qui, ut sibi in simili provideret necessitate, plures et speciales Dei gratias sibi factas in quadam libello descripserat, ut eas saepre legebat et attentius considerans, tum anteactæ vitae pœniteret, tum seipsum frigidum et pusillanimem in ferventes actus amoris,

et grati animi sensus erga Deum ipsum misericordiae Patrem excitaret. « Quoties, ait, o anima mea, hos carbones e cœlo delapsos inspexeris, te oportet erubescere et ardere. Erubescere quidem, considerans ante porcum fœtidissimum margaritas projectas esse. Ardere vero præ amore illius, qui tua infinita scelera misericordiis castigavit; et, quo tu magis ingrata fuisti ei, eo tibi liberalior ipse fuit. Hunc ama, hunc lauda; nec te pudeat hac in re sanctorum morem imitari, hunc fasciculum congregando illi enim ardebat, ut nunquam ab actualia more cessarent; tu autem, ne unquam a penitissimo scelerum tuorum dolore desistas, ardere potes. » Et tandem fatetur, se paucos Dei favores, quos in religione acceperat, scripto notasse, ut quoties tepesceret, vel arida foret anima ejus, lectione eorum incalceret, et cor erigeret. Sic, qui de gratiæ sensibilis abundantia ad extremam spiritus egestatem in purgatione passiva reducitur, favores prius receptos mente recolat, cum tentatio pusillanimitatem inducit, ut recordetur quam bonus sit Dominus quærentibus se; et ita se ad eum inveniendum in exercitio virtutum excitet, certus quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus etiam in hoc mundo his qui diligunt eum.

## ARTICULUS II.

### DE TENTATIONE RETROCEDENDI A VIA PERFECTIONIS.

Etsi communiter dicatur quod in via perfectionis non progredi, sit retrogradi, quia virtus non solum destruitur actibus vitii contrarii, sed etiam cessatione propriorum actuum, sicut eorum exercitio conservatur, per hoc quod natura corrupta, sibi relicta, potius ad delectabile quam ad honestum suo pondere feratur, et sic cessare a bonis operibus esset retrocedere a via perfectionis, in præsenti tamen in alio sensu capimus. Unde hæc tentatio multo gravior praecedenti judicanda est: in illa siquidem a bonis operibus solum actu cessatur, in ista vero a statu bene operandi receditur; et sic, in illa priori, tantum virtutum actus suspenduntur, in ista vero posteriori, potentia bene operandi quodammodo tollitur, aut saltem remota virtutum occasione, et adjunctis pluribus obstaculis impeditur.

Duobus autem modis a via perfectionis retroceditur. Primo, per hoc quod quis, relicto spiritualis recollectionis silentio, et internæ contemplationis exercitio, de mentis recessu ad practicæ vitæ tumultus et ad occupationes redit inutiles. Secundo autem (quod multo deterius et sepe sacrilegum est), per hoc quod quis, dimisso statu religioso, vel ante professionem, vel post emissâ vota, Deo factus infidelis, ad sœcularium vitam et conditionem malitiose revertitur.

De primo disserit S. Bonaventura loco citato, ejusque periculum sic exponit : « Illa tentatio magis periculosa est, quæ minus molesta sentitur; quando ex longo tempore, et usu subtractionis gratiæ et devotionis, post multa anxia desideria, et labores pro recuperanda gratia, homo quasi lassus remittit animum suum ab intentione querendi, et sub colore patientiæ desinit oculos attollere ad opes, quas se habere posse non videt, et cum indignanti humilitate cogitat se forte indignum tali gratia, et quod forsan de ipso illud ordinat Deus, ut ad exteriora conversus multis prosit. Et ideo, ab interioribus sic repulsus, vult etiam sub discretionis velamine deinceps parcere sibi, ne corpus rursus debilitetur, vel caput irrecuperabiliter destruatur; et incipit remissior esse in studio orationis, et ad confabulationes promptior, ad evagandum pronior sive paratior, ad corporis commoda studiosior, ad inanes jocos promptior, ad exteriores occupationes, sub specie redimendi tempus utiliter, voluntarius et intentus. Et ita paulatim subtrahitur ei fervor, et desiderium proficiendi refrigescit, et studium languescit; subintrant affectiones religiosarum feminarum usque ad visitationes illarum; et omnibus aliis extinctis, solum remanet ei solatium debile, quia adhuc scit loqui de spiritualibus, per quod vel seipsum præfert multis inexpertis talium experientiarum spiritualium, vel acquirit sibi nomen apud religiosas feminas, quæ existimant eum loqui ex abundantia cordis, et esse bonum instructorem vitæ spiritualis et devotionis internæ. In hujus temptationis tempestate, plurimi fluctuant, et pauci navigant, quos nec amor afficit, nec desiderium trahit, nec timor stimulat, nec servor proficiendi urget, remissi in omnibus, et si qua bona videntur facere, ex usu quodam vel pudore faciunt humano, vel ex timore, ne deterius eis contingat. Unde qui hoc desiderat superare, oportet ut vim sibimet faciat, tam cordi quam corpori, sicut pigrum animal, quod

calcaribus trahitur et flagellis agitatur : quidam namque trahuntur impetu furoris ad bonum. Sieut igitur illi indigent frœno, quo retrahantur ne præcentur; ita alii indigent flagello impellente, quo ad bonum quasi coacti incitentur. Misericors autem Deus, quo difficilis quis in temptationis pugna certaverit, eo magis perfectionis gratiam retribuit in præsenti, et majoris gloriæ præmium in futuro. »

Hanc aliquando S. M. N. Theresia temptationem se fuisse passam in suis libris deplorat. Cum enim in principio vocationis non sic ferventer in via perfectionis procederet, sæpius in varias, etsi leves, cadebat imperfectiones; et cum, in earum pœnam et purgationem, Deus, Judex justus et simul misericors Pater, tempore mentalis orationis solitum devotionis gustum subtraheret, non mellis suavitate, sed amaritudine fellis eam pascendo, et aliunde proprios ipsa defectus tunc clare videns, se tali poena dignissimam arbitraretur, falsa quadam humilitate se ab orationis studio, et intimæ cum Deo familiaritatis incaute subtrahebat, sanctum Petrum quodammodo imitata, qui Christo Domino dicebat: « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum. » Sed malo suo fuit experta quantum detrimenti falsa hæc humilitas sibi causaverit, omnibusque qua potest inculcat efficacia, ne unquam ab orationis studio recedant, quacumque moveantur humilitate, quasi sint indigni cum divina majestate familiariter conversari, quia, sublato orationis exercitio, remedium imperfectionum et spes salutis simul aufertur.

De secundo loquitur Christus Dominus, Lucæ 9: « Nemo mittens manum suam ad aratum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. » Agebat autem Christus cum quodam suo discipulo, qui, etiam sub specie pietatis, sepeliendi videlicet patrem suum, et bonis paternis renuntiandi, redire ad sæculum cogitabat, obtenta prius a Christo redeundi facultate. « Si tam malum et periculosum a Christo iudicatum est, quod suum arguerit discipulum, qui redire ad domum volebat, ut ei renuntiaret, quid fieri illis, ait Beda, Libro 9, C. 41, qui nulla utilitatis gratia sæpe visitant domos illorum, quos in mundo reliquerunt? » « Quia, ut noster docet Cyrillus, apponit manum aratro, qui affectuosus est ad sequendum, tamen respicit retro, qui dilationem petit occasione redeundi ad domum, et cum propinquis conferendi. » Periculum autem inde procedit, quia, ut ait

S. Gregorius, « crebri intuitus eorum, quæ deseruimus, propter consuetudinem trahunt ad retroacta, violentum enim quid usus est ad retinendum sibi : nonne habitus ex usu, ex habitu vero natura innascitur? naturam vero amovere vel alterare difficile, nam etsi paulisper declinet coacta, redit ad seipsam velociter. »

Quod si sancti Patres ex hac Christi sententia concludant, ita periculosum ac reprehensibile religiosis esse, sæcularium domos facile frequentare, etiam sub colore aliquo pietatis, quanto periculosius, ac reprehensibilius illis erit, dimisso etiam ante professionem statu religioso, ad sæculi delicias falsas, et ad veras redire miserias. Scio quidem quod diabolus, humanæ salutis inimicus multas novitis excitat recedendi occasiones; nam, præter multa pietatis motiva, propter ariditatem voluntatis et intellectus obscuritatem, quas in purgatione passiva partis sentitivæ patiuntur, incautis facile persuadet, quod ipsis magis utile foret ad sæculum redire, quam in religione perseverare, quandoquidem propria utriusque status didicerint experientia, quod magis devotam et pacificam ac Deo magis placentem vitam ducebant, cum ibi velut in præmium devotionis tam copiose divina reciperent charismata, et sensibilis gratiæ affluentiam experirentur, cum tamen in religione cœlum velut æneum, Deumque sibi graviter offendit et iratum multis probent experimentis. Sed huic serpentis suggestioni sunt aures mentis occludendæ, cum malum nostrum et non bonum procuret, cum nostram ruinam et non victoriā intendat. Quis enim plus utilis in sæculo videbatur, quam venerabilis frater noster Franciscus a Puero Jesu, qui xenodochia integra quæsitæ sustentabat eleemosynis, qui pene innumeros in civitatibus alebat pauperes, qui maximum in universitatibus studentium numerum continuo nutriebat, qui denique quotidianis christianæ pietatis operibus Domino jugiter inserviebat, et tamen divinitus ad religionis nostræ statum misericorditer vocatur? Cumque Regis Catholici Philippi II prudentia humana, et doctorum consultatione, ejus vocationi impedimentum apponeretur, ac summi Pontificis autoritate bis, instante Rege, in voto religionis per ipsum emiso fuisse dispensatum, Dei tamen vocantis imperio, cuncta removentur impedimenta, et ipse ad statum religionis, et inde ad aeternæ felicitatis portum feliciter pervenit. Qui hujusmodi tentatione premitur, non suæ initiatur prudentiæ, sed directoris et

magistri spiritualis consilium in omnibus sequatur ; nihil de diaboli suggestionibus celet, sed omnia clam suggesta manifestet : sic enim artes et fraudes eludet diaboli, qui non ultra sua credet ipsi secreta, si fidelem suorum secretorum custodem ipsum non esse agnoverit.

Qui, relicto statu religioso, ad vanitates sæculi redeunt, filiis Israël in Ægyptum redire volentibus, ut in eadem Sancti Bonaventuræ comparatione persistamus, fideliter exprimuntur. Hi namque, post multiplicem divinæ providentiæ, ipsos inusitatis miraculis contra suos inimicos protegentis, experientiam, post apertum maris rubri transitum, post sepultum in aquis Pharaonis persequentis exercitum, post mirandum columnæ nubis in die contra solis ardores, et ignis in nocte contra horrorem tenebrarum, in mediis illis solitudinibus ductum, ad minimam rerum penuriam quam ad experimentum Deus induxerat, contra ipsum Deum, ejusque vicarium Moysen ipsorum ducem murmurare cœperunt, ut Cap. 16. Exodi habetur : « Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israël contra Moysen et Aaron in solitudine, dixeruntque filii Israël ad eos : utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panem in saturitate ! Cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame ? » Imo, postquam manna, suavissimum panem angelorum, divina liberalitate comederunt, recordati deliciarum Ægypti, quas prius animose reliquerant, sortem suam deplorarunt. Unde dicitur Numerorum 21 : « Tædere cœpit populum itineris ac laboris, locutusque contra Deum et Moysen, ait : cur eduxistis nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine ? Deest panis, non sunt aquæ ; anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. »

Multo gravius esset, et maximum sacrilegium, post emissa professionis vota solemnia, religioso habitu dimisso, redire ad sæculum. Cui talis tentatio irreperet, divinam reformidet ultionem, non tantum in futura, sed etiam aliquando in præsenti vita inferendam ; et multiplici talium apostatarum exemplo, qui male perierunt, animum suum in bono confirmet, ut si virtutis amore in religione non persistit, saltem formidine pœnæ in illa perseveret.

Ad extirpandas hujus temptationis radices, qui religionis statum est ingressus, vel etiam professus, aut etiam qui sese contempla-

tioni et intimæ recollectioni sponte dedicavit, recordetur Apostoli dicentis : « Nemo militans Deo implicat se negotiis sœcularibus. » Unde in suo maneat recessu, et sciat quod « cella bene custodita dulcescit, male autem custodita tedium generat; quod cella est schola virtutis, et quod non nisi cœlo prædestinatus, moraliter loquendo, in cella usque in finem perseverat : si seipsum in cellæ custodia plurimum exercuerit, non est periculum quod a via perfectionis, et multo minus a statu religionis, retrocedat, quia cellæ deliciis, et animæ pace quæ exuperat omnem sensum, abundantius recreatur, unde carnis gaudia facile contemnit ; si cellam fugiat, et invitus in ea manere debeat, muros claustræ transiliet, quia quodammodo videtur impossibile, quod animus diu suspensus absque deliciis cœli et terræ persistat : si non habeat delicias spiritus, quæreret delicias carnis. » Fermo autem religionis et perfectionis manente proposito, si se ad externa vocari negotia, etiam sub prætextu pietatis et charitatis, advertat, probet et examinet diligenter an spiritus ille ex Deo sit; « non enim omni spiritui credendum esse » docet Apostolus dilectionis. Et quidem, si externa hujusmodi negotia propriæ ipsius professioni religiosæ contrariantur, spiritum ad illa quoecumque prætextu ordinario vocantem, quasi tentatorem et diabolicum repellat; si autem tantum electioni ipsius adversentur, consulat directorem, ut, ponderatis omnibus hinc inde circumstantiis, judicet an melius sit in proposito contemplationis recessu soli Deo vacare, an relicta solitudine proximi laborantis necessitatibus pie succurrere.

### ARTICULUS III.

#### DE TENTATIONE MURMURATIONIS ET IMPATIENTIÆ CONTRA DEUM.

Cum Deus vel incipientes viam perfectionis, vel etiam in ea proficientes purgatione passiva, propter motiva superius adducta, diutius exercet, sequitur quod aliqui, non ita divinæ voluntati conformes, in actus impatientiæ prorumpant, et, quod deterius est, contra Deum audeant murmurare.

De primo sic loquitur sanctus Bonaventura, jam citatus : « Quod

si statim non successerit, sequitur alia tentatio gravis, impatientiae contra Deum: quare tam durus et immisericors sit tribulato, quare tam parcus in dando gratiam egeno, et tam anxie petenti, tam importune pulsanti? Et haec tentatio quandoque tam valida est, quod quasi insanit homo, et palpitat ex vehementi moeore, quia ibi non invenit solatium, quod deberet ei esse unicum refugium in oratione, et in tanta suppositione, cum Dominus dicat: Qui querit, invenit, etc. Et Job: Clamo ad te, et non exaudis me; sto, et non respicias me: mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuae adversaris mihi. Et Isaías: Multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum super me continuerunt se, etc. Et Habacuc: Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudiens? Item: Exurge, quare obdormis Domine? Item illud murmur filiorum Israël: Est-ne Deus in nobis, an non? Haec omnia illius temptationis anxietatem exprimunt, quae non valet melius superari, nisi patienter tolerando, et humiliter expectando, donec nobis benignitatis suae vultum dignetur ostendere, et manum largitatis aperire, ut cœlum, quod super nos quasi æneum sentitur, stillas gratiae nobis influat, et terra cordis nostri quasi ferrea, emollita pluvii benignitatis Domini, det fructum suum, id est, affectus pios et desiderium devotionis. »

Tanta est hujus temptationis aliquando violentia, quod animum pene subvertat, ac penitus obruat. Patientissimus, imo exemplar patientiae, Job sanctus in sacra Scriptura nobis proponitur, et tam rectus quod in nullo peccavit labiis suis, et tamen, sua purgatione pressus, vel naturæ tantum sensum exprimens absque consensu, vel in persona eorum qui hac temptatione vincuntur loquens, in maximos actus impatientiae videtur prorupisse. Habetur enim Capite 3: « Post haec aperuit Job os suum, et maledixit diei suo, et locutus est: pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desper, et non illustretur lumine; obscurent eum tenebrae et umbra mortis, occupet eum caligo, et involvatur amaritudine, etc., quia non conclusit ostia ventris qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis. Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii, etc.? Quare misero data est lux, et vita his qui in amaritudine animæ sunt, qui expectant mortem et non venit, quasi effodientes thesaurum; viro, cuius abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris? Antequam comedam suspiro, et tan-

quam inundantes aquæ sic rugitus meus; quia timor, quem timebam, evenit mihi, et quod verebar accidit. Nonne dissimulavi? nonne silui? nonne quievi? et venit super me indignatio. » Hæc sunt verba afflictæ supra modum animæ, quæ, materialiter considerata, præ se ferunt impatientiam, cum tamen certum sit non talia fuisse, ut procedentia ex ore viri sanctissimi, qui in omnibus his non peccavit labiis suis. Unde, juxta mentem Angelici Doctoris, Job, quoties maledicentiam exercet, inferioris portionis, sive appetitus poenam horrentis, sensum repræsentat, cum tamen, juxta superioris portionis assensum, calamitatem acerbissimam a Deo illatam constanter exantlet. Quemadmodum Christus Redemptor noster, dum mors sævissima immineret, expressit partis inferioris sensum, aiens: « Transeat a me calix iste, » quem tamen invictissima fortitudine ac magnanimitate erectus exhaustis. Vel etiam hæc verba a sancto Job, non in propria, sed in persona eorum proferuntur, qui hac purgatione probati, in actus impatientiæ prorumpunt tentatione superati, de quibus in praesenti loquimur.

De secundo, scilicet de murmuratione, multiplex habetur exemplum in filiis Israel, qui, ad singula patientiæ experimenta, contra Deum ac Moysem impie murmurabant; qui tamen propterea ignitis serpentibus usque ad internecionem castigati sunt. Et in Job sic purgato illud deprehenditur, quando, purgatione sua pressus, vel secundum portionem tantum partis inferioris, ejus exprimens sensum, non autem partis superioris consensum, vel loquens in persona eorum qui tentationi succumbunt, sic materialia murmurationis verba profert, Cap. 30, post exactam suæ purgationis expressionem: « Redactus sum in nihilum, abstulit quasi ventus desiderium meum, et velut nubes pertransiit salus mea: nunc autem in memetipso marcescit anima mea, et possident me dies afflictionis, etc. Clamo ad te, et non exaudis me; sto, et non respicias me; mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. » Quæ ultima verba sic exponit V. P. N. Joannes a Jesu-Maria quasi propria ipsius Job: « Et mirum, quod famulum fidum tibi obsequi paratum, tibique assistentem nolis saltem inspicere. Illud vero, « mutatus es mihi in crudelem, » alludit ad tempus anteactum, quando cuncta secunde cedebant: tunc manus lenis, blanda, propitia; nunc aspera, dura, aversa. Verba hæc Jobi, subjungit, animis piis graviter affectis, æstuantibus, in agone laborum anxiis, mirifice

congruunt, neque severe censenda. » Ad nostrum etiam facit intentum, quod idem Job, Cap. 6, ait : « Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam ? Aut quis finis meus, ut patienter agam ? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est. Ecce non est auxilium mihi in me, et necessarii quoque mei recesserunt a me. » « Quo certe sermone, ait idem V. Pater, perspicitur mentem Job fuisse, ne scire se quam longum tempus superesset, optareque se foret brevissimum, ut patienter sustineret, ac sine culpa iræ diemsuum obiret. » Et subdit : « Observandum hic nonnullos fortissimos Dei cultores ita severe cædi, ac si ænei forent ; quod ad invictissimam divinæ gratiæ vim prodendam mirifice confert. Neque obstandum, quod mortem cupiant et precentur : sicut enim Johi patientiam et longanimitatem minime detrivit ejusmodi optatum aut precatio, ita neque istorum ; sed non omnes capiunt verbum hoc. « Qui potest capere, capiat. » Hæc vera sunt, si ab ipso paciente Job in propria persona probentur dicta. Quod si dicantur in eorum persona qui, purgatione tentati, temptationi murmurationis et impatientiæ contra Deum succumbunt, mala sunt. »

Videant, qui tali premuntur temptatione, ne succubentes murmurent contra Dominum, filios Israël imitati, qui passim, impatientia laborum et itineris victi, contra Deum impie murmurabant. Et timeant ne immissis serpentibus ignitis, aut alio rigoroso puniantur suppicio. Saltem timeant ne, cum sancto Job eorum personam gerente, a Domino reprehendantur. Huic enim a Domino dicitur : « Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis ? » Sic enim Job, qui cum Deo disputare cupierat, et non certe in sententia, sed in modo loquendi metu rationis excesserat, reprimitur, ut in operum divinorum, quæ capere nequit, admirationem elatus culpam agnoscat. Et hæc, ut qui se derelictum conquerebatur, cernens Deum rerum universarum Conditorem, Servatorem, et Altorem esse, consideret se a Deo minime haberi neglectui, aut obliioni tradi.

Ad scrupulos tamen vitandos, noverint qui hujusmodi purgatione durius affliguntur, se licite posse filiales ad Deum tanquam patrem amantissimum dirigere querimonias, et afflicti cordis sensum exprimere. Sed prius cum sancto Job sileant per aliquod tempus, ut sic impatientiæ et murmurationis motus evident, et cautius ac humilius cum Deo se gerant. Ad hujus evidentiam, notanda est doctrina

V. P. N. Joannis a Jesu-Maria in 3 Caput Job, ubi sic ait : « Bonis theologis, rerum præsertim internarum consultis, perspectum est, in vexatione summa, qualem in Job descripsimus, partem hominis inferiorem turbulentissimis fluctibus concuti et agitari, ut perspicaces quoque exploratores vix tenuem quamdam partis superioris velut flammulam in abstruso quasi antro per intervalla lucentem deprehendant. Totus homo videtur sibi ex commotione immani, quam præsentit, non ex tenuissima scintilla, quam ægre percipit, censendus ; atque, in ea tremenda virium perturbatione, id se esse testatur quod sibi esse videtur, dum extrema calamitate agonem quemdam lethalem, aut certe tartareum repræsentat. Sic enim expedit fortissimos viros ad summos æternosque honores, et oblectamenta cœlestia per abjectionem et anxietatem summam acerrima concertatione pertingere. Si quis ergo ab homine adeo immaniter afflictato sciscitur, ecquid tunc sentiat ? Compertum est, cum pars inferior superiorum quasi obruat, et nihil nisi calamitosum percipi sinat, posse illum absque ulla culpa respondere : sentio sane me infelissimum esse; nolle me mater ex utero ad mœstissimam vitam effudisset ; maledictus videtur mihi natalis meus; nolle me infelix mater concepisset. Porro verum, et quotidianis experimentis deprehensum est, hujusmodi sensum natali et mortali vitae plane contrarium in viris perfectis inesse, quibus familiare est dictitare, se velle nolle quod pars inferior varie affecta depositum. Idem quippe homo est, qui varia sensa partis utriusque concipit : et idem odit bonum inferiore parte, qui superiore illud idem amplectitur ; idem quoque inferiore parte facit malum, quod superiore odit. Quæ certe phrasis sensu et verbis apostolica est. Si ergo Apostolus, de scipso agens, semetipsum in duos velut homines diserevit, quorum alter cum altero luctaretur, seque non id tantum quod ad superiorum attinebat, verum et quod ad inferiorem spectabat, agere diserte deprompsit, potuit et Job hos duos dirimere homines, et altero interim relicto, de uno dumtaxat verba proferre, palamque asserere se id velle, id cogitare, id optare, quod homo ille inferior vehementissime suggerebat. Atque idcirco, cum inferior homo, gravissime vexatus, optaret se genitum minime fuisse, et malediceret ac execraret ortum, et vitæ ærumnosæ decursum, profecto reprehendi non debet, si hæc ipsa vota verbis testata fecerit. Nec mirum, si tribulationibus internis vexati in suis hujus-

modi querimoniis justificantur, cum simili modo excusentur, qui doloribus externis afflicti de suis malis conqueruntur. Unde ut licitum ipsis permittitur dicere: infelix ego homo! vœ mihi! quam infaustus natalis meus fuit! mortem exopto, certe nollem in hanc lucem prodiisse.

#### ARTICULUS IV.

##### DE TENTATIONE SUGGERENTE DEUM NON ESSE JUSTUM.

Post actus impatientiae et murmurationis contra Deum, sequitur alia gravior tentatio contra divinam justitiam. Cum enim is qui purgatione passiva probatur, vel ordinarie, ut contingit in purgatione partis sensitivæ, vel aliquando, ut contingit in purgatione partis intellectivæ, non advertat in se peccata, propter quæ judicet se iram Dei promereret, et videat aliunde se tot tantisque tribulationibus afflictum, subrepit tentatio quod Deus non sit justus, quandoquidem innocentem aequè puniat ac impium.

Similis tentatio Job sanctum et patientem apprehenderat, cum Cap. 9. dicebat: « Unum est quod locutus sum, et innocentem et impium ipse consumit; si flagellat, occidat semel, et non de pœnis innocentum rideat. » Intuebatur vir rectus, quod Deus non solum peccatores, verum etiam justos affligit, et sicut morte corporali indiscriminatim interimit, sic et tribulationibus ac angustiis vitæ mortalis promiscue consumit, calamitate quidem simili, sed ratione dissimili. Quod in christiana religione ut satis evidens ac manifestum habetur: nam Christus Dominus, Sanctus Sanctorum, in quo non est inventum mendacium, et Sanctissima Mater ejus, in qua non fuit macula, et innumeri martyres et virgines crudeliora latronum coacti sunt subire supplicia, cum tamen summa niterent innocentia. Unde Job, quamvis tentationi non succumbat, aliquas tamen inde ortas Deo proponit querimonias. Et sic Deum alloquiturjuxta venerabilis prædicti Patris expositionem: « Animadverto, summe Deus, te non impios tantum, sed pios etiam in hac mortali vita ærumnis conficere; age ergo, me cœpisti graviter exercere: perge, precor, interfice me diu suspirantem, ac pro dolore liniendo tibi supplicantem. Videris quippe pios cultores tuos

orantes despicere, dum eos minime exaudis, neque ullum benevolentiae aut beneficentiae signum exhibes. Interime, precor, me ne diuturnior cruciatus mōrentem in aliquam culpam propellat. » Sane viri, sanctimonia vitæ clarissimi, morbis, temptationibus, inseminationibus infestati, frequenter mortem expetiæ, tanquam optabile redēptionis genus, quod votis multis flagitandum visum est, ut unus pro plurimis Gregorius Magnus Epistolis multis evincit. Deus autem more nostro irridere videtur pios orantes, dum eos sinit diutius clamitare neque annuit : apud mortales quippe qui audit nec exaudit, contemnere, despicere, et more jocantis pro nihilo ducere eleganter dicitur; quod ad eruditionem eorum, qui dum orant, sibi a Deo negligi videntur, apte traducendum. Non negligit Deus, sed experitur.

Quamvis autem justus quicumque, purgatione tentatus, se semper aliqua pœna propter sua peccata dignum judicet, potest tamen irreperere tentatio, quod contra justitiae leges graviora sibi irrogentur supplicia. Quod in ipso Job, vel in propria persona secundum partis inferioris sensum, vel in aliorum persona loquente, compleatum videmus. Ipse namque, Capite sexto, ait: « Utinam appendarentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera; quasi arena maris hæc gravior appareret : unde et verba mea dolore sunt plena, quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini militant contra me. » Quæ verba sic ad nostrum intentum exponuntur litteraliter simul et mystice, si dicatur quod sanctus Job, vir purissimæ testimonio conscientiae confirmatus, et divini amoris animatus confidentia, hujusmodi verba protulerit. Animus namque, divino addictissimus amori, durissimam passus repulsam, non modo absque divinæ majestatis injuria, verum et cum insigni laude conqueritur, indicatque nonnunquam se gravius angi quam commeruerit, tametsi sciat justa de causa, puta ad gloriæ incrementum, se posse sic cædi. Motivum autem hujus querimonie fuerunt ingentia mala, quæ Job ipse patiebatur. Unde virtualiter dicebat : quid mirum, si frequentes prorumpam in lamentationes, et in modos lugubres verba proferam, quia sagittæ Domini, quæ sunt ingentia et portentosa mala quæ patior, a Deo illata, me sic feriunt, et intus discruciant, ut penitus respirare nequeam. Ipsa nimirum testata prodigiis indignatio Dei eripit mihi halitum, et terrore orto de prælio Dei tela vibrantis examinat.

Hæc tentatio sanctos etiam vexavit Prophetas, qui de rectissima Dei justitia nullatenus dubitabant. Unde Jeremias Caput duodecimum sic exorditur : « Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum; verumtamen justa loquar ad te: quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui prævaricantur, et inique agunt? » In sequentibus autem capitulis suas et aliorum justorum afflictiones enarrat. Loquitur igitur cum Domino, supponens, ex una parte, cum omnimoda fidei certitudine, quod sit justus in omnibus suis operibus; ex alia vero parte, non capiens tam altum divinæ Providentiae mysterium, cur omnes justi in hac vita puniantur, etiam pro minimis imperfectionibus, imo sine ulla interdum imperfectionibus affligantur, impii vero prosperentur ut plurimum, propter quod a multis felices judicantur, qui, eos esse scelestissimos agnoscentes, vident tamen parum aut prope nihil calamitatis perpeti, opulentos, honoratos, bene valentes, bonis temporalibus abunde prosperatos, ad multam senectutem perdurare, pauloque post extingui in pace consipientes.

Qui futuræ vitæ revelationem non haberet, in qua et peccata in præsenti non punita punientur, et bona opera non præmiata præmiabuntur, posset merito arguere, quomodo verum esse possit, homines propter patrata scelera suppliciis affici. Si propter scelera suppliciis afficiuntur, cur non omnes? cur non illi, quibus usque ad venerandam senectutem cuncta prospere succedunt? Quod si omnes puniuntur, cur non æque? cum aliqui pejores aliis mitius puniantur quam illi, quos levius peccantes formidabilis ærumna consumit. Sed, supposita fide de statu futuræ vitæ, propositis dubiis facile respondeatur quod, ex occulto, semper tamen justo Dei iudicio, impii, qui hic prosperantur, æternis ob sua piacula reservantur suppliciis; justi vero, qui hic affliguntur, de propriis purgantur defectibus, ut in alia vita pro bonis operibus statim coronentur.

Præter alia, que huic temptationi possent applicari remedia, convenientissimum et utilissimum videtur illud, si consideretur quod minimum peccatum contra divinam majestatem commissum, nulla secundum se pœna sufficienti potest expiari; cum sit malum superioris ordinis, et injuria Deo facta: quod maxime verum est, si fuerit peccatum mortale, ut supra dictum est, ob infinitam malitiam quam importat. Unde, qui a Deo hic affligitur, debet reflectere supra sua peccata, et concludere quod Deus non potest esse injustus, puniendo

peccata etiam cum maxima severitate. Quod si deberet injustus dici, talis potius dicendus esset, quia peccata punit citra condignum, non solum in hac præsenti vita, sed etiam in futura, cum tamen opera bona ultra condignum præmiet, quia misericordia ejus super-exaltat judicium. Sed tamen absit a Deo nomen injustitiæ: quamvis enim peccata non ad æqualitatem castiget, hoc ideo est, tum quia superabundanti satisfactione Christi placatus est, unde meritorum ejus intuitu mitius nobiscum agit, tum quia non potest infinitæ quoad intentionem peccatorum malitiæ condignum decerni suppli-cium positivum: sola pœna damni, quæ in privatione Dei consistit, ipsam adæquat.

## ARTICULUS V.

### DE TENTATIONE NEGANTE DIVINAM PROVIDENTIAM.

Contraria præcedenti diabolus aliquando tentatione eos, qui pur-gatione passiva torquentur, insolenter aggreditur. Eo namque pro-cedit, quod divinam Providentiam, imo etiam Deum ipsum destruere velit, tentatis suadens quod, si Deus esset, aut hæc inferiora gubernaret, innocentes (quales ipsos tunc esse demonstrat) tam diu, et tam acriter vexari non permetteret. Inde est quod « dixit insipiens in corde suo: non est Deus. » Et Eliphaz, male de sancto Job suspicatus, ipsum quasi Providentiam Dei negantem sinistre inducit, et arguit in hunc modum malitiose: « An non cogitas, quod Deus excelsior cœlo sit, et super stellarum verticem sublimetur? et dicit: quid enim novit Deus? Et quasi per caliginem judicat, nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat. »

Non aliud suspicandi et sic arguendi falsus hic amicus habuit fundamentum, quam videre, ex una parte, sanctissimum virum Job ad extremas redactum miserias, factum ex divite pauperrimum, filiis misere pereuntibus orbatum, ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem capitis percussum, et ab omnibus derisum; ex alia vero parte, ipsum audire lugubre conquerentem apud Dominum, anteactæ vitæ suæ justificantem opera, et diei natalis sui maledicentem: illum ergo ex semetipso metiens, temere judicavit quod Dei Providentiam negaret, et de auxilio Dei, quasi hæc infima despici-

ceret, omnino desperaret. Sed fallebatur hic temerarius; Job namque sanctissimus, etsi sensum partis inferioris afflictæ Deo cum humilitate et amore proponeret, constanter tamen, secundum partem superiorem Deo resignatus, mira Providentiae ipsius arcana in se venerabatur, cuius rei signum evidens est, quod propriam uxorem de divina Providentia male sentientem quasi stultam repulerit.

Quod si viri sancti Deum, sœviente malorum tempestate, velut dormientem considerent, unde est illa conquestio Psalmistæ, Psalmo 43: « Quoniam propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occasionis: exurge, quare obdormis Domine? exurge, et ne repellas in finem, » non ideo divinam negant Providentiam, ut constat ex his quæ Psalmista præmisserat. Postquam enim multa infortunia fidelibus Dei servis ingruentia dinumerasset, ait: « Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis; si oblii sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum, nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis. » Sed Deum fusis precibus excitant, ut desideratum sibi præstet auxilium, velut, humano more, dum dormientem excitamus amicum, ut nobis tempore necessitatis succurrendo promptius auxilietur.

Vere in deserto murmurantes filii Israël saepe de divina dubitabant Providentia, et tandem eam negaverunt. Quod dubitaverint, multipli constat testimonio, sicut cum murmurantes dixerunt: « Estne Deus in nobis, an non? » Quod tandem negaverint, constat ex insigni illo idolatriæ portento, quando, cultu veri Dei relicto, conflatos vitulos solemniter adoraverunt. Dicitur enim, Exodi 32, quod, cum populus videret Moysen, moram facere descendendi de monte, congregatus est adversus Aaron, et dixit: « Surge, fac nobis deos qui nos præcedant; Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit. » Cumque vidissent filii Israël vitulum aureum, quem ad eorum instantiam Aaron coactus opere fusorio formaverat, dixerunt: « Isti sunt dii tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti; » et mane surgentes obtulerunt holocausta, et hostias pacifias; et sedit populus manducare et bibere, et surrexit ludere.

Ad summum hoc idolatriæ scelus quibusdam gradibus tentationum enumeratis devenit populus; nam primo, cœpit eum tædere laboris et itineris ad terram promissionis directi, cœpit manna, suavissimum panem angelorum, fastidire, et carnes ac porros ter-

restres Aegypti, despecto cœli pane, vehementius concupiscere. Deinde, ad minimam rerum penuriam, ad quemlibet viae laborem, temptatione victus in impatientiae ac murmurationis actus contra Deum impudenter prosilivit. Tandem, de justitia vel de providentia Dei sepius dubitans, ad utramque negandam, imo ad verum Deum deserendum, et ad idola colenda devenit. Sic, in præsenti materia, non statim quis succumbit extremæ temptationi negandi divinam Providentiam occasione purgationis passivæ; sed, ut dicitur a Spiritu Sancto: Qui spernit modica, paulatim decidet.» Qui igitur in hac purgatione constitutus fervorem charitatis remittit, virtutis exercitium intermittit, et internum orationis studium dimittit, pusillanimitate victus bene operandi difficultatem sentit, in bonis operibus fastidium et tedium patitur, postmodum in omni re spirituali nauseat, in impatientiae prorumpit actus, de divina justitia dubitat, ac Dei providentiam negabit, nisi principio temptationis obstet.

Procuret ergo, qui in statu purgationis exercetur, patienter illam ferre, cum Deo submissius agere; et sibi persuadens quod non in destructionem, sed in ædificationem, non in perditionem, sed in propriam perfectionem inducitur, remediis superius adductis utatur; et speret post tenebras quietem, et post purgativas dispositiones divinam illustrationem ac unionem fixam, et aliquando indissolubilem.

## ARTICULUS VI.

### DE ALIIS TENTATIONIBUS OCCASIONE PURGATIONIS PASSIVÆ OCCURRENTIBUS.

« Sunt et aliæ, concludit sanctus Bonaventura, loco supra citato, plurimæ temptationum species, quarum naturam et origines persequi longum esset. Si enim nullus medicorum omnes morborum corporalium varietates et dolores plene potest cognoscere, quanto minus spirituales morbos temptationum et passionum, quæ subtiliores sunt, valet aliquis plene discernere, nisi Spiritu Sancto plenissime sit illustratus! Acerbissimæ tamen temptationes videntur, hæsitatio in fide catholica, et desperatio de Dei misericordia, et spiritus blasphemiae contra Deum et sanctos, et tentatio injiciendi sibi manus et se

perimendi, et quædam perplexitas querulosæ conscientiæ medicinale consilium non admittendi. » Hæc D. Bonaventura. De his autem acerbissimis temptationibus actum est Discursu præcedenti.

Quamvis superius plura pro singulis temptationibus adducta sint remedia, tam pro illis quibus tanquam mediis purgatio passiva perficitur; quam pro illis quæ purgationis ipsius occasione consurgunt, non tamen abs re erit, in fine hujus materiae, memoriam refricare, ea de novo breviter indicando, et si quæ fuerint prætermissa, nunc proponendo.

Primum igitur contra singulas temptationes remedium est fides, quod multiplici sacrae Scripturæ testimonio probatur. S. Petrus, Epist. 1, Cap. 5, admonens et instruens suos discipulos de temptationibus diaboli, totam virtutem et resistendi fortitudinem in fide constituit: « Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide. » Ad Ephesios 6, dicitur: « In omnibus sumentes scutum fidei. » S. Joannes ait. » Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. » S. Bernardus, Sermone 5, in Psalmum, « Qui habitat, » exponens illud prophetæ: « Scuto circumdabit te veritas ejus, » ait: « Oportet igitur, ut quia undique circumdatus es temptationibus, scuto circumdet te veritas ejus; ut quemadmodum undique bella, undique sint præsidia: veritas autem circumdat, quia verax qui promittit, et sic exhibet ut promittit; fidelis Deus, ait Apostolus 1. Cor. 10, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. »

Secundum remedium est lectio librorum piorum, et præsertim sacrae Scripturæ: per hujusmodi namque libros, eorum authores, docti et ut plurimum experti, certas nobis instructiones resistendi temptationibus insinuant; et Deus mediis ipsis loquitur ad cor nostrum. Quod si hoc verum sit de aliis libris piis, qui Deo inspirante scripti judicantur, multo magis verum est de sacra Scriptura, cuius libri non solum Deo inspirante, sed etiam suggerente ac singula verba dictante creduntur compositi. Unde Proverbiorum 30 dicitur: « Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se. » S. Gregorius, Homilia 15, in Ezechiel, asserit sacram Scripturam esse turrim illam Ecclesiæ, de qua dicitur Cant. 4: « Sicut turris David collum tuum, quæ aedificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea. » Sumat ex ea qui tentatur jacula, quæ dirigat in tentatorem; et imitetur Christum Dominum, qui tribus

diaboli temptationibus ex sacra Scriptura respondit : primæ quidem : « Scriptum est, non in solo pane vivit homo; » secundæ vero : « Scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum ; » et tandem tertiae : « Scriptum est, Deum tuum adorabis, et illi soli servies. »

Tertium remedium est, cogitationem statim ab omni tentatione divertere, maxime a tentatione contra puritatem, quod facile fiet, si occupationes piæ, vel etiam indifferentes, quibus afficitur appetitus, assumantur ; et sæpe tunc orationi vacare, quæ ad impetrandum divinum auxilium est medium efficacissimum, juxta illud Psalmi 49: « Invoca me in die tribulationis; eruam te, et honorificabis me, » quia recepto Dei subsidio quilibet expertus dicere ei potest: « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolations tuae læticaverunt animam meam. » Multo magis autem necessarium est, in materia castitatis, fugere occasiones temptationum. Audiamus D. Bonaventuram, Cap. 12 Libri citati, dicentem : « Quantu sub specie spiritualis dilectionis spirituales feminas frequentaverunt, et orationum ipsarum obtentione ! Ecce quanta puritas in prima intentione, scilicet charitas et devotion ! Postea sequuntur longæ confabulationes, modo de Deo, modo de ipsorum amore mutuo et fide, et amorosi aspectus, et munuscula pro memorialibus charitatis : ecce quomodo et mixta sunt jam bona spiritualis affectionis et collocutionis fidelis cum aliis inutilibus confabulationibus, et incautæ familiaritatis, et inutilis compassionis cordis circa dilectam. Tandem sequuntur falsa bona, id est vera mala, scilicet amplexus, oscula, tactus manuum et uberum, et similia, quæ omnia suspecta sunt, et carnalis affectionis indicia, et turpis operis præludia. Postremo impudica succedunt, quasi fructus præcedentium, scilicet opera aperta iniquitatis. Augustinus dicit: « O quam parva et brevis concubitus hora, in qua amittitur vita æterna ! » In hunc modum palliat se sæpe superbia, sæpe invidia, et avaritia, et acedia, vicia quæ, cum non audent bonos tentare aperta facie, quos sciunt omne malum odisse, assumunt aliquod velamen virtutis, ne agnoscantur esse quod sunt: sicut qui mentitur se amicum esse, donec admissus dolose interficiat. Sic Joab tenuit mentum Amasæ, quasi oscularetur eum, ne suspicaretur eum hostem esse, et non observaret gladium ejus dolosum ; et ita in dolo occidit eum. Sic Judas osculo Christum tradidit crucifigendum a Judæis. » Hactenus D. Bonaventura, qui, testante S. Jacobo Apostolo, Cap. 1 Epistolæ Catholicæ, no-

verat quod « Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat; unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus; deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem. »

Motivum autem, quo qui tentatur excitari debet ad resistendum, est cogitare quod, ut ait Job, Cap. 7, « militia est vita hominis super terram ; » et quod « spectaculum facti sumus Deo, angelis, et hominibus ; » quod milites Christi sumus, cui tenemur in sufferendis temptationibus ac eis debellandis assimilari ; quod « beatus est vir qui suffert temptationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se ; et quod « id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis, » unde merito concludit S. Apostolus quod « non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. »

Modus resistendi temptationibus est duplex: primus quidem, declinando jacula tentatoris, ut in vacuum recidant; secundus autem, retorquendo jacula in ipsum tentatorem. Primus resistendi modus tunc exercetur, quando tentatus temptationem advertens illam despicit; et se ad alia divertit; secundus exercetur, quando vitii, de quo procedit tentatio, cognita malitia, virtutis contrariae ferventiores actus eliciuntur; sic enim, ut ait Apostolus, ad Rom. 8, de peccato damnatur peccatum. Semper autem, in tolerantia temptationum, adhibenda est humilis resignatio et conformitas omnimoda cum divina voluntate. Unde Taulerus, 11 Instit., ait: « Quod si forte aliqua in adversis impatientia te moveri sentias, resiste quantum potes, et sustine : sicut et omnium hominum perfectissimus Christus Jesus, adeo ab imminentis ei passionis præmeditatione pulsabatur, ut in multa cordis angustia diceret: « Tristis est anima mea usque ad mortem. Et quid dicam? Pater salvifica me ex hac hora. » O quantum pulsabat animam ejus imminens passio, ut in agonia positus etiam sanguinem sudaret! Ita, et tu, in afflictione constituta, sub quanta potes celeritate vires omnes recollige, ipsamque afflictionem in sua origine regenerans (ex amore siquidem illo qui Deus ipse est, originem duxit), ipsam velut auream oblationem offerre rationabiliter, Patrique cœlesti exhibere humiliter contendere, sic dicens : O omnis paternitatis Pater, en ego pauper et infirma filia tua, afflictionem hanc hodie de paterna manu tua, velut nobi-

lissimum pretiosissimumque dilectionis munus, suscipio. O Pater dilectissime, si me passionis hujus calicem bibere oportet, instar infirmi alicujus, qui pro ægrotationis molestia relevanda amarum poculum sumere compellitur, non mea, sed tua voluntas fiat. Hoc tantum rogo et obsecro, amantissime Pater, ut, quia sine te nihil possum, virtutem et gratiam mihi tribuas, eam juxta beneplacitum tuum sufferendi. Dumque istud feceris, certa esto, æterni ac clementissimi Patris oculos apertos atque directos esse ad respiciendum angustias tuas, tibique opportuno tempore succurrendum, si saltem expectare voles, sicut pater aliquis prædilectum filium suum diu in poenis et angustiis relinquere non potest, quin ei succurrat, ipsum in ejus afflictione paterna pietate foveat, recreetque. Præterea, in adversitate posita, neque desperare, neque de paterno corde diffidere debes, dicendo : oblitus est mei Deus, reliquit me Dominus. Cogita potius, quia quem diligit Deus, castigat, et flagellat omnem filium quem recipit. Namvero videbat ipse dilectissimum Filium suum præ angustia sanguinem sudare, ad columnam ligatum flagellis acerbissime cædi, et demum in cruce velut fœnum arescere, nec tamen in tanta passione constitutum minus eum amabat; imo, tam ei tunc charus erat in cruce suspensus, quam modo in cœlis in paterno ipsius sinu constitutus. Et eodem plane modo omnibus ejus charis amicis accidisse constat, quorum alii assati, alii decocti, alii in cinerem, alii in pulverem redacti sunt : et ita demum etiam tecum agitur, o anima nobilis. Si enim Domino Deo tuo complacere, et ab eo familiariter diligi cupis, ab ipso quoque singulari dilectione singularem haud gravate passionem suscipe : quæ, si in finem usque perseveraveris, perfecta et salva eris, sicut ipsum veritatis os Christus Dominus testatur. In afflictione namque animi, resignatio est ante Deum velut cithara dulcisona vel suavis harmonia : in ejus siquidem chordis, id est animæ viribus, tam dulciter in intima devotione canit ipse Spiritus Sanctus, ut suaviter earum voces cœlestis Patris aures occulto quodam et interno silentio penetrrent.

Ad majorem eorum qui temptationibus affliguntur consolationem, audiamus sanctum Bernardum, Serm.15, in Psalmum « Qui habitat. » Exponens illa verba, « Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum, » sic ait : « Unde scimus, quod nobiscum sit in tribulatione? ex eo utique quod in ea tribulatione nos sumus. Quis

enim sustineret, quis subsisteret, quis persisteret sine eo ? Omne gaudium existimemus, cum in tribulationes varias inciderimus, fratres mei. Non modo, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, sed quia juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. Si ambulavero in medio umbræ mortis, ait quidam, non timebo mala, quia tu tecum es. Ita ergo nobiscum est omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. » Recordentur dicti Apostoli de seipso, 2 Cor. 7 : « Foris pugnæ, intus timores ; sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus. » Propterea, 2 Cor. 1, illum benedicit, dicens : « Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. »

Percurremus primam partem viæ perfectionis, sive totam viam Purgativam : quæ quidem ambulantibus et tendentibus ad montem perfectionis ardua et perdifficilis est ; sequens vero via Illuminativa plana et delectabilis est : postrema tandem via Unitiva tota est gloria et deliciis affluens. Sed mihi scribenti hæc prima pars fuit explicatione difficilis ; sequens, ob materiae sublimitatem, appareat difficilior ; tertia tandem, quia paucis aperta et trita, sane diffcillima est. In fine hujus viæ paululum quiescam, ut, resumpto spiritu, ad percurrendam sequentem me accingam.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

SERIES

DISCURSUUM ET ARTICULORUM

HUJUS VOLUM<sup>IS.</sup>

---

DISCURSUS PROEMIAL <i>Theologiae Mysticæ</i> . . . . .	19
Articulus I. Quid sit Theologia Mystica . . . . .	19
II. Quodnam sit objectum Theologiae Mysticæ. . . . .	24
III. Utrum in exercitio Theologiae Mysticæ anima contemplativa tantummodo patiatur . . . . .	27
IV. In exercitio Theologiae Mysticæ non potest esse amor absque prævia cognitione . . . . .	32
V. In exercitio Theologiae Mysticæ potest voluntas plus amare quam intellectus cognoscere . . . . .	37
VI. Theologia Mystica suos habet terminos, et proprias phrases quibus utitur . . . . .	40
VII. Modus pervenienti ad exercitium Theologiae Mysticæ . . . . .	46
VIII. Proponuntur et solvuntur occurrentia dubia circa exercitium Theologiae Mysticæ . . . . .	50
IX. Declaratio Montis Mysticæ Perfectionis . . . . .	55

---

## PRIMA PARS Theologiæ Mysticæ.

<i>De aggrégatione animæ contemplativæ, propria incipientium; in qua et quæ de reformatio-</i>	<i>nem, tam activa quam passiva, naturæ corruptæ, et quæ m ad cognitionem, et quantum ad affectum.</i>	
<i>Ait</i>	<i>mentum operis . . . . .</i>	61

## TRACTATUS I.

<i>De purgatione activa partis cognoscitivæ, per studium actionis . . . . .</i>	63
<b>DISCURSUS I. De ruptione hominis. . . . .</b>	63
Articulus I. De generali ruptione totius humanæ naturæ . . . . .	64
II. De particulari corruptione hominum . . . . .	68
III. De variis justorum debibus . . . . .	74
IV. De multiplici imperfectio incipientium . . . . .	78
V. De impuritate partis cognoscitivæ in statu naturæ corruptæ . . . . .	86
VI. Variis vocat Deus modis de praecito statu corruptionis ad viam perfectionis . . . . .	89
<b>DISCURSUS II. De iis quibus purganda est anima, quantum ad partem cognoscitivam . . . . .</b>	95
Artic. I. Quomodo purganda sit memoria suis naturalibus notitiis . . . . .	96
II. Quibus notitiis naturalibus præcipue purganda est memoria . . . . .	102
III. Multæ proveniunt animæ utilitates ex purgatione prædicta memorie, et multa damna ex defectu ipsius . . . . .	107
IV. Notitiis etiam supernaturalibus distinctis purganda est memoria . . . . .	112
V. Notitiæ supernaturales possunt animæ multa causare damna, si eis adhæreat . . . . .	115
VI. Omnibus notitiis particularibus purganda est pars cognoscitiva, dum anima ad divinam contemplationem elevatur. . . . .	123

ET ARTICULORUM.

<b>DISCURSUS III. <i>De medio purgationis activæ in parte cognoscitiva.</i></b>	<b>127</b>
<b>Articulus I. Quid sit oratio, præsertim mentalis.</b>	<b>127</b>
II. De præparatione ad orationem mentalem . . . . .	132
III. De lectione in ordine ad orationem mentalem . . . . .	136
IV. De meditatione . . . . .	140
V. De gratiarum actione . . . . .	144
VI. De oblatione . . . . .	151
VII. De petitione . . . . .	158
VIII. De distractionibus et ariditatibus . . . . .	158
IX. De signis et effectibus bonæ orationis . . . . .	161
<b>DISCURSUS IV. <i>De materia orationis mentalis</i></b> . . . . .	<b>164</b>
<b>Articulus I. De mysteriis nostræ redēptionis . . . . .</b>	<b>165</b>
II. De Morte, Passione, ac Resurrectione Christi Domini. . . . .	171
III. De peccatis vitæ præteritæ . . . . .	178
IV. De miseriis humanæ vitæ . . . . .	181
V. De consideratione mortis . . . . .	185
VI. De dupli judicio Dei . . . . .	188
VII. De pœnis et horrore inferni . . . . .	192
VIII. De cœlestis regni gloria . . . . .	196
IX. De beneficiis divinis . . . . .	202

TRACTATUS II.

<b>De purgatione activa partis affectivæ, per pœnitentiam et mortificationem . . . . .</b>	<b>208</b>
<b>DISCURSUS I. <i>De peccatorum et imperfectionum evacuatione</i></b> . . . . .	<b>208</b>
<b>Articulus I. Debent incipientes peccata et imperfectiones ex anima evacuare . . . . .</b>	<b>209</b>
II. De motivis propter quæ debent incipientes peccata et imperfectiones evacuare . . . . .	215
III. De ordinaria peccatorum et imperfectionum evacuatione, per sacramentum pœnitentiae . . . . .	220

SERIES DISCURSUUM

IV.	De peccatorum et imperfectionum evacuatione per virtutem pœnitentiæ . . . . .	227
V.	De aliis mediis quibus peccata et imperfectiones evan-	
	cuantur . . . . .	232
VI.	De reliquarum peccatorum evacuatione . . . . .	235
	<b>DISCURSUS II. <i>De vitiorum eradicatione</i></b> . . . . .	239
Articulus I.	De natura vitiorum . . . . .	240
II.	Vitium opponitur virtuti . . . . .	243
III.	Vitium est intrinsece malum . . . . .	249
IV.	Multæ sunt species vitii . . . . .	253
V.	Quam necessaria sit vitiorum eradicatione . . . . .	256
VI.	Quomodo facienda sit vitiorum eradicatione . . . . .	260
VII.	De signis eradicationis vitiorum . . . . .	272
	<b>DISCURSUS III. <i>De passionum moderatione</i></b> . . . . .	275
Articulus I.	De natura et numero passionum . . . . .	275
II.	De passione amoris . . . . .	279
III.	De passione desiderii seu concupiscentiæ . . . . .	282
IV.	De passione gaudii seu delectationis . . . . .	285
V.	De passione odii . . . . .	287
VI.	De passione fugæ seu abominationis . . . . .	290
VII.	De passione doloris seu tristitiae . . . . .	292
VIII.	De passione spei . . . . .	296
IX.	De passione desperationis . . . . .	299
X.	De passione audaciæ . . . . .	302
XI.	De passione timoris . . . . .	305
XII.	De passione iræ . . . . .	308
	<b>DISCURSUS IV. <i>De appetitus mortificatione</i></b> . . . . .	311
Articulus I.	Quam necessaria sit appetitus mortificatio . . . . .	311
II.	Motiva propter quæ necessaria est appetitus mortificatio . . . . .	315
III.	Mortificatio specialiter est necessaria viris contemplativis . . . . .	323
IV.	Rari sunt amici mortificationis . . . . .	327
V.	De mortificatione exterioris hominis . . . . .	331
VI.	De mortificatione interioris hominis . . . . .	340

## TRACTATUS III.

De purgatione passiva, tam partis cognoscitivæ quam partis affectivæ, in nocte obscura ani- mæ . . . . .	347
<b>DISCURSUS. I. <i>De purgatione passiva partis sensitivæ</i></b> . . . . .	347
Articulus I. De causis purgationis passivæ in parte sensitiva. . . . .	348
II. In quo formaliter consistat purgatio passiva partis sensi- tivæ . . . . .	350
III. Ex multipli capite necessaria est purgatio passiva partis sensitivæ . . . . .	356
IV. De signis demonstrantibus purgationem passivam partis sensitivæ . . . . .	364
V. De effectibus purgationis passivæ partis sensitivæ. . . . .	369
VI. Quomodo se gerere debeant incipientes tempore purga- tionis sensitivæ . . . . .	374
<b>DISCURSUS II. <i>De diversis mediis quibus perficitur purgatio passiva partis sensitivæ</i></b> . . . . .	379
Articulus I. Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur ali- quando tentatione contra castitatem . . . . .	379
II. Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando mani- festa dæmonum persecutione . . . . .	384
III. Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando persecutione hominum. . . . .	388
IV. Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando rerum sensibilium jactura. . . . .	393
V. Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando privatione bonorum corporis. . . . .	398
VI. Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando carentia bonorum animæ . . . . .	402
<b>DISCURSUS III. <i>De purgatione passiva partis intellectivæ</i></b> . . . . .	407
Articulus I. Quid sit purgatio passiva partis intellectivæ . . . . .	408
II. De causis purgationis passivæ in parte intellectiva. . . . .	418
III. De motivis propter que Deus inducit purgationem pas- sivam partis intellectivæ. . . . .	422

SERIES DISCURSuum ET ARTICULORUM.

IV. De effectibus purgationis passivæ partis intellectivæ . . . . .	427
V. De signis demonstrantibus purgationem passivam partis intellectivæ: . . . . .	435
VI. Quomodo se gerere debeant qui purgatione passiva partis intellectivæ exercentur. . . . .	440
 DISCURSUS IV. <i>De variis mediis quibus perficitur purgatio passiva partis intellectivæ . . . . .</i>	449 .
Articulus I. Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur aliquando tentatione contra fidem. . . . .	449
II. Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur aliquando timore reprobationis atque tentatione desperationis.	455
III. Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur aliquando totali subtractione consolationis. . . . .	459
IV. Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur aliquando scrupulorum importunitate. . . . .	464
V. Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur aliquando timore derelictionis et indignationis divinæ. . . . .	470
VI. Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur pluribus aliis mediis. . . . .	475
 DISCURSUS V. <i>De temptationibus occasione purgationis passivæ exurgentibus, et de eorum remediis. . . . .</i>	479
Articulus I. De temptatione cessandi a bonis operibus . . . . .	479
II. De temptatione retrocedendi a via perfectionis. . . . .	484
III. De temptatione murmurationis et impatientiæ contra Deum. . . . .	489
IV. De temptatione sugerente Deum non esse justum. . . . .	494
V. De temptatione negante divinam Providentiam . . . . .	497
VI. De aliis temptationibus occasione purgationis passivæ occurrentibus . . . . .	49

